


Isak Muys.



AMSTELÆDAMI apud FRANCISCVM HALMAM. MDCC.

JACOBI TOLLII

EPISTOLAE ITINERARIAE:

ex Auctoris Schedis Poſtumis

Recenſitæ, Suppletæ, Digeſtæ;

Annotationibus, Obſervationibus & Figuris adornatæ,

cura & ſtudio

HENRICI CHRISTIANI HENNINII.



AMSTELÆDAMI

Typis FRANCISCI HALMÆ, Typographi, ſub ſigno *Conſtantini Magni*, M. D. CC.

Veneunt

in Officina JOANNIS ab OOSTERWYK Bibliopol. *op den Dam*, ad inſigne *Ciceronis*.



PERILLVSTRI,

NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO VIRO,

DOMINO

NICOLAO WITSEN,

COS. AMSTELAEDAMENSI,

S. P. D.

HENR. CHR. DE HENNIN.



Pudore nonnihil perfundor, cum meam reputo mecum audaciam, qua in publica forsan commoda pecco, & præclaras Tuas pro Re, Libertate & Salute Publica curas hac dedicatione interpello: at cum

vicissim e contrario respicio obviam Tuam, Perillustris Domine, humanitatem, qua Bonæ Mentis Cultores ultro semper solitus fuisti admittere; animum mihi ipse addo ad Benevolentiæ Tuæ aditum. Nolo, pro more dedicantium, aut Tuarum laudum panegyricum scribere, aut arcessitis adulatricis prudentiæ strophis Tuo favori adrepere. neque enim Tua Virtus in illustri loco jam dudum posita, & spectata inter Bonos Moderatio me, aut quocunque alio, præcone egent; & ego is sum, qui Invidiæ & Calumniæ ingenuam Masculæ Virtutis simplicitatem opponere malo, quam Fortunam aut Purpuram, abjectissima animi humilitate, errantibus vulgo in extremo labro verbis, adorare. Longe alia sunt, quæ in Te suspicio: non illa, quæ a Fortunæ sunt suspensa arbitrio; sed Animum illum Tuum, Veri Rectique constantia integrum, excultum non minus Civilium Rerum insigni peritia, quam uberrimo Eruditionis non vulgaris instrumento. Illam loquitur, ad cujus clavum sedes, Aeterna,

na, quod vovemus & auguramur, AMSTELAEDAMENSIVM Respublica, Europæ Horreum, Orbis Emporium; Belgicæ, imo totius ad Occidentem Solem plagæ, Ocellus, & quasi quoddam Generis Humani commune Contubernium; quin vero, quod caput esse puto, Libertatis Aureæ Templum, & perpetua Legum ac incorruptæ Justitiæ Sedes.

Roma suas jactet victrix ad sidera Turres,
Pressaque tot servo libera colla jugo!
Jupiter extollat Capitoll immobile saxum!
Rhenus & Euphrates terminet Imperium!
Magna AMSTELDAMUM, *sed Libertatis Asylum,*
Nixa suis malis tendit ad Antipodes:
Velivolo unde mari volat almo Copia cornu,
Et Thetis hinc Orbis ditat utrumque latus.

Liceat bona Tua cum venia, Vir Perillustris, hoc in Urbem vestram adscribere Epigramma, mei de illa sensus aliquod signum, & perpetui honoris, qua illam prosequor, argumentum; cujus Urbis ingen-

tis,

tis, addo etiam HOLLANDIÆ, Tu & Ipſe ingens es ornamentum & præſidium. Tibi debemus; liceat enim hoc a Tua humanitate impetrare, ut tribus tantum verbis Eruditioni Tuæ ſuus a me, ſine fuco & ex vero, habeatur honos; Tibi, inquam, debemus, illuſtratas & detectas Orbis ad ſeptem Triones vergentis plagas, Tabulamque illam, qua *Magni* MOSCORUM IMPERATORIS terras longinquas, *Tatarorum* & *Siberiæ* vaſtas regiones, & ignotos ante plurimarum Gentium, Fluviorum, Montium, Urbium, Regnorum ſitus, non ſolum accuratiſſime depinxiſti; ſed & ampliſſimis Commentariis ipſe oculatus omnium Menſor & eruditus Spectator illuſtraſti: quo præclaro merito Orbem Tibi univerſum, & omnem Rem publicam Literariam ſic divinxiſti & porro devincies, ut non minus olim in Faſtis Aeternitatis a Poſteritate omni Nomen Tuum ſit legendum, quam COLUMBORUM, VESPUCIORUM, MAGELLANORUM, GAMARUM, & ſimilium Heroum, qui primi ignotas ante

Orbis

Orbis oras aperuerunt. Transeo hic libros Tuos de *Conſtruendis Navibus* & de omni *Re Nautica*, abſolutiſſimos omnibus numeris & incomparabiles, quibus Græcæ Latinæque Antiquitatis & Recentioris Aevi Rem Navalem ita clare ob oculos poſuiſti, ut, qui hoc in ſtudio Te vel longo intervallo adſecutus ſit, reperiatur nemo. Taceo hic etiam illum prolixum amorem Tuum, quo omnes ingenuas Artes & Literas Humaniores complecteris, quo minus mirantur homines, cum vident Nominis Tui Nobiliſſimi honore multas Eruditorum lucubrationes illuſtrari. Id cur & ego Eruditionis ſtudioſiſſimus admirator & amator nunc ſtudeam imitari, non una in promtu cauſſa eſt. Sive enim Auctorem, TOLLIUM noſtrum, reſpiciam; tantum Ille Tibi, ab ineunte etiam adoleſcentia, debuit, quantum alii Mortalium nulli: quippe quem ſemper expertus eſt, ut mihi ſæpius eſt teſtatus, Amicum, Fautorem, Mæcenatem, eumque, ſine ulla ambitione aut pompa, ingenuum, certum, verum. Hinc & hæ

** ipſæ

ipſæ Literæ Itinerariæ Tui Nominis ampliſſimam lucem in initio & fine præferunt & oſtentant : Tibi incipiunt , Tibi deſinunt. Sed ſive etiam me ipſe conſidero , grati ſane animi ratio ad publicam aliquam Tuæ erga me Benevolentiæ , & præclari de Fratre meo Patruele meriti , profeſſionem me adhortabatur. Hunc enim Tu , Perilluſtris Domine , a me Tuo favori commendatum, ita & Ipſe & per Amicos Tuos *Magno* MOSCORUM IMPERATORI, qui Te pro meritis plurimi facere & in oculis ferre aſſiduum ſolebat , tradidiſti , ut , ad quam porro Virtutis via Fortunam eſt enixurus , eam Tuo iſti præcipue favori ex aſſe ſit debiturus. Ego certe hoc de Patuele meo meritum , quo is ad Gentilia Majorum decora aliquando pervenire poterit, tanti facio , ut me & mea ſtudia , cum omnibus officiis atque obſequiis meis , ex fide & formula antiqua , lubens Tibi tam bene merenti conſecrem & dedicem. Cujus animi teſtem hunc librum , ex TOLLII meisque lucubrationibus compoſitum , ad Te able-

ablego; quem ut ſerena fronte accipere digneris, ac mihi porro favere, etiam atque etiam, qua poſſum, animi veneratione & obſervantia rogo. Vale Perilluſtris Domine, & Rem tam Publicam, quam Tuam præclare, diutiſſime, feliciſſime gere! Duisburgi Cliviorum ad Rheni & Rhuræ confluentes A. D. Kal. Auguſti, anni ſecundum Faſtos emendatiores cIↄ. Iↄc. xcIx.



Henrici Christiani Hennini

Prologus ad Lectores.



I Tanta foret cordatiorum Lectorum æquitas, quanta Censorum iniqua sæpe malignitas, possemus forsan hoc Prologo supersedere. Sed quia posterioris ordinis homines sæpe per invidiam aut calumniam multa morose taxant, quorum caussas ignorant; aut maligne traducunt alienam industriam, his aliqua ex parte hoc in limine videtur occurrendum, ut apud æquos rerum & Ingeniorum Arbitros constet nostri otii ratio.

Quis & qualis fuerit Jacobus Tollius, *novit jamdudum ex Ejus eruditis Operibus Resp. Literaria: Nos etiam insuper Illius vitam cum maxime præ manibus habemus, quæ propter multa singularia observata forsan Doctis non erit ingrata. Cum Itinera hæc* Jacobus Tollius *proficisceretur, in Academia illustri* Cliviensium, *quæ* Duisburgi *ad* Rhenum *floret, erat* Historiarum, Eloquentiæ Latinæ & Græcæ Professor Ordinarius: *& indultu ac sumtu Serenissimi ac Potentissimi* Electoris Brandeburgici Friderici Wilhelmi Magni, *salvis Professionis suæ emolumentis, hæc in* Austriam, Hungariam, Italiam*que Itinera instituit, & feliciter exegit: adeo ut* Liberalitati Brandebvrgicae, *si verum amamus, præclaræ hæ* Tollii *Epistolæ debeantur, uti ipse in Epistolis his ultro testatur.*

Hic autem Decessor meus, cui ante hos decem admodum annos in eadem provincia Literaria successi in Cliviensi

Athe-

Athenæo, cum hoc iter faceret, ſolebat in Schedulas per modum Adverſariorum, Belgica lingua conjicere, & dimidiatis verbis, aut compendiis ſcripturæ, ſæpe etiam fugaci plumbo ſcriptorio adnotare, ſi quid ipſi notatu dignum obiter occurreret. Ex his Notulis & ceris miniatulis natæ ſunt poſtea hæ, quas vides, Epiſtolæ Itinerariæ, ſed quibus ultima deeſt manus, cum certas ob cauſſas ſæpe dubius hæreret, num unquam eas vellet edere. Haud diu ante obitum, Eum fere expugnaveram, ut ultimam manum illis imponeret, ſed intercedens fatum deſtinata abrupit, ſic tamen, ut Schedas illas poſtumas meæ fidei voluerit credi, & a me edi.

Itaque in gratiam Amiciſſimi Viri, quicum aliquot annos ſine ullo fuco aut querela & vixi & commercium epiſtolicum exercui, lubens inter plurimos alios labores & hunc ſuſcepi, ut has Schedas Poſtumas, per ſubſecivas rari otii horas, deſcriberem denuo mea manu, recenſerem, ſupplerem, digererem, cum Schedulis Adverſariorum Belgicorum conferrem, &, ut Publico placere poſſent, ac juſti voluminis modum implerent, Tabularum æneαrum figuris, Annotationibus ac Obſervationibus neceſſariis illuſtrarem.

Primum quidem ex Schedis Poſtumis omnes Epiſtolas mea manu deſcripſi, ut tanto accuratius imprimerentur. ſcripſerat eas TOLLIUS *minutiſſima litera, multis lituris fœdata, lacunis hinc inde hiantia, exiguis valde ſpatiis inter lineas intercedentibus, quæ & ipſa ſæpe rurſum coactis literulis intruſas habebant emendationes, ſic ut rari, qui* TOLLII *manum non haberent oculis familiarem, ſubinde ſenſum divinarent; nedum ut Typothetarum pueri ex iſto*

αὐτογράφῳ potuissent τὸ κείμενον efformare ; quod agnoverunt omnes , qui apud me αὐτόγραφον TOLLII *viderunt.*

Sic autem in Recensione versatus sum, ut ubique ipsissima TOLLII *verba retinuerim ; ubi tamen Ille aut vocem minus Latinam deleverat , nulla puriore substituta , ibi putavi mihi licere , puriorem vocem substituere aut phrasin. rarius tamen hoc factum est. Ubi vero sensus erat obscurus , ibi cousului Adversaria Belgica , quæ licet dimidiatis ac parcissimis verbis essent scripta , multum tamen me adjuverunt in vero sensu eruendo , quem tum adoptavi.*

Supplevi porro passim hiatus & lacunas a TOLLIO *relictas ; partim beneficio collationis cum Adversariis Belgicis , partim ex certissimis Historiarum monumentis , rerumque Medicarum , Chemicarum , Metallicarum experimentis , ubi iterum* TOLLII *editas de Re Chemica lucubrationes consului, illasque cum his Epistolis contuli ; ista omnia , si cujus momenti erant , in Annotationibus etiam candide commemoravi. ne sine exemplo loquar , noto , pagina* 70. *Epist.* III. *omissa fuisse nomina aliquot locorum Pragensium , quæ ex* BERTIO *rite supplevi , ut annotavi pag.* 85. *num.* 18.

Carmina , quæ in Epistola III. *occurrunt , omnia in* αὐτογράφῳ *erant omissa , laudatis modo verbis initialibus duobus tribusve. scilicet ea in Schedulas contulerat , per otium ad incudem revocanda & deinde inserenda. Commodum vero accidit , ut illa Epistolico commercio mecum olim communicarit , meam super illis sententiam , pro more ingenuæ & mutuæ , quæ inter nos intercedebat , amicitiæ , rogans. sic servata sunt , & suis singula locis a me inserta.*

Deinde

Deinde ſingula digeſſi, luxata repoſui, confuſa diſtinxi. ita exempli gratia Hungariæ Fodinas *Epiſt.* V. *pagina* 166. *& ſequentibus, pro commodo Lectorum ad Literarum ſeriem dispoſui, & ex Adverſariis Belgicis ſupplevi. Eadem Epiſtola* V. *pag.* 186. *& ſeqq.* Æris Metallici Tractandi rationem, *a* TOLLIO *Noſtro, ſeparatis foliolis Sibyllinis, ut videtur, memoriæ tantum cauſſa inſcriptam, quantum potui, explanavi, ſic tamen ut religioſiſſime tam* TOLLII *mentem, quam rei ipſius veritatem obſervarim. verum nolo omnia minute perſequi aut ambitioſe recenſere.*

Illud quoque TOLLII *mei Manes mihi ignoſcant, quod pauciſſimis locis duriora & fortia, ſi cum Romano loqui licet Callimacho, quædam verba emolliverim: De Mortuis nihil, niſi bene, loquendum; ſed & Mortuos omnia bona loqui poſt ſua fata, decorum & verum eſſe puto.*


In Annotationibus *Meis &* Obſervationibus *illud unice operam dedi, ut* TOLLIO *meo ſubſervirem, obſcuriora illuſtrarem, omiſſa ſuperadderem, nimis preſſa diducerem, tabellas æneas neceſſarias ſuis locis insererem, curioſa non pauca adſpergerem; &, ut paucis omnia dicam, uti Lectoribus prodeſſem ſimul, & eosdem jucundarum Obſervationum cognitione delectarem. quandoque etiam, ſed manu parciſſima, adnotavi, ubi diverſa ſentiebam & alia, atque* TOLLIUS. *Hæc omnia Tuo Lector judicio & æquitati lubens permitto.*

Cæterum cuncta ſingillatim recenſere, quæ præſtiterim, nec otii mei eſt, nec animi. TOLLII *mei memoriæ lubens volensque hanc opellam amicam ex aſſe dedico. Hoc tamen habeas optime Lector, Orthographiam mihi familiarem,*

Diſpun-

Dispunctionem quoque mihi consuetam in his Epistolis occurrere : Indicem *denique in fine subjectum , meæ industriæ deberi , ne meos , si qui forte fuerint , errores* TOLLIO *imputes innocenti.*

Tandem denique , ut apud omnes , & ipsam deinceps Posteritatem constet , qua religione , qua fide , quo candore , in recensendo hoc Amici mei Opere , versatus sim , ipsas chirographas TOLLII *has* Epistolas Itinerarias , *& ad illas attinentia Schedia , in* Archivo, *quod vocant,* Academiæ *Nostræ* Duisburgensis *dedicavi & reposui , ut collaturis & commissuris edita cum* αὐτογράφῳ *copia hinc & facultas esset. Atque hæc erant , quæ Vos Lectores nescire nolebam.*



EPIGRAMMA

AD

Virum Nobiliſſimum atque Excellentiſſimum,

D. HENR. CHRIST. HENNINIUM,

Medicinæ Doctorem & Practicum Experientiſſimum, Ejusdemque Facultatis, ut & Hiſtoriarum, Eloquentiæ & Linguæ Græcæ Profeſſorem Celeberrimum:

in edendis *poſtumis* TOLLIANIS occupatum.



um poſitis a Te mœret Libitina tropæis,
Dum medicam afflictis undique tendis opem.
Rebus adhuc iſtis potes impalleſcere, ſcriptis
Talibus, HENNINI, tempora cara terens?
Scilicet ex ipſis educere faucibus Orci
Suetus, TOLLIADEM tollis & inde tuum.
Scilicet illa tui, invidiam anteſtabimur ipſam,
Ampla GenI dos eſt ingeniique penus,
Uni ut non natus ſis, Vir Præclare, labori,
Pluribus haud impar, dulcis Amice, Viris.

Amico ſuo æſtimatiſſimo

L. M. Q. applaudit

A. A. PAGENSTECHER. JC.

Reſponſum ad Epigramma præcedens.


on ego me tali cantatum dignor honore,
PAGENSTECHERE *o dulce decus Themidos!*
Hoc ſed cum venia ſi carmen adopto legentum,
TOLLIUS *& Tibi ſic, ut mihi, Amicus erat.*
Tu Lector laudes noſtras procul eſſe jubeto,
Nec Tibi, juratus teſtis, Amicus erit.
Dulcibus haud poſſum ſic impalleſcere Muſis,
Aeger dum nobis otia rara facit.
Gaudeo, ſi triſtes fugiant mea pharmaca morbi;
Hoc non ex Orci eſt faucibus eripere.
Hæc vere Tua laus, PAGENSTECHERE *Sacerdos*
Et Groninganæ Delicium Themidos:
Hæc contra Tua laus, qui Juris Corcula dia
In vitam ſolers e tenebris revocas.
TOLLIUS *eripuit ſeſe ipſe e faucibus Orci;*
Non Ego: TOLLIADAE *Fama parentat anus.*
Sed dum quæro viam, qua tandem me quoque poſſim
Tollere humo, tendit TOLLIUS, *ecce! manum.*
Cum venia Invidiæ fiant hæc: nam mihi certe
Parva GenI dos eſt ingeniique penus.
Huic uni natum fateor me rite labori,
Ut ſanctæ præſtem fœdus Amicitiæ.
Carmina, quæ porro nobis miſiſtis Amici,
Erubuit prudens hic pudor illa legi.
Attamen ingenuas hinc Vobis debeo grates,
Perpetuusque animi debitor hujus ero.

HENR. CHR. DE HENNIN.

J A C.



JACOBI TOLLII

Epiſtolæ Itinerariæ.

I.

ITER BEROLINENSE:

AD

Perilluſtrem, Nobiliſſimum & Ampliſſimum Virum,

DOMINUM

NICOLAUM WITSEN,

Cos. AMSTELAEDAM.



Probaturum me publico hujuſce itineris conſilium hinc jam certus ſum, VIR PERILLUSTRIS, quia probavi Tibi. Adeo enim penitus eximia de judicio Tuo opinione omnis generis hominum, qui Te Tuaſque animi dotes norunt, imbutæ ſunt, ut dubitare de re nefas putent, quam Tibi ſemel cognitam probatamque intellexerunt. Ad hæc ipſa Divinæ Providentiæ admirabilis mei cura, directaque non ad meum arbitrium, ſed ad altius conſilium; totius itineris origo, ratio,

dispositio securum me jubent esse famæ; sibique potius, quam dissentientibus hominum opinionibus obtemperare: deliniendos tamen illos esse existimavi, qui de me sequius opinantur; & annitendum, ut, si non ipsum illis iter approbavero, elegante saltem in perquirendis, investigandis, explorandis annotandisque Naturæ Doctrinæque deliciis, cura diligentiaque minus illud invisum reddam. Ignosces igitur Vir Perillustris meique amantissime, si quæ huic epistolæ inseruero, non tam Tibi, quam Aliis scripta, quibus harum *Epistolarum Hodœporicarum* fasciculos editio publica tradiderit in manus. Et auspicabor quidem more Pindarico ab insigni initio, ac velut corporis hujus epistolici fronte pulcerrima. Cum enim Trajecto discessurus GRAEVIO nostro, Viro, uti nosti, omni mea prædicatione majori, valedicerem, accidit forte, ut ejusdem Urbis Scholarum Moderator PITISCUS, Vir eruditissimus interveniret. Inter sermones, qui cædebantur, cæteros, facta a Viro summo est mentio Inscriptionum Roma sibi missarum, & in basi prægrandi inventarum uti nonnulla in his obscuriora consummatissimæ suæ Polymathiæ luce illustraret. Auditæ illæ & visæ ita placuere, ut exempla & petere ausus fuerim & impetraverim: nec dubito, Vir Perillustris, quin & Tibi placituræ sint. Ergo & adscribam:

P. SVFFENATI. P. F. PAL. MYRONI
EQVITI. ROMANO. DECV
RIALI. SCRIBARVM. AEDILI
VM. CVRVLIVM. LVPERCO. LAVRENTI
LAVINATI. FRETRIACO. NEAPOLI. ANTI
NOITON. ET. EVNOSTIDON. DE
CVRIONI. IIIIVIRO. ALBANI
LONGANI. BOVILLEN
SES. DECVRIONES. OB. ME
RITA. EIVS. L. D. D. D.

P. SVFFENATI. P. F
PAL. SEVERO. SEMPRO

NIANO.

NIANO. DECVRIALI
SCRIBARVM. AEDILIVM. CVRV
LIVM. FRETRIACO. NEAPOLI. EV
NOSTIDON. DECVRIONI. ET
SACERDOTI. APOLLI
NIS. ALBANI. LONGA
NI. BOVILLENSES. DE
CVRIONES. OB. MERI
TA. SVFFENATIS. HER
METIS. PATRIS. EIVS
L. D. D. D.

P. SVFFENATI. P. F......
MYRONI
EQVITI. ROMANO. DEC....
ALI. SCRIBARVM. AEDI.....
CVRVLIVM. LVPERCO....
TI. LAVINATI. FERETRIAC....
APOLI. ANTINOITON......
NOSTIDON. DECVR......
IIIIVIRO. ALBANI. ....
GANI. BOVILLEN........
MVNICIPES. OB......
EIV.. L. D. ....

Disquirebatur tum inter alia de voce ANTINOITON. dixi sententiam meam, videri collegium *Antinoitarum* fuisse, qui *Antinoo*, Hadriani quondam Delicio ministrarent, jam in Deorum numerum relato: EUNOSTIDAS vero collegium fuisse sacerdotum, vel quorumvis aliorum hominum vota *pro felici itu & reditu Principis* facientium. NEAPOLI vero multa istiusmodi olim Collegia veteribus Inscriptionibus memorata Vir ille Πολυμαθέστατος recensebat, sententiam meam confirmantia. hinc & de tempore conjectura facta; nimirum circa extrema

HADRIANI, vel tempore ANTONINORUM Inſcriptiones has lapidi inciſas.

Cum in ipſo itineris procinctu *Amſtelædami* ad Ampliſſimum & non civili modo Reip. tractandæ & adminiſtrandæ prudentia, ſed & literarum ſtudiis, ac ſingulari Poetica patriæ Latinæque Linguæ facultate clarum omniſque elegantiæ peritiſſimum, ac inprimis Statuariæ ac Picturæ intelligentiſſimum Virum, DN. JOANNEM SIX, Conſularem, valedicturus inviſerem, diligentius iterum Muſeum ac Cimeliarchium Ejus, Statuis ac Marmoribus Nummiſque Antiquis inſtructiſſimum perluſtravi, magnaque cum voluptate *Olympionicam*, ſummæ artis opus, conſiderans, deſcripſi ſubjectam hanc inſcriptionem:

ΟΛΥΜΠΙΑΔΙ
Σ Κ Θ·
Ο ΔΗΜΟΣ
ΔΙΟΔΟΤΟΝ ΔΙΟΔΩΡΟΥ
ΤΟΝ ΝΕΩΤΕΡΟΝ.

Erat & hæc:

ΖΗΝΟΔΟΤΟΣ ΜΕΝΕΣΤΡΑΤΟΥ
ΜΕΝΕΣΤΡΑΤΟΣ ΖΗΝΟΔΟΤΟΥ
ΔΗΜΗΤΡΙΑ ΦΙΛΟΞΕΝΟΥ

Lapidum delineationes ALMELOVENIO meo, pereruditο veteris Medicinæ Inventorum editori, commendavi.

Addam & ab ornatiſſimo adoleſcente GLANAEO Clivis, quod ad eam Urbem in deſcenſu fluminis adire non licuerat, transmiſſas alias, repertas *Camerini* in *Vet. ms.*

P. COSMO. CONIVGI. INCOMPARABILI
ET. T. P. CHRESTO. FILIO — *forte*: TIB.
DVLCISSIMO. P. IRENE
POSVIT. QVI. B. ANNIS. LXXVII — *i. Vixit*
QVI. BIXIT. ANN. XI. M. IIII.

D. M.

D. M.
COCCEIVS. FORTVNIVS
SIBI. ET. GALIAE. FELICISSIMAE
CONIVGI. Ꮦ. FILIBVS. LIBERTISQ. E

Rursus *Amstelædami* apud opum amplitudine, splendoreque vitæ spectatissimum Virum De Flines primi ordinis Mercatorem, inventa est a me hæc inscriptio:

ΑΤΕΛΛΙΑ ΧΑΡΙΤΙΟΝ
ΓΝΑΙΟΣ Δ
ΑΤΕΛΛΙΟΣ
ΠΟΛΥΒΙΟΣ

a Elegantior vero multis partibus est illa, reperta in insula *Chio;* quam addo mecum ab Amico communicatam; quoniam commoda hic se offert occasio ejus publicandæ:

ΑΡΤΙ ΣΕ ΤΟΝ ΘΑΛΛΟΝΤΑ ΝΕΟΙΣ ΕΠΙ ΓΥΜΝΑ
ΔΟΣ ΕΡΓΟΙΣ
ΑΒΑΣ ΚΑΛΛΙΣΤΟΙΣ ΑΝΘΕΣΙ ΤΕΡΠΟΜΕΝΟΝ
ΗΙΘΕΟΝ ΠΡΩΤΑΡΧΕ ΠΑΤΗΡ ΕΚΑΛΥΨΑΤΟ ΤΥΜΒΩΙ
ΟΣΤΕΑ Δ ΟΓΚΩΘΕΙΣ ΟΥΤΟΣ ΕΔΕΚΤΟ ΤΑΦΟΣ
ΠΡΟΣΘΕΝ Δ Ο ΠΡΕΣΒΥΣ ΠΙΝΥΤΩΙ ΔΕΔΜΗΜΕ
ΝΟΣ ΑΛΓΕΙ
ΙΣΙΑΔ ΩΚΥΜΟΡΟΝ ΜΥΡΕΤΟ ΘΥΓΑΤΕΡΑ
ΑΙΞΑΣ Δ ΑΠΛΗΣΤΑ ΠΑΛΙΝΔΡΟΜΟΝ ΕΛΛΑΒΕ
ΠΕΝΘΟΣ
ΠΡΩΤΑΡΧΟΣ ΓΑΜΕΤΗΝ ΓΑΡ ΣΤΕΝΑΧΗΣΕ ΛΙΗΝ
ΛΑΙΝΑ Δ ΟΓΚΩΣΕΝ ΤΑΔΕ ΣΗΜΑΤΑ ΤΑΣ ΓΑΡ
ΑΦ ΥΜΩΝ
ΑΙΔΗΣ ΓΗΡΟΤΡΟΦΟΥΣ ΕΛΠΙΔΑΣ ΩΡΦΑΝΙΣΕΝ

Non est autem, Perillustris Vir, vel Tui vel mei judicii, ut itineris totius veluti Diarium conscribam, & quos vel comites habuerim, quos vicos vel oppida ignobilia pertransierim, quæ-

que alia minuta id genus plura referam. Sufficiet potiora notaſſe. Prima erit, quæ mihi hactenus aſſidua fere fuit, ſingularis favente Numine felicitas & ſucceſſus, velificante mihi quaſi cœlo, mutanteque, prout res poſcebat, ut via foret commodior.

Itaque xx. menſis Januarii die, anni a N. CHR. cIↄ. Iↄc. LXXXVII. *Amſtelædamo* proficiſcens currum conſcendi, qui me continuatis die nocteque itineribus, quo deſtinabam profectionem, deferret. Nullum vel frigoris, vel nivium, vel imbrium hactenus incommodum ſenſi, quod moleſtum eſſet. Conſtrictæ modico gelu paludoſæ viæ celerem rotis tranſcurſum dabant: ubi pluvia aut nix cœlo lapſa, urbes me texere; & dehinc rurſus molle per glaciem iter. Prima memorabilis, excepta *Oſnabruga*, quæ noctu tranſita, viſa civitas *Hanovera*; egregia ſane, prout hujus declivis ad Oceanum *Germaniæ* ratio fert & conditio. Audiſti enim Vir Perilluſtris plus quam
ſemel, quam inelegans *Weſtphalia*, quam decantatæ ruri agen- 3
tium & fere opus ruſticum facientium incolarum ſint ſordes. Nolo de his nimis multa dicere, ne *Lipſianæ* animi ſimplicitati proximus pares *Libertatis Batavæ* pœnas dem: nec de cultioribus loquor urbibus, verum de vicis & ruſticis pleriſque manſionibus. Hoc enim vix tacere queo, hic vidiſſe me atque
uſurpaſſe ea omnia oculis, quæ non ita dudum apud TACI- 4
TUM *de Germanorum moribus* legeram; inprimis heros, uxores, liberos, familiam, jumenta, porcos, anſeres, gallinas, uno cuncta ſub tecto, cujus medium convexa ſui parte perforatum, fumum emittebat; ſic ut, qui in illum TACITI libellum commentarium ſcribere voluerit, *Weſtphalos* tantum adire debeat, inventurus illic uberrimam commentandi materiam. Ipſe nonnunquam in *Lappia* mihi vel *Samogitia* eſſe videbar, adeo omnia aſſidua fuligine nigricabant; niſi quod rubentes oculi non immerito dicerent convitia fumo. unum tamen inde percipi commodum video. nam in luctu veræ a fictis hic lacrumis diſcerni non poſſunt, adeo ut heres, cujus *fletus ſub perſona riſus eſt*, ea his in locis minime indigeat: porro oculi ſæpiſſime, præſertim tranſeunte in partes fumi acrimonia, conniventes vacillantem ſubinde ſtomachum, egregie ſuſtentare poterant. veruntamen, ſi quid in pagis minus cultum, id Urbium non-

nonnullarum diſpungit elegantia. ſed paullo poſt de his paucula accipies. Ut igitur ad *Hanoveram* revertar, Palatium illic minus mihi magnificum, nec pro dignitate PRINCIPIS ſat ſplendidum viſum, domuſque potius hominis privati, quam tam potentis & ditiſſimi DUCIS: adeo & ſtructura ipſa nullius ſpeciei eſt, & ſpatium exterioris areæ utrimque vel Privatorum ædibus, vel ignobili rivulo coartatum. Præclarius illud *Cellenſe*, licet oppidum ipſum *Hannoveræ* tam ambitu, quam ædium privatarum publicarumque magnitudine atque elegantia lubens cedat. inſigne vero eſt *Equile Hanoveranum*, equos, ni memoria me fallit, circiter CCXL. capiens, ex quibus plerique ſunt præſtantiſſimi.

Hinc ad viſendam *Wolffenbuttelianam Bibliothecam* properanti *Brunsvicum* occurrit, ſua nobilis cereviſia & perampla civitas, ſed minus elegans & nullius fere cultus. Cereviſiam quod attinet, cui *Mommæ* nomen, ea illic duplex eſt: Friſche Momm, id eſt Recens ſeu tenuior; & Schiff-Momm, ſive Nautica, quæ poſterior ſola curribus *Hanoveram*, dehinc, per *Viſurgim*, *Bremam*, & inde ad *Belgas*, *Britannos*, imo & uſque ad *Indos* devehitur. atque hæc quidem præſtantiſſima eſt omnium, quotquot bibi, cereviſiarum; ſed niſi perparum biberis, inebriaris facillime. Corrumpitur autem plerumque, admiſta primum aqua ab Aurigis, qui, niſi ſingularis adhibeatur cura, ſcitiſſime ſibi inde in itinere proſpiciunt, ne quam ſuſpicionem patiantur ſitis, quo nullum *Germanis* terribilius malum; dehinc, quicquid epotum, affuſa aqua ſupplent; deinde rurſus cereviſiæ alius, cujus etiam ſine aliquo ſaporis notabili detrimento quartam facile partem admittit, admiſtione ab earum regionum, ad quas ſolet devehi, cauponibus adulteratur. Monſtratum illic mihi *Tormentum æneum patentiſſimum*, quippe cujus orificii diameter *ulnam noſtratem* aliquantum excedit.

Cum vix aliud quidpiam viſu dignum videretur, *Guelferbytam* diſceſſi, ſive *Wolffenbutteliam* mavis. diſputant enim illic inter ſe de origine nominis: & mihi quidem poſterius magis probatur, quæ & JOH. REISKII, Viri Linguarum Orientalium & Humanioris Literaturæ callentiſſimi, ſententia, a *Luporum cubilibus* deducto *Germanico* etymo, quorum excisis nec-

necdum ſylvis hic magna copia. Incultum oppidum & ſordidum duo eximie cohoneſtant, *Arx* PRINCIPIS, quæ mihi prioribus multo viſa auguſtior; & celebratiſſima omnium præconiis *Bibliotheca* ab AUGUSTO Duce immenſis undique ſum- 6
tibus coemta. STENGERI, Viri Humaniſſimi, cui illius cura a PRINCIPE eſt demandata, comitas ea fuit, ut non accurate modo illam perluſtrarim, duo patentiſſima atria implentem, ſed & nonnihil inde acceperim, vel profuturum publico, vel certe placiturum. Primum eſt exemplum inſcriptionis in tabella plumbea; literis *Longobardicis*, inventa in ſepulcro LOTHARII una cum *pomo crucigero*, quod vocant, haud procul *Guelferbyto*:

LOTHARIVS DI GRA ROMANORVM IMPERA- 7
TOR AVGVSTVS REGNAVIT ANNOS XII. MENSES III. DIES XII. OBIIT AVTEM III. NONAS DECEMBRIS VIR IN XPO FIDELISSIMVS VERAX CONSTANS PACIFICVS MILES IMPERTERRITVS REDIENS AB APVLIA SARRACENIS OCCISIS ET EIECTIS

Alterum eſt excerptum e libro *ms. Chemico Græco*, HELIODORI, carmine jambico, cujus, ubi cum volente Deo *Viennam* venero, exemplum forte transmittam, collatum cum *ms. Viennenſis Bibliothecæ* CÆSAREÆ, aliisque, ut ſpero, Aliorum de eadem *Arte Chryſopœica* commentatiunculis auctum, quarum tum mihi deſcribendi facultatem itineris ratio non permiſit. Erant enim in eodem codice *Democriti* pſeudepigra- 8
phum *Fragmentum*, *Stephanus* & *Syneſius Gr. Lat.* ſi otium *Viennæ* erit, hos omnes fortean ſum deſcripturus. Accipe vero Vir Perilluſtris interea, qui illic mss. libri præcipui: & e Græcis quidem XENOPHONTIS nonnulla, PHILELPHI *Grammatica Græca*; & *Conſtantinus* LASCARIS *de Nomine & Verbo*; e Latinis QUINTILIANUS, TIBULLI duo codices non contemnendi, duo item bonæ notæ exemplaria VIRGILII in membrana; Chartacei partim, partim membranacei *Salluſtii* quinque; duo LUCANI cum *Gloſſis*; *Interpres* HORA-

TII *Cruquianus.* item SALLUSTII *Catilina* & PERSIUS antiquissimæ editionis, instar *mss.* Ostensi quoque mihi Codices
9 aliquot mss. prima CORVINIANÆ *Budensis Bibliothecæ* spolia, ubi ea urbs vel a Solymanno, vel a *Cæsareanis* occupata fuit, bonoque fato ab AUGUSTO *Duce* redemta atque hic recondita. In his *Marsilii* FICINI *ad* MATHIAM CORVINUM *Epistolæ*, & opuscula permulta alia, si non edita, digna visa, quæ ederentur; FONTII item *Notæ in* PERSIUM, *Orationes*, *Carmina*, & alia. Serico raso rubro involuti, & intus imaginibus elegantissimis Regis MATHIÆ, aliorumque illustrium Virorum, ipsiusque FICINI & FONTII, exornati codices magnificentiam vere Regiam præ se ferunt, & spectatores ipsa statim sui contemplatione in admirationem rapiunt. Erat & *Vocabularium ms. Italico-Arabicum*, cui *Tabulæ* duæ insertæ *Geographicæ Arabiæ Felicis* & *Aegypti*, ordo ipse vocabulorum & expressa *Italico* charactere pronunciatio perpulere me, ut illius editionem STENGERO primum, dein & REISKIO accuratissime commendarem. Ostensum mihi etiam est *Gazophylacium* PRINCIPIS & *Pinacotheca.* in illo multa curiosa; atque in his
10 *Teraph*, sive *Theraphinus*, seu *cranium humanum*, opere musivo cœrulei coloris segmentato incrustatum, arteque olim Magica ad Oracula reddenda conformatum: item *Nummi Antiqui* permulti, sed male digesti, vel non intellecti. Inter *Tabulas* nobilissimorum Artificum præstantissimas, maxime me nostratis illa movit ERASMI effigies, ab HOLBENIO depicti, gaudebamque tacite, eundem studiis atque armis honorem haberi. Non enim *Holbenianæ Erasmi effigies* minus sunt celebres, atque illæ *Apelleæ*, quæ ALEXANDRUM M. referebant. Inspexissem & *Armamentarium*, nisi Auriga intervenisset, qui *Goslariam* tendebat. Hujus enim oppidi mirificum me incesserat desiderium BASILII mei VALENTINI commendatione, apud quem frequens illius Metallifodinæ mentio, emolumentorumque & commodorum, quæ non intelliguntur, indicatio. Ne quis id, Vir Perillustris, temere ac vane a me dictum existimet, ab ipso certe didici, quæ ipsi Fossores & adstrictus jurejurando operum *Inspector* hactenus ignoravere, ac partim etiam nunc ignorant. Ego, quæ mea cura ab illo accepi, lubens ea, qua sum facilitate & candore, cunctis im-

pertivero, damnata invidia, quæ ſuæ unius ſervit utilitati.

Cum igitur in *Montis Rammelii* fodinas deſcendiſſem, ex- 11
primi verbis vix poteſt, quanta cum animi voluptate Naturæ beneficia ac luſus fuerim contemplatus. Videbam, detrahebam, tractabam manibus ſtirias *Vitrioli* diverſicoloris partim concretas, partim ſtillantes, & in ſubjecto pavimento in aliam rurſus formam conſtrictas. Hic *rubeus*, illic *virens*, alibi *candidior*, alibi rurſus *cæruleus* color mirifice omnia genera diſtinguebant. Quærebam, & diu fruſtra, negantibus Foſſori- 12
bus inveniri, ubi *virens* illud, duriſſimum, & omnes cryſtallos nativo ſplendore ſuperans *Vitriolum* eſſet. Forte e pueris aliquis aſſeveratione mea audita, vidiſſe ſe alicubi digiti longitudine fruſtum iſtiuſmodi, ſubjecit. Promiſſis hunc oneratum excitatumque inveſtigare juſſi. demiſſo igitur in puteum quendam brachio fruſtum mihi extraxit *quinum digitorum* latitudine, *octonum* circiter longitudine, tam pulcrum, ut nihil magis. Obſtupeſcebat ad hoc *Curator Fodinarum*, nihilque ſibi unquam tale cognitum fatebatur. Abſtuli igitur ſpolium hoc, tanquam diligentiæ meæ fructum, eo animo, ut Sereniſſimo Domino ELECTORI, Principi meo, harum rerum curioſiſſimo, dono darem. Sed ut infelix ſum, ita & hoc mihi mala Fortuna corrupit, dum impoſitum fornaci, ut aliquantum exſiccaretur, abſente me & inſcio, ab ancilla indito igne maxima ſui parte calcinatur. Relictas tamen nonnullas particulas, partim Viris duobus *Chemiæ* ſtudioſiſſimis, quorum poſt fiet mentio, *Berolini* dono dedi, elegantiam ejus *perſpicui viroris* magnopere admirantibus, partim adhuc ipſe domi ſervo; & Te, Vir Perilluſtris, ubi me benignum Numen ſalvum domum reduxerit, voluptatis hujus participem faciam, oſtenſis, quæ ſubmittentur, hujus ut & *rubentis*, *cærulei* & *albi Vitrioli*, *nativi* ſimul, & *factitii e Saturno*, generibus, cum *Mineralium* omnium fragminibus, quæ in illis fodinis reperiuntur plurima & diverſiſſima. Non enim *Aes* tantum, ſed & *Plumbum*, cui admiſtum *Argentum*, ibidem effoditur, item *Marcaſita*, *Alumen plumoſum*, *Miſy*, *Arſenicum*, *Zincum*, *Lapis Calaminaris*, & ſimilia alia. Quamvis autem multæ inde opes colligantur, permagna tamen earum pars corrumpitur, ignorantia poſſeſſorum bonis ſuis uti neſcientium,

qui-

quibus nunc e *Basilio* meo viam commodiorem patefaciam. Rivulus sive aqua ex ipso monte profluit, *Vitriolo* imbuta, uti e *rubro* asserum & laterum, quos radit, colore facile colligere est. Vocant eam Oppidani Das Wilde Wasser/ ad differentiam *Gosæ*, unde *Gostariæ* nomen, qua ad coquendam cerevisiam Cives utuntur. Hac calefacta & fervente conspersæ Mineræ (& potest facile ratio excogitari, qua aqua illa sine detrimento aut noxa fossorum calefiat) præsertim si addito fermento vim ejus exedentem auxeris, solvetur sensim compago *Sulfuris*, quo *Cupri* minera artissime est constricta atque concreta, sic ut non nisi ærumnabili labore multisque sumtibus perterebretur, ut pyrium pulverem admittat, quo incenso frusta quædam a reliquo corpore dissiliant, mox iterum parili labore comminuenda. Dici vix potest, quanto cum detrimento *animæ* ac *floris optimi* Minera illa *quindecies* ignibus torreatur, priusquam *Argentum* primum, dein purum inde *Cuprum* eliciatur. His omnibus incommodis Aqua illa, & item altera a Basilio indicata, obviam iri potest; & fieri posse, bis ipse in itinere, animi gratia, expertus sum. Multa id genus alia multum profutura, si res hujus loci esset, possem subjicere, quorum indicavi quidem partem, sed subobscure, Decimarum illic, nomine Principis, exactori *Philippo Christophoro* Berkelmanno, Viro humanissimo: verum, quod potissimum est, in commodiorem distuli occasionem, quomodo scilicet
13 ibidem sine ullo dispendio *Ferrum* in *Cuprum* mutari possit: cui transmutationi si *Stolbergense Ferrum* adhibeatur, quod aliquantum in se *Auri* continere ab Amico bonæ fidei accepi, certe jam ingens inde lucrum tam ad Principem, quam ad privatos redire Dominos possit. Si mihi tanta divitiarum parandarum, quanta acquirendæ scientiæ cupido animum perureret, erat ibidem amplissima ditescendi occasio; ut & *Mansfeldiæ*, ubi, quod effoditur, *Cuprum*, merum *Argentum* est, si quis recte & ex arte tractaverit. verum de his alias. Postquam curiosæ indagini satisfactum, ducente, non Sibylla, sed Fossore, ab Inferis ad Superos remeavimus, non tam arduo labore, atque illa *Virgiliana* præ se ferunt:

Facilis descensus Averni;
Sed revocare gradum superasque evadere ad auras
Hoc opus, hic labor est.

Contemplatus sum ibidem totam *Vitrioli* conficiundi rationem, 14
ut coquatur in *lixivium*, ut perpurgetur, ut concrescat in *crystallos*, & reliqua; quod opus *quarto decimo* demum die perficitur. Vidi & *Æris nativi* a suo *Sulfure* separationem per 15
subjectum ignem, qui *trimestris* labor; sustulique *Virginei*, ut vocatur, *Sulfuris* particulas, permittentibus, uti fieri solet, Ductoribus, tam puri, ut ipsos vulgares *Sulfuris flores* superaret: vidi & *Argenti* a *Plumbo Cupro*que secretionem; & ex *Plumbi* quidem Mineræ Saturninæ ternis ac sexaginta centenariis, septenæ, octonæ, nonæ quandoque *Argenti* puri Marcæ, seu Selibræ eliciuntur: E Mineræ vero *Cupri* 16
quaternis ac sexagenis Centenariis, Marcæ viginti: unde & inter pauperes referenda hæc minera est, quandoquidem, si cum aliquo fructu, triginta minimum, e tot centenariis, Marcas extrahi oportebat. Omnem fortean artis rationem clarissime & accuratissime exponerem, si *Latina* verba succurrerent, qui- 17
bus ipsa res scribi posset. Habent enim Artifices vocabula, Veteribus vel ignota, vel non tradita. verbi gratia, ut rem leviculam tradam, quis unquam, Vir Perillustris, de *Silvestri*, quis de *Virgineo Sulfure* audivit? ita tamen Fossores hi appellant sua lingua Jungfer-Schwefel & Wilder Schwefel / quæ a communi *Sulfure* distinguunt. Cum enim Mineræ subjecta ligna, & subditus his ignis est, tum ex ea *Sulfur* destillat, concrescitque in stirias purissimæ flavitiei. Hoc *Sulfur* optimum est, ut dixi, *Flores* communis *Sulfuris* adæquans, si non superans, appellaturque *Virgineum*: alterum exhalans in aquam colligitur, delabiturque in supposita vascula figulina; dein coquitur, fitque *Sulfur Commune*, superius in vase stellatum, ad instar Reguli optime stellati; quod mihi animadvertere perquam jucundum fuit: Tertium, quod ejicitur, rejiciturque, nullius est precii, vocaturque *Silvestre*. Voluptas; Vir Perillustris, quæ ex intuitu cujusque rei capitur, in chartas transfundi non potest; affunderem eam alias, quo longioris epistolæ molestiam levarem. Mirari tamen satis nequeo, malle Nostra-

ſtrates, liberos ſuos in *Galliam* mittere, ut peregrinos illic mores diſcant in ſuum ipſorum & patriæ damnum ſæpiſſime verſuros, quam ad has Naturæ & Artis delicias cognoſcendas in *Hercyniam Silvam*, quæ illarum longe feraciſſima eſt. Nullum ſane Metallum vel Minerale eſt, quod *Hercynii Montes* non ferant. Haud procul *Goſlaria*, *Cellerfeldiæ* & *Clauſthalii* ditiores multo ſunt *Argenti* fodinæ; *Mansfeldiæ*, *Cupri;* alibi
18 & *Auri.* Certe in rivis puri puti *Auri* grana reperta & Basilius teſtatur, & Accolæ ex traditione Parentum confirmant. ſed veriſſimum illud Ovidii: *de A. A.* III. 399.

Tu licet & Thamyram ſuperes, atque Orphea cantu;
Non erit ignotæ gratia magna lyræ.

Quamvis hæc ſufficere de *Goſlaria* videri poſſint, addam tamen aliquid, Vir Perilluſtris, quo delectabere. ubi nimirum rever-
19 ſus domum fuero, totius *Montis Rammelii*, quatenus effoſſus eſt, accuratiſſimam Tibi & publico delineationem exhibebo, cujus mihi humaniſſimus, quem ſupra dixi, Berkelmannus daturum ſe promiſit exemplum. magis gauderes, ſi & a Principibus *Hanoverano* & *Guelferbutenſi* impetrare liceret, ut eorum Mathematicus *Johannes Zacharias* Ernesti, Vir optimus, & antiquæ Germanæque fidei & integritatis, *Tabularum* ſuarum daret exemplum, quibus ille *Montis Hercynii* tractus, qui ſub eorum Principum ditione eſt, ærumnabili labore dimenſus ac deſcriptus eſt. Credo, Vir Perilluſtris, ubi hæc omnia videris ac legeris, lubidinem Te inceſſurum, emundarum in *Fodinis* partium, quas illi Ruckſen appellant. Quod ſi quis ipſos audierit Metallicolas, quantas ſpes foveant, quid ſi-
20 bi de *Virga* ſua polliceantur; aureos ſe montes re vera inventurum, ipſoque brevi *Mida* ditiorem futurum, facillime ſibi perſuaſerit, modo, ut illi, aures ſibi primum *Midæ* adaptarit. Et huic quidem *Virgæ* tantum tribuunt, ut etiam abditos Terræ theſauros ea inveniri poſſe exiſtiment. ubi roges, cur ergo non
21 diteſcant? vultu in Catonianam ſeveritatem compoſito, Diaboli nequitiam invidiamque prætexunt, illos abditos theſauros nunc huc, nunc illuc ſubtrahentis. Memorant & fabellas anilibus non diſtantes, de *Lapidibus* certa nota inſignitis, ſub quibus defoſſum *Aurum Argentum*que: cum repeteretur, ceſſiſſe,

nunc in profundum, nunc antrorsum, nunc retrorsum: reperiri, ubi quis carmine pio Diabolum abercuerit; inprimis autem id evenire, si quis alteri secretum aperuerit, cum eoque, defossum a se occultatumque thesaurum esse, communicarit. Auritus enim Diabolus est, & narrata alteri ipso citius percipit Apulejano asino. Sunt vero & alia istic notatu digna: in primis ipsa, in istis Montibus, *Viperarum* fœtura. vidisse se Vir ille, dum convexa montium metiretur, ajebat octuplicem unius *Viperæ* fœtum; *Viperas* ipsas majores unius ulnæ, minores dimidiæ æquantes longitudinem; venenum autem earum instar gummi Arabici. Sunt &, ad *Osterodam*, *Salamandræ*, nigro tergore, flaventibus maculis distincto, palmi longitudine, tam frequentes, ut idem ille Mathematicus *tricenas senas* in una se vidisse hora affirmarit. In *Templo Goslariensi Cathedrali*, in vitris Choro obversis hæc leguntur:

Conradus I. Imp. fundavit hanc Ecclesiam in Arce 22
Hercynia anno Christi *916*. in honorem Dei & Sancti Matthiæ.

Henricus III. Imp. transtulit in hunc locum anno Chri 1040. in honorem Dei & Sanctorum Simonis & Judæ.

Fridericus I. Imp. dotavit Privilegiis & exemtione anno Chri 1088.

Sepulta ibidem & *Imperatoris Filia*, imagoque exsculpta, o-
perculo diligentissime contecta, digna sane, quæ spectetur.
Est & ibidem pulcerrimus *Onyx*, Imperatoris nescio cujus
imaginem referens, sed videre non licuit, quod Nobilis ali-
cujus, Equitum turmæ Præfecti, tum temporis funus in Tem-
plo expositum foret. videbo tamen, an qua ratione, utriusque
comparare mihi possim delineationem. Habeo jam illas Cro- 23
donis & Busterichi, Deorum veteris Germaniæ, misissem- 24
que, nisi postea easdem Germanica lingua conscripto libro *de*
Veterum religione expressas offendissem. *Christophorus* Ar- 25
noldus, quantum memoria repeto, edidit, partem maximam

ex

ex *Anglico* verſum. actum igitur agere nolui: nec tamen ea me religio, quo minus neglecta ſuperius nunc revocem, impediet. In interioribus fodinis Foſſores nudo corpore agunt, niſi quod campeſtre, ſæpe & cingulum tantum pudenda tegat; delabentemque, calore inſito montium, ſudorem ligneis ſibi cultris deradunt. putabam me, Vir Perilluſtris, in antro verſari Vulcanio, ubi

Brontesque Steropesque, & nudus membra Pyracmon.

Et hi quidem ita nudi media hieme ipſas calcant ſæpe nives; cumque ego veſtitus frigore horrerem, illi nudo pectore me deducentes frigus ne ſentiebant quidem. credo idem illis, quod mihi, fuiſſe conſilii; &, ut ego iter hoc ſuſcepturus futuras mecum commentans miſerias ſtomacho meo hanc conditionem tuli, ne quid ægre ferret; ſed omnia, quæ in *Weſtphalia* & toto reliquo itinere, offerrentur edulia, Spartana nobilitate concoqueret; ita & illos membris ſuis eandem dixiſſe legem, ne quod ſentirent frigus. Quod ſi Quartilla Petroniana hoc ævo vixiſſet, inveniſſet hic fortaſſis Quartanæ remedium.

Cum quadam animi necdum ſatiati ægritudine *Goſlaria* relicta, *Halberſtadium* pervenimus, urbem non inamœnam & famigerabilem cereviſia ſua *Breuhano*. Hic nobis, Vir Perilluſtris, ad tempus deponenda perſona eſt, quam Fortuna cuique noſtrum impoſuit. Lubet enim jam ridere, &, ni me fallit opinio, ridebis ipſe. quid enim ridiculum magis, quam quod in porcorum haris de munditie cogitetur? Quæſo Domine, ſi quid iſtiusmodi dixero, ne ægre feras. inprimis tamen præfanda venia eſt, honoſque auribus petendus, ut *Germanæ*, quam diſcere incipio, gravitati ſatisfaciam. Rogabam multis verborum ambagibus, monſtrarent locum, ubi Naturæ poſſet ſatis fieri, illi ſcilicet, ne quis Gallus gallinaceus aliter interpretetur, quæ exonerari ſeſe onere deſiderat moleſtiſſimo. indicavere ſeceſſum, & tradidere claves. Cui rei claves? roganti reſpondere: *ut ſolis honeſtioribus honeſtiſſimus ille pateat locus, ruſticis claudatur.* Obſtupui ſane ad hanc *Weſtphalorum* munditiem, nec potui non ſatis mirari, ubi omnia non cum ruſticis tantum, ſed & cum canibus & ſuibus fere communia eſſent, menſa, cubiculum & ipſe ſæpe lectus; ejus partis cu-

curam geri singularem, rusticosque ab honestioribus illa distingui. Apponam adhuc aliqua de illa, quam dico, incolarum in his oris munditie. nam ad Rhenum & in reliqua Germania sunt omnia cultiora & nitida. ac primum quidem, cum mensa sternitur, mappa injicitur tam elegans & munda, tantaque colorum varietate distincta, ut nisi tetrior aliquando fœtor nares tangeret, Porphyreticum esse Marmor jures. Postea mantile 26
non, nisi in nobilioribus mundissimarum urbium diversoriis, aut vix datur. Tum quod in his locis Vina non proveniant, *Breuhani* nomine illa, quam dixi, *Halberstadensis* Cerevisia, & aliis in locis *Servestana*, vel alia quævis *Cerevisia* apponitur. Ne tamen omnino *Vino* careant, *spiritum Vini* pro Vino sumunt: nec id inter aut post cœnam modo, uti *Calcantes* nostri *Gaudani* solent, sed & dum prandent. Vidi sane ita factitantes Viros Nobiles & magnificos, nequis hic de fæce me Aurigarum vilique popello censeat loqui. inferuntur tandem fercula exquisitissimæ suavitatis & conditurae. Ex his nil piscium jusculis elegantius. Quicquid apud Nos poni solet, meræ ad hæc sunt quisquiliæ & saperdarum ineptiæ. Legi ego *Trimalchionis cœnam* apud PETRONIUM: legi etiam apud PLINIUM Aliosque nonnulla de culina APICII; sed incomta hæc & horrens ora *Germaniæ* longe illas delicias Veterum superat. O quam sæpe delicatulas illas nostras & fastidiosas *Batavorum* mulierculas virgunculasque votis meis ad hæc convivia vocavi! jam videre mihi videbar corrugatas earum nares & commotum stomachum. sed hunc facile ipse Butyri & inprimis Casei intuitus recreasset; & hic quidem non ille

Hetruscæ signatus imagine Lunæ,

verum præstantior multo & egregia mucagine perviridis colore suo oculos etiam refecisset. Nosti enim, Vir Perillustris, affectos oculos *virore* plerumque restitui. Tum ipse odor, Dii boni! quam delectabilis! quam potis ducendis naribus! sic ut sæpe verbis Catullianis posses optare, *totum te fieri nasum.* Ad hæc, ne quid omnino desiderari possit, Artis an Naturæ haud facile dixerim, quot *casei*, tot fere automata. Audisti, pu- 27
to, de *volantibus columbis ligneis*, & *incedentibus arte statuis*, 28
aut lemma illud in DREXELII *Aurifodina* legisti de *Pomis* 29
am-

ambulantibus : hic mihi videre licuit ambulantes ſuapte *caſeos*,
quos, ut Atlas cœlum, vermiculi humeris ſuis attollebant promovebantque ; hos autem ſi irritares, ſaltu ſe in ora lædentium conjiciebant , & in oculos involabant , haud minus acriter , quam illa ſe *Terentiana* in *Pſeudeunuchum* factura comminatur *Pythias*. Ariſtophaneo hic *Socrate* opus fuerat , ad dimetiendos eorum , ut pulicum , ſaltus. Illud autem *Hiſpanorum* etiam moribus affine dixeris , quod pluribus in Diverſoriis nil niſi Cereviſia & cubiculum præbeatur , cætera a vicinis petantur , *Vinum* , *Spiritus Vini* , *Panis* , *Caſeus* , *Carnes* , & alia. Vinum certe , imo ſæpe & Cereviſia , ſuis in id ipſum deſtinatis ædibus auctoritate publica divenditur. At in Cereviſia quidem alicubi id obſervavi , ubi poculi duas tertias exhauſeris , ne qua ſuſpicio , credo , fæcis vel alicujus e ſubſidentia incommodi hoſpites reddere de calculo poſſit ſollicitos , tolli e veſtigio vaſa & pocula , etiamque non deſiderantibus rurſus apponi plena. Mi-
30 rifica ſane , quod ad hanc lucrandi artem attinet , induſtria hujus generis & profeſſionis hominum eſt in cauponando , ſed nec minor furandi libido , quamvis ſæpe ſordidiſſima , & unius aliquando ærei nummuli. deprehendi & in nonnullis , qui jam præſtantioris ordinis & conditionis caupones videri volebant , inſignem quovis modo lucrandi cupiditatem. memini cum apud tales , qui ſibi mihique honeſti videbantur , homines , Florenos monetæ alieni oſtenderem dominii , num & illic vale-
31 rent ? unus enim quisque fere Principum & Comitum Imperii jus cudendæ monetæ habet ; eoque nonnulli ita ſordi-
32 de abutuntur ad lucrum , ut in *ſedenis argenti puri*, ut vocant , *in Imperialem*, tertia fere pars nummi , purum putum *Cuprum* ſit : cum , inquam , alterius monetæ Florenos oſtenderem decem duodecimve , unum fuiſſe deſideratum ; quem tamen repetere , minime ex uſu meo viſum , ne quem furti arceſſere viderer, præſertim cum eorum opera indigerem. ſic & alibi ſubtractos neglexi nummos , quia *Pecuniam in loco negligere , interdum ſummum eſt lucrum.* Accidit item , ut diverſitor , perhumanus alias , quatuor ſibi , ut affirmabat , Imperialibus emtum quid eodem mihi traderet precio , quem jam ab aliis præmonitus , duobus id ipſum paraſſe thaleris non ignorabam. Contemſi tamen damnum , ne pudorem a-

C per-

pertiſſimi mendacii incuterem homini, cujus poſthac opera
uti decreveram. Sexcenta iſtiusmodi mihi obtigere, Vir Per-
illuſtris, quæ quod minuta ſint, negligo. Ut autem ad de-
licias noſtras *Weſtphaliæ* revertar, ubi jam bene paſtus po-
tusque quis fuerit, lectus in quibusdam locis; in pluribus 33
autem idem, quod & beſtiis, ſtramen pro lecto ſubſternitur.
O quam mihi dulce ſæpe cantillantium, ridentium, ſtoma-
chantium, altercantium, ruſticorum, aurigarum, vectorum,
peregrinantium, utriuſque ſexus, omnisque ætatis, in eodem
hypocauſto ſive cubiculo, conſortium! Quin &, ne me o-
mnes omnino elegantias dediciſſe exiſtimes, ad latus ſæpe
dormientes puellæ feminæve: utrum enim virgines eſſent,
explorare per tenebras non licuit: &, quod in recens viduo
magis mirere, intactæ, veluti de fraterno veſticontubernio,
ſurgentes! Accedit ad has delicias mira hominum comitas.
ubi intraris diverſorium, ni prior ipſe ſalutaris, ſalus nulla
dicitur; quin & dicta jam ſalute, ſi quid roges petasve, pro
innata ſua morum gravitate poſt horæ ferme quadrantem de-
mum reſpondent. Uti nos *Batavi* Grobiani illis ſtupidique
ſumus, exiſtimabam in initio, aut me non intelligi, aut
ipſos ſurdos eſſe. Tan- Tan- Tandem denique verbum unum
eructatur, & oſtenditur hypocauſtum. Cætera, quæ non
aſſidua peti ſolent flagitatione, ſilentio transmittunt Pythago-
ræo. Lege, ſi operæ precium videbitur, ERASMI *Colloquia*,
ubi *Diverſoria* deſcribit, fatebere, nil mutatos mores. Et
tale quidem vulgus: ſed ab Honeſtioribus ſane multa mihi ex-
hibita humanitas. In his numero, quos *Halberſtadii* offendi,
Viros duos comiſſimi, &, quod ad *Metallorum* tractationem,
excultiſſimi ingenii: quorum alteri BRACHMANNO nomen,
qui Satrapa *Werningerodanus* erat, *Amptmannum* vocant; al-
teri REICHELMIO, J. U. L. Ille egregia multa de *Metallifo-
dinis Werningerodenſibus*; Hic de *Salifodinis*, ſeu puteis *Hal-
lenſibus* referebat. plurimum ſane e doctiſſimis eorum colloquiis
profeci: & ſi ita porro Fortuna favitura eſt, ut in plures id ge-
nus eruditos homines incidam, permagnam mihi *Metallicarum
Rerum* notitiam compararo, domumque, pro *Profeßore* Li-
terarum Humaniorum, *Metallurgus* revertar. Eximium, ut
ajebat Ille, *Werningerodæ* lucrum fieri poſſet; ſed exhauſtis 34
jam


Pag. 19.

jam ante accolis ac poſſeſſoribus pecuniæ ad excolendas fodinas deſunt. Nolo enumerare, quæ illic *Mineralia* proveniant: *Argenti* certe copioſi permagna ſpes eſt. Hoc tamen velim ſcias, in nullum genus hominum carmen illud de *Spe*, quod in
35 *Veterum Poetarum Catalectis* exſtat, magis convenire, quam in Metallorum Cultores. Omnes certe ſpe ditiſſimi ſunt, ut meros jures eſſe Alchemiſtas, qualis ego, vel BECHERUS.

Halberſtadio relicto *Magdeburgum* ſub ſeram veſperam advenimus; unde, quum mane inde rurſus diſcederem, non ex lubidine mea urbs illa mihi perluſtrata eſt: quantum tamen in tranſitu videre licuit, bella & ad *Albim* ſat commode ſita fuit viſa. In itinere, dum forte cum Auriga jocari lubet, quod hic hominum genus ipſis ſtipitibus elegantius eſt, & ipſa ruſticitate amœnius, oſtenſæ mihi ab eodem binæ, & duobus quidem locis ingentium, in longum porrectæ *lapidum ſeries.*
36 En Tibi, qualem memoria ſuppeditat, rudem illorum delineationem. Conditæ ſub his, ut volunt, veterum *Germanorum* reliquiæ, adeoque priſca *ſepulcrorum* hæc ſunt monumenta. verum de his poſt plura.

Brandeburgi, quod noctu urbem eam tranſirem, Templum illud in proximo colle antiquiſſimum, cujus ætatem ad *Cæſaris* uſque tempora referunt, viſere non licuit. At hoc quidem maximum incommodum viſum, quod ex uſu vehiculorum veredariorum in hoc itinere conficiundo percepi. noctu enim diuque, absque intermiſſione pergunt, niſi quod horis meridianis & veſpertinis, dum mutantur equi, hora una aut altera ad capiendum cibum conceditur. Reliquorum, quæ graviora, pluviæ, imbrium, grandinis, nivis, frigoris, clementius & favens mihi, ut dixi, cœlum gratiam fecit. Vix enim toto illo tempore tantum frigoris ſenſi, quantum domi ſæpe pauculis horis antemeridianis in noſtris vel curribus, vel navibus. Nivem ſemel humidiorem flans a tergo ventus per horam immiſit, ita tamen, ut ne pallium quidem permadefaceret. Alias hi Currus non tecti, noctu præſertim perincommodi ſunt. in
37 his etiam præfractam *Germanorum* PRINCIPUM antiqui, quamvis duriſſimi, peregrinantibusque moleſtiſſimi, moris obſervantiam non potui non improbare, præſertim cum exemplum de tectis noſtratium vehiculis capere liceat, quorum *Narda Oſ-*

nabrugam usque commodissimus est usus. Quare ne quid, quod post noceret, incommodi, ex eorum continuato usu caperem, ita iter meum, interjectis rerum curiosarum spectaculis, distinxi, ut integrum biduum cum una nocte in curribus continuarem; mox iterum quiete capta corpus animumque reficerem. Sic interpolatis itineris molestiis tandem Lunæ die, tertiam post hebdomadam, quam *Amstelædamo* discesseram, *Potsdamum* veni: ubi quid viderim, audiverim, observarim, in alteras, Vir Perillustris, literas conjiciam. Nam ne & hæ nimis Tibi prolixæ videantur, jure quidem mihi videor metuere. Addam igitur amicum illud tantum, quod e veteri formula, VALE! Dabam *Potsdami*, XII. *Februarii*, secundum fastos emendatiores, anni a N. CHR. cIↃ. IↃc. LXXXVII.

HENR. CHR. HENNINI

Annotationes & Observationes ad Epistolam I.

1. ZΗΝΟΔΟΤΟΣ ΜΕΝΕΣΤΡΑΤΟΥ.] Addo hic marmoris ejus delineationem. videntur in ea, ut puto, Pater *Zenodotus*, Mater *Demetria*, Filius discens *Menestratus*, cum libro: habitu Græcanico.

2. *Elegantior vero multis* &c.] Sunt mihi *Johannis* LASCARIS, *Rhyndaceni*, *Epigrammata*, *edit. Paris.* 1544. quibus in fine hoc Epigramma manu eleganti adscriptum est, a curioso quodam harum Deliciarum Viro. exinde TOLLIUS meus illud exscripsit. superscribitur: Εὑρέθη ἐν Χίῳ. Sic autem legitur.

Ἄρτι σε τὸν θάλλοντα νέοις ἐπὶ Γυμνάδος ἔργοις
Ἄβας καλλίστοις ἄνθεσι τερπόμενον,
Ἤϊθεον, Πρώταρχε, Πατὴρ ἐκαλύψατο τύμβῳ
Ὀστέα δ᾽ ὀγκωθεὶς οὗτος ἔδεκτο τάφος.
Πρόσθεν δ᾽ ὁ πρέσβυς πινυτῷ δεδμημένος ἄλγει
Ἴσιαδ᾽ ὠκύμορον μύρετο θυγατέρα.
Ἀΐξας δ᾽ ἄπληστα παλίνδρομον ἔλλαβε πένθος
Πρώταρχος, γαμετὴν γὰρ στενάχησε λίην.

Λαΐνα



Λαῖνα δ' ὤγκωσε τάδε σήματα· τὰς γὰρ ἀφ' ὑμῶν
Ἅδης γηροτρόφους ἐλπίδας ὠρφάνισεν.

in verſu autem primo pro νέοις mallem legi νέων. verſu ſecundo Ἅβας, puto eſſe pro Ἥβης, Dorice. verſui quinto pro πινυτῷ, margini mei libri adſcripſerat eadem manus docta: πικυνῷ. ſed utraque vox nullius aut ſenſus aut uſus eſt: itaque mallem πυκινῷ, πικρῷ, aut πιναρῷ. verſu ſexto libens legerem, ob ſenſum, Πρωτάρχου, niſi P. & F. fuerint cognomines. verſu nono lege ὤγκωσεν ob metrum: & ἡμῶν ob ſenſum. Forſan ſic reddi poſſet:

Florentem nuper ritu ſtudiiſque Palæſtræ,
Ætatis pulcris floribus ingenuum:
Te Juvenem triſtis Genitor, Protarche, ſepulcro,
Oſſaque turgidulo condidit hic tumulo.
Olim fata idem Senior, ſuperante dolore,
Iſiadis natæ flevit acerba ſuæ:
Nec tamen hic finis: rurſus renovare dolores
Protarchi, Uxoris funera mœſta jubent.
Pro Tumulo lapis eſt: ſolatia grata ſenectæ
Sperata, heu! nobis invida mors rapuit!

Lector autem benevolus obiter notet, quod in ejus gratiam, ob facilitatem *Notas* noſtras ad verba TOLLII, & viciſſim, referendi, ſingulis Notis appoſiti ſint numeri, qui reſpondent illis, qui in TOLLII Epiſtolis ad marginem internum adnotantur.

3. *Quam inelegans Weſtphalia*, & ſeqq.] Ne novus quidam DOMANNUS, ut olim adverſus LIPSIUM, *Vindicias pro Weſtphalia adverſus* TOLLIUM paret, eique aurem Batavam vellicet, dicimus, ſingulis Gentibus ſuas eſſe laudes, ſua vitia. hæc ſane licebit ſine malignitate notare, ut emendentur. ſtultum enim eſt utique, reperta fruge, glandibus veſci; aut incultos mores præfracte retinere, ubi cultiores obvio ſunt exemplo. Sic *Luſitanorum* vitia & Diverſoria taxat paſſim in *Epiſtolis* CLENARDUS; *Hiſpanorum* vero *Hubertus Thomas* LEODIUS in *vita* FRIDERICI II. *Palatini lib.* VI. *p.* 101. *Germanorum* iſta jam olim ERASMUS *in Colloq.* quod *Diverſoria* inſcribit, ubi & *Anglos* aliosque taxat ſine mala fraude. Imo vero ipſi illi *Weſtphali*, quibus generoſior eſt erectæ mentis indoles, has vilioris popelli ſordes ſalſe rident, & emendari vellent. Audi decus illud *Weſtphalicæ* Nobilitatis, illuſtrem *Johannem Rotgerum* TORCKIUM, *Præpoſitum Mindenſem*, *Canonicumque Paderbornenſem ac Monaſterienſem*, qui, inter *Poemata* VII. *Illuſtrr. VV. p. m.* 329. *ed. repetitæ*, ad *Auguſtinum* FAVORITUM ita *Diver-*

ſoria Weſtphala depingit, ut non pigeat optimi Vatis ipſos priſcæ elegantiæ verſus adſcribere, Lectori ſine ullo dubio jucundos:

Quas mea delicias, quæ Diverſoria, *quæris,*
Weſtphala *Terra ferat? Rem paucis accipe. Nuper*
Me Minda *egreſſum vetus urbs* Herivordia *primis*
Excepit tenebris, poſt lubrica multa viarum.
Nox, & hiems, laſſique artus, & venter inanis,
Proxima cauponis me tecta ſubire jubebant,
Haud inhonorato fungentis munere; namque
Caupona hic Patrum eſt, non vilis cura popelli.
Officioſus adeſt, meque introducit in ædes,
Mox hypocauſtum aperit: Nioben habitare putares,
Cella tot hæc pueris, tot erat differta puellis.
Hæc ululat, rident aliæ, crepat hic nate fiſſa,
Cogitur hic ſomnos agitatis ducere cunis,
Mille alii crepitus, clamores mille ciebant.
Aufugio ſtomachans, & ſola cubicula poſco.
Ut libet, *Hoſpes ait: vaſtam me ducit in aulam,*
Squalidam & informem, nec egentem pulveris atri.
Pendula de muris aulæa pararat Arachne.
Frigore torquebar; longo tandem excita flatu
Emicat, atque atrum fuligine flamma caminum
Corripit. accurrunt: ingens imponitur igni
Cacabus, ut mihi Vulcanum ſimul atque camino
Defendat; vix jam ſtomachum voceſque tenebam.
Interea, veluti ſponſum opperiente culina,
Fervet opus, multum ſtrepitus, rerum nihil. urget
Me rabioſa fames: plures latraverat horas
Ventriculus, cum menſa tripes parva atque rotunda
Ponitur ante focum, modicis illata patellis
Fercula procedunt, pultes, fumoſaque perna,
Nigrum fertur olus, nigro farcimine cinctum;
Accedit gallina recens jugulata, nec illam
Hoſpes erat doctus vivam merſare Falerno,
Dura fatigabat dentes miſerumque palatum.
Neſcio quid cœnam claudebat quiſquiliarum.
At miſeram Sabaia ſitim cruciabat, & acris
Vappa inſtar veteris frontem caperabat aceti.
Ipſa mihi jam feſſa malis patientia ſomnum
Corporis atque animi ſuadebat mite levamen.
Hoſpita tum lento, ceu Junonis ſacra ferret,

In-

Ingreditur, suspecta gerens mihi lintea, passu.
Ah! *inquam*, propera mihi lectisternia, Mater
Aurea; *respondens multis ambagibus illa*
Præfatur, veluti pro Rostris Se & sua laudans.
Inde pari incessu, qualis cum corpore tectum
Molitur testudo suum, procedit, opusque
Aggreditur; multa Ancillæ præcepta ferebat:
Quæ dum forte moras plus justo sedula rumpit,
O stolidum caput! *ajebat:* nonne hoc tibi centum
Edixi vicibus? properas nimis, omnia turbas.
At mihi prorumpens turbabat viscera bilis.
Tandem compositis magno molimine stratis
Expediunt scopas: Mediis quid noctibus ædes
Verritis? *exclamo.* Sic fas est, *Hospita lenta*
Voce refert, mundis Laribus Proceres decet uti.
Densa pavimento nubes it in aera tetri
Pulveris, hæc nares atque ora oculosque manebat
Mundities tortura meos. O denique dulcis
Post mala tanta quies!

4. *Apud* TACITUM *de Germanorum moribus.*] Innuit, ut puto, maxime *cap.* 20. *In omni domo nudi ac sordidi, in hos artus, in hæc corpora, quæ miramur, excrescunt. Sua quemque mater uberibus alit, nec ancillis ac nutricibus delegantur. Dominum ac servum nullis educationis deliciis agnoscas. Inter eadem pecora, in eadem humo degunt.*

5. JOHANNIS REISKII.] Erat hic *Gymnasii Guelferbytani Rector*, Vir multis lucubrationibus doctissimis Erudito Orbi notus. Scripsit enim Dissertationem *de Cornu Ammonis, quod Veteres vocarunt, Agri* Brunshusani & Gandersheimensis *lapide, quem vulgo* Draakenstein *nominant, insertam Ephemer. N. C. Soc. Leopold. Dec. II. anno VII. sive* 1669. *p.* 160. *& seqq.* item *de Vaticiniis Sibyllinis, pluribusque, quotquot* CHRISTI *natalem præcessisse leguntur: ad libellum bis editum V. C.* IS. VOSSII: accessit *de Numnis duobus Sibyllinis dissertatio*, 1688. *Lipsiæ*, 8. cujus libri occasione controversiæ serram cum Viris quibusdam doctis reciprocavit. item *Exercitationes de Imaginibus* CHRISTI, *quotquot vulgo circumferuntur, cum fig. æneis:* accessit *Exercitatio Philologica de Lingua* CHRISTI *vernacula. Jenæ* 1685. 4. item *de Glossopetris:* item *recensuit notisque ac appendice adornavit, in libros IV. distinxit & capitibus divisit* Wolfgangi DRECHSLERI *Chronicon Saracenicum & Turcicum a* Georgio FABRICIO & Johanne ROSINO *emendatum auctumque: Lipsiæ* 1689. 8. & alia nonnulla Orbi erudito approbavit. Idem Vir Doctus Nummorum Veterum est admirator, habetque inter eos æreum CONSTAN-

STANTINI cum Inſcriptione: S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. debuitque TOLLIUS, ut mihi ipſe narravit, ejus Viri humanitati inſignem VALERIANI nummum argenteum, quem poſt Sereniſſimo ELECTORI dono dedit: vide mox *Epiſt.* II. *in principio:* eidem REISKIO Noſter TOLLIUS accepta tulit Naturæ progermina nonnulla rariora, dono ſibi data.

6. *Bibliotheca* ab AUGUSTO & ſeqq.] In hoc omnium Artium ac Scientiarum, Reique Literariæ ac Antiquitatum Theatro ampliſſimo iſta eſt ſeries diſpoſitionis Librorum ſecundum Materias:

1. Theologica.
2. Juridica.
3. Hiſtorica.
4. Bellica.
5. Politica.
6. OEconomica.
7. Ethica.
8. Medica.
9. Geographica.
10. Aſtronomica.
11. Muſica.
12. Phyſica.
13. Geometrica.
14. Arithmetica.
15. Poetica.
16. Logica.
17. Rhetorica.
18. Grammatica.
19. Quodlibetica.
20. Manuſcripta.

7. LOTHARIUS *& catt.*] intelligitur LOTHARIUS II. ſive *Saxo*, Imperator, cui *Jura Romana* ferunt reſtituta, ſuaſu IRNERII. obiit anno CHRISTI 1138. aut, ut Alii, etiam medii ævi, Scriptores narrant, 1137. in itinere, per Auctumnum, ajunt; ſed hic initium hiemis verius, ut puto, III. *Non. Decembr.* definitur. Sepultus fuit in *Lotharia Cæſarea*, Kaiſers Luter / Monaſterio Saxoniæ, *Guelferbyti* vicino, cui & originem & nomen ipſe dederat.

8. DEMOCRITI Pſeudepigraphum *fragmentum*, STEPHANUS & SYNESIUS *Gr. Lat.*] Conr. GESNERUS in *Bibliotheca* aucta per *Joſiam* SIMLERUM ſub DEMOCRITO *Abderita* addit: „ Ejuſdem *Phyſica* περὶ „ χυμείας ſeu *de Arte Sacra* cum Commentariis SYNESII & STEPHA-

„ NI

„ NI cujusdam *Græce* manuscripta habet *Johannes* DEE, *Anglus.*

9. CORVINIANÆ *Budensis Bibliothecæ* spolia.] Credo ex prima dissipatione anni 1526. omnes autem illi libri holoserico villoso rubro sunt vestiti.

10. *Teraph* sive *Theraphinus*, seu *Cranium humanum*, & seqq.] Cur *Theraphimum* vulgo appellent hoc *Cranium* & TOLLIUS eos secutus, nescio. Forte aliquis Doctus, Rabbinorum somnia huic *Cranio* adaptavit. nam ELIAS *Tesbites*, *Germanus*, *h. v.* ex *Capitulis Rabbi* ELEAZARIS *c.* 36. *ed. Ven.* 1544. ita ait: *Inveni, quod in hunc modum fiebant* תרפים: *Mactabant hominem primogenitum, cujus caput torquendo præscindebant* [מלקין את רושו ita *Paullus* FAGIUS in *Lex. h. v.* & *David de* POMIS *in* צמח דוד *p. m.* 236. *edit. Ven.* 1587. vertunt; at *Joh.* SELDENUS *de Diis Syr.* I. 2. *p. m.* 24. melius vertit: *ungue secabant*, aut *manibus discerpebant*] *quod postea sale & aromatibus condiebant, scribebantque super laminam auream nomen Spiritus immundi, qua supposita capiti ejus, ponebant illud in pariete, incendentes coram eo candelas, & adorantes coram eo cum quibusdam orationibus, atque cum hujusmodi locutus fuit Laban.* Sequor POMARII, *Medici atque Philosophi Hebræi*, versionem, qui tamen FAGII vitula, ut solet in plurimis, aravit. Eadem fere habet ψευδώνυμος BEN UZIEL *Paraphrastes Pentateuchi ad Gen.* XXXI. 9. quod fuerint *Imagines loquentes arte Magica*, tradit etiam RASCHI sive R. SCHELOMO JARCHIADES ad II *Reg.* III. 24. Idem *Tesbites* l. l. addit: *Caput fuisse pueri primogeniti, & sacrificati in honorem Dæmonis; conditum, ut a putredine diu illæsum perduraret: responsa dedisse consulentibus & interrogantibus.* Sed primo erravit cum ELEAZARO ELIAS *Levita*, si credimus GAFFARELLO *Curios. Inaud.* c. 3. §. 5. qui sic accipit *l. l.* Gallica Latine reddente *Gregorio* MICHAELIDE, *p. m.* 63. *Mactato homini avulsum caput, quod aromatibus conditum, sicæque aureæ, cui Spiritus immundi nomen, qui colebatur, inscriptum erat, infixum, de pariete pendens, ignibus circum accensis adorarent.* ita Ille. Deinde, esto, ita factos *Teraphos*: at quæ his cum *Cranio* incrustato *Guelferbytano* convenientia? Meliora tamen forsan de *Teraphis* disces ex *l. l.* SELDENI, & ex iis, quæ huic addidit *Andreas* BEYERUS; item ex *l. l.* GAFFARELLI, cui item plurima addidit & figuras MICHAELIDES, *Notis* 41--45. *p. m.* 197--212. *Athan.* KIRCHERI *Oedip. Tom.* II. *p.* II. *Synt.* 4 *p.* 259. *Synt.* 3. *p.* 197. 199. *S.* 4. *p.* 474. qui figuras item habet varias *S.* 4. *p.* 261. Verum, si licet veritatem sine fuco scribere, omnia ista puto esse, aut *Rabbinorum* vigilantium somnia; aut Eruditorum in vetustis tenebris dimicantium erudita, at incertissima, opinionum divortia, commenta, conjecturas, divinationes, nihil. Er-

D gone

gone *Cranium* illud, de quo agimus, non potuit λειψανοθρησκείας caussa sic adornari? sic Cæliti Sancto scilicet major apud imperitam plebem veneratio superstitiosa conciliari? Quid si fuerit olim, pro dira quorundam Veterum consuetudine, Poculum ex hostili cranio, ut oculis placeret, ita incrustatum? Certe hic Sinensibus mos est, cæsorum Ducum hostium crania vernigine obducta ad pocula adaptare, teste *Martin*-MARTINIO *Hist. Sin. lib.* V. *p.* 143.

11. *Montis Rammelii.*] Rationem nominis prodit *Georg.* AGRICOLA *lib.* I. *de Vet. & Nov. Metallis p. m.* 393. „ Metallum *Goselariæ* „ sic natum perhibetur. Quidam Nobilis homo, cujus proprium vo- „ cabulum, quo appellabatur, non proditur, equum, cui nomen erat „ *Ramelus*, in monte ad ramum Arboris alligavit. is ungulis, quibus „ ferreæ soleæ inductæ, terram quatit, verrit, atque ita reconditam „ *Plumbi nigri* venam integumentis nudavit: non aliter ac Pegasus ala- „ tus, ut Poetæ fingunt, aperuit fontem, dum ungula ferit saxum. „ ut autem Fons iste ex eo nominatur *Hippocrene*, ita *Montem* No- „ stri *Ramelum* vocarunt. hæc Ille. Passim autem in Operibus suis de hoc Monte agit AGRICOLA, ut *de R. M.* præcipue *lib.* VIII. *p.* 214. IX. *p.* 329. *Bermanni p.* 418. porro *lib.* I. *p.* 3. ait, „ *Plumbaria* jam „ *Goselariæ* ad sexcentos annos durasse inexhausta, quod ex *Annalium* „ monumentis conquiri possit. scripsit vero anno 1550. OTHO autem M. sive I. *Imp. Goslarienses*, cum aliis *Saxoniæ Misniæ*que fodinis, aperuisse fertur anno 968. teste *Andr.* ALTHAMERO *in* TACITI *Germ. p. m.* 157.

12. Quærebam & diu frustra, *& seqq.*] Noster TOLLIUS in *sapientia Insaniente p.* 6. hanc rem paullo clarius narrat his verbis: „ E „ BASILIO didiceram in *Rammelsbergensi Goslariæ*, Argenti, Æris, „ Plumbi & Vitrioli Fodina, *Vitriolum* esse *viride instar graminis*, & „ *pellucidum*, *suapte natura concretum in crystallum.* Cum hoc summo „ studio anquirerem, & *Inspectorem*, qui plures quam quadraginta „ annos in ea Fodina contriverat, rogarem, negavit Ille, tale sibi „ *Vitriolum* unquam visu audituve cognitum. Petii, ut in illud dili- „ gentius inquireret. Adstans forte puer, trusatiles vehas moliens, si- „ bi tale quid visum, subjicit, jussusque respicere, pulcerrima mihi „ adfert *gemmei Vitrioli Viridis* frusta, quæ *Berolinum* detuli, & istic „ alibique inter amicos distribui, pulcritudinem ejus summopere admi- „ rantes. Hæc TOLLIUS. Tu vide BASIL. *Oper.* II. *p.* 83. *ed. Hamburg.*

13. *Ferrum* in *Cuprum* mutari posset.] Hanc mentem nostro TOLLIO injecit sine ullo dubio BASILIUS, quem vide *part.* II. *p.* 82. ubi prodit modum consumendi *ferrum* per *Vitriolicum lixivium*, & terram impu-

impuriorem Metallicam, quam Schlich vocant. Fieri posse, agnoscit etiam ERKER. *Aul. Subterr. lib.* III. *p. m.* 236. & *Alv. Alonsus* BARBA libro primum *Hispanice* edito, dein *Germanice* verso I. 20. *p.* 68. *ed. Germ. Hamburg.* 1676. Vide, quæ notamus super *Epist.* V. *num.* 60.

14. *Vitrioli* conficiundi rationem.] *Vitriolum album* factitium est e Saturno: *viride* ex Venere per præparationem; quod fere *albo nativo* viribus æquale est. *Vitriolicum lixivium* effunditur ibi in XXVIII. receptacula rotunda lignea, illis Setz-fässer / quorum bina singulis XIV. diebus evacuantur. scilicet eo demum temporis spatio crystalli accrescunt arundinibus, quæ insertæ sunt parvis lignis. Coctum vero in Vasis plumbeis, illis Sied-pfannen / effunditur in *Receptacula refrigeratoria*, quæ appellantur illis Kühl-pfannen. *Vitriolum fervens* sive adhuc valde *calescens*, infundendum est in *Receptacula plumbea*; alias enim omnia alia corroderet, perque rimas erosas efflueret. Terra autem, ex qua *Vitriolum* est elixum, denuo ex aere vires novas recipit, fitque iterum denuo apta ad eliciendum Vitriolum. Confer *Laz.* ERKERUM *Aul. Subterr. lib.* V. & præcipue CARDILUCIUM *in Notis p. m.* 326. 327. & *Christian.* BERWARDUM in *Phraseologia Metallurgica interprete*, Germanice edito, *Berg-Phrases*, *p. m.* 39. 40. qui omnium optime *Goslariensis Vitrioli* conficiundi rationem exponit. Oblitus est TOLLIUS hic *Ochræ*, quæ *Goslariæ* ex aqua *Ochræ* deducta per canales in sua receptacula subsidet, & sic colligitur. *Ochra* autem per ignem magis magisque rubescit. Tu de ea vide accurate agentem *Georg.* AGRICOLAM *de Natura eorum, quæ effluunt ex terra, lib.* I. *p.* 90. *de Nat. Fossil. lib.* II. *fin. p.* 199. 200. & in *Bermanno*, sive *Dialogo de Re Metall. p. m.* 445.

15. *Æris nativi* a suo *Sulfure* separationem.] Vide in *Epistola* V. *Æris Metallici tractandi rationem*, ubi clarius hæc exponuntur.

16. *Selibræ.*] intellige *Unciarum octo*; tot enim *uncias*, sive *Bessem*, apud Rerum Metallicarum Artifices continet *Marca Argenti.* Vide AGRICOLAM *de Prec. Met. & Mon. p.* 339.

17. Si *Latina* verba succurrerent.] Attamen felicissime & Latinissime satis totam Rem Metallicam exposuit in Operibus suis AGRICOLA, quæ conscripsit super hoc Argumento. Imo *Glossarium Latino-Germamanicum* vocabulorum *Rei Metallicæ* subjecit tam libris *de R. M.* quam cæteris. quia palmam in hoc studio tenet, en indicem librorum: *de Re Metallica libri* XII. *quibus Officia, Instrumenta, Machinæ, ac omnia denique ad Metallicam spectantia, non modo luculentissime describuntur, sed & per effigies suis locis insertas, adjunctis Latinis Germanicisque appellationibus ita ob oculos ponuntur, ut clarius tradi non possint:* additur *Ejus-*

dem recognitus de Animantibus ſubterraneis liber. ap. Froben. Baſileæ 1561. *in folio* , ut vocant. eadem forma ibidem junctim : 1558. *de Ortu & cauſſis ſubterraneorum libri* V. *de Natura eorum , quæ effluunt ex terra libri* IV. *de Natura Foſſilium libri* X. *de Veteribus & Novis Metallis libri* II. *Bermannus ſive de Re Metallica Dialogus : additur Interpretatio Germanica vocum Rei Metallicæ.* adjecti utrique operi , cujus hæ ſunt optimæ editiones , *Indices luculenti.* adde ex Ejuſdem opere , *de Ponderibus & Menſuris ibid. in folio* , 1550. *opt. ed. libros* III. *de Precio Metallorum & Monetis* , a *pag.* 257. ad *pag.* 340.

18. In rivis puri puti *Auri* grana reperta , *& ſeqq.*] non BASILIUS ſolum id multis locis refert , ſed etiam ab ultima ſæculorum memoria noti ſunt *Tagus* , *Padus* , *Hebrus* , *Pactolus* , *Ganges*, aliique Auriferi amnes. quibus adde & noſtrum *Rhenum*. NONNUS *Panopolitanus*, *Dionyſiac.* XLIII. *vſ.* ... ex vero canit aliqua parte:

Νηρεὺς μὲν τάδε δῶρα πολύτροπα , δῶκε δὲ κούρῃ
Περσικὸς Εὐφρήτης πολυδαίδαλον εἶδος ἀράχνης·
Χρυσὸν Ἴβηρ πόρε Ῥῆνος , ἐχεκτεάνων δὲ μετάλλων
Ἤλυθεν ἴκελα δῶρα γέρων Πακτωλὸς ἀείρων.

verto :

Dona tulit Nereus hinc Ponto plurima , Natæ
Perſicus Euphrates picta ſed texta Minervæ:
Rhenus Iber pleno mox flumine contulit Aurum ;
Pactolus ſenior varii dat dona metalli.

OTFRIDUS , *Weiſſenburgenſis Monachus*, qui ſub LUDOVICO *Germaniæ Rege* , PII F. CAROLI M. Nepote ſæculo nono claruit , & circa *Rhenum* vixit , in *Teutonicæ* priſcæ *Euangelii Verſionis* ὁμοιοτελεύτης prooemio , in *Francorum* laudem , ita canit idoneus teſtis :

Zi nuzze grebit man ouh thar
Er inti Kuphar :
Joh bi thia Meina
Iſene ſteina.
Ouh thara zua fuagi
Silabar ginuagi.
Joh leſent thar in lante
Gold in iro ſante.

Caſcorum horum verſuum ſenſus eſt : „ in *Francorum* ad *Rhenum* re-
„ gio-

„ gionibus ex terræ visceribus erui *Metalla*, & *Cuprum*; ad Mœnum „ *lapides* sive *mineras Ferri feraces*; Satis etiam *Argenti* ibidem accipi; „ imo inter arenas *Aurum* legi. hæc ille. indicium horum locorum debeo *Marquardo* FREHERO *Orig. Palat.* II. 17. ubi de *Rheno aurifero* agit. scilicet, ut recte ait, e montium auriferorum fibris radicibusque abrasum *Aurum Rhenus* arenis suis involvit, & in certos vortices atque caveas congerit, quarum nomina in *Rheno* ibidem FREHERUS admodum XXI. recenset, nostris Gold-gründe / da gegoldet wird / unde improbo urinantium labore, non sine vitæ discrimine, una cum ipso *sabulo*, cui & ipsi nomen inde vernaculum, Gold-sand / adhæsit, e profundo haustum & extractum, multaque lotione tandem purgatum, in tenuissimis quibusdam grumulis, veluti ἀτόμων instar, comparet: quæ deinde adhibito hydrargyro in globulos aut lamellas coalita, monetæ aut monilium usibus serviunt, nihilo quidem quovis alio *Auro*, vel *Pannonico*, deteriora. Idque adeo jus *Auri fluvialis*, ut ita dicam, legendi non minus, quam *Fodinarum subterranearum*, PALATINUS *Princeps* inter potiora fastigii sui emolumenta, quæ *Regalia* vocamus, usurpat: quod a *Manhemio* & *Rheni Nicri*que *confluentibus*, *Saletionem* usque, diversis locis, per redemtores illos Aurilegulos etiamnum exercetur. Hinc & *Aurei Rhenenses*, Reinische Gold-gulden / originem primam & nomen habuerunt. Vide porro STUMPHII Schweitz. Chron. II. 3. *p.* 212. Placuit hæc paullo uberius enarrare, quia & curiosa sunt, nec, libro rariore, passim obvia. Sic & *Simera*, in ditione eodemque jure Serenissimi ELECTORIS *Palatini* Aurifer amnis est, teste MERIAN. in Beschreib. der Unter-Pfaltz / *p. m.* 46. unde etiam *Amnis Aureus*, Goldbach / vulgo vocatur. Hinc intelligis verba *Diplomatis*, apud FREHER. *l. l.* quo FRIDERICUS II. *Imp.* anno 1299. LUDOVICO Palatino Bavaro, *Ejusque heredibus donavit, & in rectum feudum concessit, omne genus Metalli, tam in Auro & Argento, quam in aliis, quod in terris patrimonii & feudi sui fuerit repertum, cum omni jure & utilitate exinde perveniente, & quem alias Imperator & Imperium percipere deberet.* de *Bohemia* testis est *Æneas* SYLVIUS *German.* c. 58. „ *Rhenus*, ait, *aureas* „ evolvit *arenas*. In *Bohemia* fluvii sunt, in quibus, ad magnitudinem „ ciceris, *Aurea* grana *Thaboritæ* reperiunt. ita *Æneas.* adde de *Silesia*, *Nic.* HENELII *Silesiograph.* p. m. 13. Tu, de *Auro fluviali*, studiose Metallorum Lector consule porro KLOCK. *de Ærar.* II. 28. §. 4. *& seqq.* *Noë* MEURERI Jag-und Forst-recht / *lib* V. *tit.* von Goldgründen des Rheins: *Tielemanni* FRIESEN Müntz-Spiegel IV. 35. ubi flumina pleraque *Auro* fertilia enumerat: quibus adde *Edderam*, Comitatus *Waldeccensis* fluvium, *Joh. Balth.* SCHUPP. *Antenor.* c. 7. de *Americæ fluminibus Auriferis* consule *Alvari Alonsi* BARBÆ *Artem Metall. Hispanice* & dein *Germanice* editam I. 26. *Petr.* MARTYR. *Dec.* I. *lib.* 11.

de *Er.* FRANCISCI Guineisch Americanischen Blummen-P. *p.* I, *p.* 226.227. Idem *p.* 27. de *Guineæ Auro fluviali* agit. de origine vera, *Auri fluvialis*, non enim flumina id generant, recte AGRICOLA disputat *de ortu & causs. Subterr. lib.* V. *p.* 76. 77. & *de R. M. lib.* III. *sub. fin. p.* 54.

19. *Montis Rammelii*, quatenus effossus est, accuratissimam delineationem, *& seqq.*] Eam Lector hic haberes, si promissis sua constitisset memoria; verum ea per oblivionem postea videtur obliterata.

20. De *Virga* sua.] Intelligit *Virgulam Mercurialem*, de qua vide *Epist.* V. & quæ ibi annotamus *num.* 62.

21. Diaboli nequitiam, &cc.] Dolendum sane, tot tantasque aniles nugas & superstitionum Gentilium reliquias inter illos, qui CHRISTI Doctrinam Euangelicam profitentur, superesse circa abditos, inquirendos obtinendos Thesauros. ita ferunt: Plutonios Thesauros fugienti faciles, quærenti difficiles esse; Magicis ceremoniis ac religioso silentio esse fodiendos; eos magis magisque per malos Genios rapi in profundum; custodiri a malis Geniis; hos excantandos; panem, cultrumve cruce signatum repertis esse injiciendum, ne evanescant, aut subsidant; imo defodiendis panem addendum, cruce signandos, carmine sacro adjurandos; canes nigros aut Dracones illis custodes incubare; certos dies illis reperiundis eligendos; Spectra apparere circa Thesauros; hos mutari sæpe in carbones; certis quandoque hominibus fato plusquam Stoico eos obtrudi per Spectra; hæc halitu afficere eos, quibus bene velint, qui deinde pallescant: consule, si tanti est, de his nugis *Joh.* PRÆTORIUM, diligentem earum Compilatorem, im Glücks-Topff *num.* 6. 7. 8. 10. 11. 15. 16. 82. 104--108. At enim, quia Diabolum superstitiosi fingunt Dominum omnium Thesaurorum, æquum erat, & Metalla ac Fodinas & subterranea regna, Illius potestati subjici. Hinc passim audias, esse in fodinis, maxime in ditioribus, *Cobalos*, *Virunculos* sive *homunculos Metallicos*, *Subterraneos*, *Montanos;* Germani eos appellant Schrötlein / Bergmännlein; de quibus videri possunt *Georg.* AGRICOLA, *Bermanni p.* 425. *de Animantib. Subterran. in fin. p.* 501. *Ludov.* LAVATER *de Spectris* I. 16. OLAUS MAGNUS *de Gent. Septentr.* VI. 9. PARACELSUS hos videtur *Gnomos* appellare, *Meteoror. c.* 4. at alibi passim eos vocari vult *Sylphos*, esse revera *Pygmæos*, ut etiam eos appellat, *Veterum;* vide *lib. Philosoph. de Nymphis, Sylphis, Pygmæis & Salamandris.* imo audet accerrime statuere, eos esse medios quosdam homunciones, animatos, interjecta inter homines & bruta specie; Vide præcipue *de Occult. Philos. tr.* V. qui agit *de homuncionibus & dæmoniis Subterraneis*; qua in nugacitate plures habet ὁμοψήφους, quos recenset *Petr.* TYRÆUS *de Appar. Spirit.* III.

CRODO



III. 2. Neque nudius tertius aut heri istæ gerræ subnatæ sunt. ante hæc fere VII. sæcula *Michael* PSELLUS, *Philosophus Constantinopolitanus*, ex relatione cujusdam MARCI, *Monachi*, *Mesopotamiæ* incolæ *in Dialog. de Operat. Dæm. p.* 41. *ed. Paris.* 1615. dixit, τοὺς μυχαιτάτους καὶ βυθίους τόπους, *ima Subterraneorum penetralium loca*, ut eleganter vertit *Gilb.* GAULMINUS, *Molinensis*, esse plena Dæmonibus: deinde *p.* 45. quintum genus *Dæmonum* facit ὑποχθόνιον, Subterraneum.

Summe DEVS pellas has nostri temporis umbras!
Et Veri toto luceat Orbe decus!

22. Conradus I. Imp. *&ca.*] Vitrea hæc Inscriptio, quia Temporum obscurat & perturbat lucem, minime nec istic in Templo, nec hic loco tam splendido legi debebat. quid enim? CONRADUS I. *Imp.* mirificis dissensionibus vexatus civium, vix ad clavum Imperii sedit, quare levi traditionum tibicine ista fulciuntur, non certis Historiarum monumentis: HENRICUS III. anno 1040. nondum erat *Imperator*; quippe qui anno 1056. quinquennis puer regnum auspicatus est. Itaque intelligi debebit HENRICUS, *Imperatorum* eo nomine dictorum II. sed *Regum Germaniæ* III. qui regnare cœpit anno 1039. FRIDERICUS autem I. Studiorum Fautor anno 1088. ne quidem natus erat, *Imperatoris* demum nomine donatus anno 1155. mortuus *Tarsi* in *Cilicia* anno 1190. quare aut male descriptus erit numerus, aut error erit in ipsa Inscriptione admissus.

23. CRODONIS.] Placuit hic addere ejus delineationem, prout eam accepit ab humanitate Cl. ERNESTI, Mathematici *Northusani*, TOLLIUS. Ex *Germanorum* meorum traditione, & eorum, qui ista exposuere, sententia & nonnulla ex mea, adscribo ista: Idolum hoc memorant, prisco ævo in arce *Hartzburgi*, quæ in monte *Hercynio*, inter montem *Melibocum* & *Goslariam*, sita est, & Saturburg quoque olim dicta, quasi *Saturni Arx*, cultum servatumque fuisse; monstraturque hodie ibidem loci, ad introitum Arcis, versus dextram, sedes prisca Idoli. Coluerunt illud *Saxones*, præcipue *Orientales*, & *Hercynii*, populi inter *Salam*, *Vnstrutam*, *Bodam* & *Okram*, fluvios siti: imo, si fides *Chronicis Veteris Marchiæ*, dicitur etiam CRODO cum ISIDE adoratus in oppido *Garlebi*, quod ab eo cultu nomen traxisse putatur, quasi diceres Crodo-leben, CRODONIS *vitam*. Species ejus hæc erat: *Senior virili vultu*, qui *curas* præferret, ut ostenderent, tempore crescere sapientiam experimentis partam sæpe repetitis. *Columnæ* insistebat; sic stantem regni sui columnam, si HORATII voce uti licet, innuebant. *Nudo capite* erat, apertæ mentis indicio. *Percæ*, cujus *pinnæ* sursum versus erectæ & *horrentes*, insistit; quæ res per varia symbola

bola exponi poteſt. nam *Perca* acerrime ſeſe *Lucio* oppugnanti & perſequenti opponit; ſic & ipſos populos decere, ut hoſtibus fortiter & imperterrito animo pro Libertate publica reſiſtant; aut ut ſuperbos repugnantesque hoſtes, ceu Lucii Percas, virtute ſua vincant, & ſibi pedibus ſubjiciant, fruſtra renitentes; aut *Perca* piſcis bonitate eximius ſalubritatis poteſt eſſe ſymbolum; vide Adagiographos Græcos Zenob. Diogenian. Suid. in ἀντὶ πέρκης σκορπίον. aut poteſt felicitatem piſcoſæ Saxoniæ, quæ multis fluminibus irrigatur, denotare, nam *Perca fluviatilis* laudatiſſimis ſaxatilium a priſcis noviſque Medicis annumeratur: Galen. *de Alim. Fac.* III. 28. Rondelet. *de Fluviat. Piſc. c.* 22. *Lud.* Nonn. *de Piſc. Eſu. c.* 24. adde Plin. *H. N.* xxxii. ii. Salvian. *c.* 14. aut, quod delicatæ gulæ luxus pedibus ſit conculcandus, nec ad os admittenda luxuriæ irritamenta. eo enim nomine olim infamis ἰχθυοφαγία. Columella VIII. 16. Varro *de R. R.* III. 3. Juvenal. V. 94. 95. & ſæpe alias. Ovid. *Faſt.* VI. 171. de *Dea Carna canit:*

Priſca Dea eſt: aliturque cibis, quibus ante ſolebat:
Nec petit adſcitas luxurioſa dapes:
Piſcis adhuc illi populo ſine fraude natabat.

Tu vide plura in hanc rem apud Nonn. *de Re cibar. lib.* III. qui eſt liber idem ille ſigillatim primum editus 1616. ac inſcriptus *de Piſcium eſu, c.* 24. Jam vero ſpeciatim cum Ausonio *Moſell. vſ.* 115--119.

Nec te, delicias menſarum, Perca, ſilebo,
Amnigenos inter piſces dignande marinis,
Solus puniceis facilis contendere mullis.
Nam neque guſtus iners, ſolidoque in corpore partes
Segmentis coeunt, ſed diſſociantur ariſtis.

Aut poteſt notare Crodonis poteſtatem, vim ac imperium in aquas, flumina, piſces, navigationisque præſidium ac tutelam. *Nudipes* eſt, quaſi reverentiæ divinæ cauſſa. nota ex Sacris Profaniſque *nudipedalia.* alii putant eo *Saxonibus* ſymbolo innui, potius per ſpinas nudo pede eſſe incedendum, ſeu quævis perferenda, quam Libertatem projiciendam. *Veſtis* eſt *candida*, innocentiæ, candoris, animique minime fucati index: *Cinctus linteus* item *candidus* & *volitans*, illibatam populi libertatem, & animos mutua concordiæ conſpiratione colligatos ſignificat. *Pectus* veſte *non tectum* apertam mentem, cor ſincerum & obviæ ſimplicitatis notat. *Siniſtra* in altum elevat *rotam*, mutuæ concordiæ firmiter conjunctæ, ut volunt multi, ſignum. quidni, cum Au-

sonio

SONIO *Epigr.* XII. *vſ.* 4. *rotulam* CRODONI, ut Temporis Occaſionisque Præſidi Deo, quæ ſtare loco nequeunt, paſſibus ambiguis volubiliter errantia, tribueremus? tum etiam non male *acutis ſpinis Percæ* inſiſteret CRODO, eadem ratione, qua Tempus apud PHÆDRUM V. 10. *curſu volucri pendet in novacula*, ubi doctos vide Enarratores. Imo & *itineris terreſtris* Vialem Deum CRODONEM notare poſſet; id enim *rota* quoque indicatur, ut docuimus in Notis noſtris ad BERGIER. *de Pub. & Mil. I. R. Viis* IV. 43. §. 1. ſic *Perca*, *iter navale* ſignaret. *Amphoram dextra* tenet, *aqua* repletam, *floribus* & *fructibus* vernantem: ſcilicet CRODO eſt Deus Temporis, quod roſas purpureas & violas fert; præſes eſt Aquæ, quæ omnia lætificat; flores frugesque nutrit; frigoris etiam hiberni, quod *aqua* notari volunt, curam habet Saturnium hoc idolum. verum liceat ſubtilius argutari: per *amphoram*, XII. partibus ſive *lamellis ligneis* conſtantem, atque VI. conſtrictam *orbibus*, innui poſſunt XII. *Menſes*, & VI. *manſiones Solis*, tres videlicet cis, & totidem uls lineam æquinoctii, quas ſingulas Sol eodem ſemeſtri bis permeat, itu ſcilicet, redituque: pendet *amphora* ex ἡμικύκλῳ ſive malis, *manubrio annulari*, quæ figura notiſſima eſt *Anni*, in orbem ſuum per eadem veſtigia ſemper revoluti. huc & *rotula* referri poſſet. *Sol* quoque *Saxonibus* antiquis cultus fertur, ſpecie ſeminudi hominis, columnæ inſiſtentis, capite & facie radiatis, & *flammea rota* in pectore, quibus calor, lux & celer motus ſignificabatur. *Caput nudum* cultus ſacri ceremonias, qui a *Saxonibus* aperto capite, ut etiam hodie fit, præſtitus fuiſſet, innui volunt: cur non liberum in omnia intuitum & nutum Dei? lego tamen in *Plutarchi Q. R. c.* 11. *Saturno* ſacra facta aperto capite: inter alias cauſſas addit, quod veritati nihil opertum ſit, nihil occultum: nam *veritatis Patrem* a Romanis *Saturnum* dici; addit cauſſam *c.* 12. quia Κρόνος, ſecundum multos Philoſophos ſit Χρόνος, & veritatem eruat Tempus: *c.* 13. ait, etiam *Honori* ſacra facta aperto capite. Everſum hoc idolum, non ſine verborum contumelia, tradunt a CAROLO M. qui ejus loco Baſilicam *Salingſtedæ*, quæ hodie *Oſtervica* eſt, S. STEPHANI honori conſecravit. HENRICUS IV. *Imp.* deinde dicitur, ad ſiniſtram in Arce *Hartzburgi* CRODONIS priſcæ ſedi oppoſuiſſe *Templum*, ditatum multis reliquiis ex urbe *Aquisgrani* & *Treverorum* tranſlatis; quæ una cum *Templo* iſto conflagrarunt bello *Saxonico* anno 1074. Poſtea aliud parvum Templum eodem loco reſtitutum eſt, ad quod olim plurimæ peregrinationes religioſæ, neſcio quorum ſacrorum cauſſa ſunt factæ. VOSSIUS *de Idol* II. 33. & IX. *c. ult.* vult, præeunte KRANTZIO, nomem KRODI ſive KRODONIS eſſe idem, quod *Saturni*, a *Græco* Κρόνῳ, τῷ ν mutato in δ. *Georg* FABRICIUS *Orig. Saxonic. lib.* I. *p.* 61. ita deſcribit: „ Qui Gentis Annales „ prodiderunt, Numen populare memorant, CRODUM quendam,

„ Messoris specie, qui cinctum lineum gestat, dextra ferens vasculum „ rosis repletum, sinistra erecta rotam currus. Pedibus nudis insistit „ pisci squammoso & aspero, quem *percam* vocamus. Hanc statuam, „ & alias aliorum Numinum dejecisse memoratur CAROLUS M. Suspi- „ cor autem *Saxones* accepisse hoc numen a *Græcis*, *Istri* accolis: atque „ ut IRMUS eorum videtur esse ex Ἑρμῆς, ita & nomen CRODI cor- „ ruptum esse ex ΚΡΟΝΩ, Κρόνος enim sive SATURNUS, quo tempus „ signatur, *Græcis* etiam ac *Romanis* est Deus *falciger*: &, ut mittam „ cætera, *rota* currus optime exprimit, quam volubile sit tempus: un- „ de & vitam humanam scite ANACREON rotæ comparavit:

„ Τροχὸς ἅρματος γὰρ οἷα
„ Βίοτος τρέχει κυλισθείς.

„ *Rota nam velut curulis*,
„ *Properat velocris ætas.*

Albertus vero CRANTZIUS *Saxon.* II. 12. ita scribit: „ In Arce Har- „ tesburg idolum coluere *Saxones*, cui nomen KRODO, *Saturnum* hunc „ dixere *Latini*, *Senem* in *pisce* stantem, qui *rotam* teneret & *urnam*: in „ *rota* unionem populi, in *urna* rerum significans abundantiam. Sed „ CAROLUS M. subvertit. Remansit autem inter Saxones exsecratio- „ nis vocabulum, ut in detestationem rei pessimæ dicant KRODO. ista „ CRANTSIUS. postrema vera esse, ipse testari possum, qui Kroden-henker / Kroden-teufel / Krode / non semel in *Westofaliæ* tractu inter gentilia illorum convitia notavi. imo non putem aliunde detestabili *bufoni* nomen *Germanicum* adhæsisse Krötte / quam in contemtum hujus idoli. antiquam enim *bufonis* vocem vere *Germanicam* servat adhuc *Belgismus*, nempe Padde. De CRODONE videri etiam possunt *Paul.* HACHENBERGIUS *German. Med. Diss.* VIII. *priore*, §. 13. *Elias* SCHEDIUS in erudito *de Diis Germanorum* opere.

24. BUSTERICHI.] Ne quid desideres, benevole Lector, addo hic genuinam ejus delineationem, qualem TOLLIUS eidem Cl. ERNESTO, acceptam tulit. puto omissam TOLLIO, quod parum comperta posset de isthoc, ut putatur, idolo adscribere. Tu ista habe: Visitur hodie illud in Arce Comitum SCHWARTZEMBURGICORUM *Sondershusa*; olim in Arce montana *Rottenburgi*; ex metallo factum ignoto. demta est particula sinistro brachio, ut exploraretur metalli genus, sed frustra: nec enim potuit. altum est ulnam, abdominis peripheria ulnam cum triente habet; intus cavum est, & amphoram aquæ, einen eimer / *Germanis*; capit. speciem habet sedentis pueri decennis irati, obtutu torvo. dextra capiti imponitur, sinistra in femore quiescit. in medio supra capite fora


Pag. 34.
BVSTERICHVS.

foramen est, ut & in ore. Cuneis solebant hæc foramina, infusa prius in cavitatem aqua, operire, capitique imponere ardentes prunas. sic vehementer sudabat idolum, & tandem cum impetu sonoro cuneos explodebat; hinc ex utroque foramine, magno cum spectantium pavore & terrore, veluti flammas ejaculabatur. Ista fraude credulæ plebi iram ficti Numinis ostentasse Sacerdotes putantur, ut donis muneribusque eam placarent perterrefacti miselli. Vide porro late *Casp.* SAGITTARII *Antiquit. Gentilismi Thuringici* I. 2. nugas vero & fabellas de hoc BUSTERICHO & *Imp.* FRIDERICO, nescio quo, nobis narrat insignis fabularum architectus & credulus compilator *Joh.* PRÆTORIUS, sub nomine ficto *Francisci* MONCÆJI *de Magia divinatrice & operatrice*, *p.* 67. 68. 69. Nomen varie scribitur: Püster / Beustard / Beustrich. Monachis quoque, florente jam *Christianismo*, ad pias fraudes hoc idolum inserviisse, ex ms. quodam libro fide digno αὐτολεξεὶ refert TENTZELIUS, acuti limatique vir judicii, in *Colloq. Menstr.* quæ sane etiam aliis linguis loqui deberent, quam sola *Germanica*, *Mense Julio* 1689. *p. m.* 718--728. quæ vide; ubi simul ait, de hoc idolo doctissimum WEBERUM, Ephorum a studiis juniorum Comitum *Sondershusæ*, velle commentari; qui, num fidem liberarit, nescio. Figura, quam in fronte istius *Mensis* exhibet TENTZELIUS, non satis ad fidem veri accedit. quomodo autem dolus is pavefaciendæ hoc modo plebis procedat, docuit *Henr.* ERNSTIUS *Variar. Obs. lib.* II. *c. ult.* Verum, ut, quæ sentio, aperte scribam, puto omnia, quæ de his & cæteris apud *Germanos* olim Diis Deabusque eorumque simulacris ac cultu jactantur, fabellis, quam vero, propiora esse; certe non convenire cum veracissimi TACITI *de Moribus Germanorum* narratione; ad summum, releganda esse, ad medii ævi ætatem, corruptis jam priscæ simplicitatis ceremoniis per advenas. quod autem *Græci Romani*que *Germanis* subinde liberali manu sua donent Numina, & Nostri id adsciscant, in eo videntur levissimo tibicine, alicujus convenientia cerimoniæ, niti.

25. *Christophorus* ARNOLDUS & seqq.] Intelligit, ut puto, *Alexandri* ROSSEI, *Angli*, librum Germanice redditum, von der Welt Gottes-diensten; cui multa de prisca *Germanorum* Religione memini adspersa.

26. Postea mantile, *& seqq.*] Invidiosius ista dicuntur. Sordes ubique terrarum reperias. neque omnes Caupones tam sordidi, nec ubique deliciæ vigent munditiarum. *Cerevisiam* quod attinet, ea jam olim, quippe in vini saporem cocta, *Germanorum* laudabilis fuit potus, qui traduci certe non meretur; nec caussa fuit erudito Gallo, ut *Belgas*, *Cerealibus fumis ebrios*, non facere, sed *vomere Carmina*, jactaret. Sunt & *Gallis* sui Bavii & Anseres, licet vino adsuetis. *Spiritum vini* illic cibis

bis interponi, non magis mirum videri debet, quam idem in *Gallia*, quæ Elegantiæ Magiſtra ſalutari vult, ut de *Polonia* taceam, fieri. neque Medicus in Martis ſatellitibus vituperare debet, quod cibis fere robuſtioribus hoc condimentum ſuperbibant, fulcrum languenti ſtomacho & auxilium. At abuſum quis Mortalium uſquam laudavit?

27. De *volantibus Columbis ligneis.*] Diſertiſſime pro more hanc rem narrat, ne diu quæras, elegantiſſimus *Noctium Atticar.* Lucubrator GELLIUS X. 12. *Id, quod, ARCHYTAM, Pythagoricum, commentum eſſe atque feciſſe, traditur, neque minus admirabile, neque tamen vanum æque videri debet: nam & Plerique Nobilium Græcorum, & FAVORINUS, Philoſophus, Memoriarum veterum exſequentiſſimus, affirmatiſſime ſcripſerunt, Simulacrum Columbæ e ligno, ab ARCHYTA ratione quadam diſciplinaque mechanica factum, volaſſe. ita erat ſcilicet libramentis ſuſpenſum, & aura ſpiritus incluſa atque occulta concitum. Libet, Hercle, ſuper re, tam abhorrenti a fide, ipſius* FAVORINI *verba ponere:* Ἀρχύτας Ταραντῖνος, φιλόσοφος ἅμα καὶ μηχανικὸς ὤν, ἐποίησε περιστερὰν ξυλίνην, πετομένην, ἥτις εἴποτε καθίσειεν, οὐκέτι ἀνίστατο μέχρι γὰρ τούτου. Obiter addo; Avorum memoria idem factitatum. Narrat id *Guillelmus Salluſtius* BARTASSIUS V. N. *in Hebdomade die* VI. ex quo ita in verſione *Gabriel* LERMEUS canit *l. l. p. m.* 224. 225. *edit. Genev.* 1596.

Nec tantum brutam molem, motuque carentem
Ingenii vis diva creat, quin aëre toto
Aligeros miſcet populos, & ludicra pennis
Agmina. Nam quid Te, turget quo cive Tarentum,
ARCHYTA, memorem? quid, quam das arte, columbam,
Pondere quæ librata ſuo per inane vagata eſt?
Quid memorandum æque longiſſima ſæcla tulerunt,
Ac Aquilam, noſtro quam Teuto Vir edidit ævo?
Illa manu docti porro dimiſſa Magiſtri
Ivit in occurſus Regis Romana tenentis
Imperia, unde loci ſubito converſa per auras
Agmine pennarum, Regem comitatur ad alta
Tecta Norimbergæ; cui non pendentia longis
Atria porticibus, non ardua mole theatra,
Non qui fulminei paſſim de turribus altis
Diſſultant crepitus, Juvenum non ardor ovantum,
Longævique Senes tantum decus addere viſa.
Forte domi privos inter convictor Amicos,
Dum ſedet, & luſus animis ſua fercula, profert;
Ferrea de pugno ſe Muſca erupit, & omnem
Circuitum late luſtrat, gyroque peracto
Conſcia ſe ad dominum penna languente recepit.

Utriusque hujus operis, tam *Aquilæ*, quam *Muscæ*, Auctorem laudat JOHANNEM REGIOMONTANUM *Petrus* RAMUS *in præf. lib.* II. *Obs. Math.*

28. *Incedentibus arte Statuis.*] Videndus *Ludovicus Cælius* RHODIGINUS *Ant. Lect.* II. 17. ubi addit, Statuas easdem a *Mercurio Ægyptiis* factas etiam locutas. at, ut solet, sine ullo Auctore.

29. In DREXELII *Aurifodina* de *Pomis ambulantibus.*] Puto innui lemma: *Uva ambulans*, II. 1. exponitur autem de *Echino*, decussis uvis, in quas se circumvolvit, onusto, atque hac specie in cavernam ad catulos properante.

30. Mirifica sane, quod ad hanc lucrandi artem attinet, *& seqq.*] Ergone alibi locorum magis sunt religiosi, alienique abstinentes? nollem ista in solorum Cauponum *Germanorum* invidiam accipi. furta amica & officiosa, item lucra iniqua erunt, donec per Orbem Caupones, sed melioribus quandoque pensanda alibi virtutibus. jam olim *Venusinus Vates* in *Italia* experimentis ipsis edoctus *Caupones* solenni epitheto appellavit *malignos*, *Satyr.* I. 5. *vs.* 4.

31. Unus enim quisque fere Principum, *& seqq.*] Accipe cum grano salis: multi enim eo carent jure, aut non utuntur. neque sola TOLLII hæc est querela, sed omnium Cordatiorum *Germanorum*, qui æruscatorum Monetariorum in corrumpendo, quod vocant, *alligamento*, fraudes, publicis libris compluribus ostenderunt, ut MONETA RESTITUTA melioribus resurgat publicisque auspiciis, cui curæ Magnates animum cum maxime serio intendunt. sed nec *Belgica Fœderata* ab ista Monetali corruptela mansit omnino libera. noti sunt *denarii adulterati*, quibus veri valoris duodecima pars deest. Qui nefando commento *Cuprum* dealbant, & adulterinos hinc Nummos protrudunt, huc non pertinent; quippe professi adulteratores Monetæ cruce & igne digni.

32. *Sedenis Argenti puri.*] Istam Monetam accolæ Rheni inferioris vocant Blaumäuser / quorum nummorum duo computantur in nummum drachmalem, quem *Schillingum* vocant. at per ista adulteratas corruptelas tantum non evanuit ex hominum commercio istud hemidrachmorum nummorum genus.

33. Idem, quod & bestiis, stramen.] Noli hæc Lector majori cum invidia accipere, quam dicuntur. ita est, passim per *Germaniam* lubentius Viatores multi sibi, ad somnum capiendum, stramen purum, in quo satis molliter dormitur, substerni volunt, quam lectos, quam pati cimices rotundos, pulices, pediculosve in minus tersis lodicibus, ut sæpe alibi locorum contingit. Stramen illud purum est, non jam a bestiis conspurcatum, & per æstatem in luculento cubiculo; per hiemem in

in calefacto per fornacem hypocausto sternitur. vereor, ne homines fortiores deliciarum mollitiem istis morosulis exprobrent.

34. Sed exhaustis jam incolis, *& seqq.*] Cum maxime tamen, ferentibus suppetias *Amsteladamensibus Batavis*que *Mercatoribus*, audio eas coli Fodinas, & maxime *Plumbi* feraces esse.

35. Carmen *de Spe*, quod in *Veterum Poetarum Catalectis* exstat.] Auctore incerto, *p. m.* 31. *ed. Genev.* 1619. ubi ista, præter alia, legimus, quæ huc quadrant:

Spes fallax, Spes dulce malum, Spes summa malorum,
Solamen miseris, quos sua fata trahunt:
Credula res, quam nulla potest Fortuna fugare:
Spes stat in extremis officiosa malis.
Spes nescit vinci: Spes pendet tota futuris,
Mentitur, credi vult tamen illa sibi.
Improba, mentis inops, rebus gratissima læsis,
Quas fovet; &, verti Fata subinde, docet.
Sola tenet miseros, invitos sola moratur:
Sola perit nunquam: semper it atque redit.
Sæpe bono, rursusque malo blandissima semper:
Et quos decepit, decipit illa tamen.
Instabilis, dubio devexa ad tempora motu,
Audax, & clausum qua putet esse nihil.
Omnia promittit.

36. *Condita sub his* & seqq.] Similium lapidum ad monumenta digestorum meminit eorumque figuras ære exhibet CAMBDENUS *in Britann.* & illustris PICCARTUS *in Descr.* vernacula *antiquæ Drenthiæ*; qui videri possunt. Illustris *Henr.* RANZOVIUS *in Meth. Apodem. num.* IX. §. 3. vocat *Gigantum Strata*, sive *Lectisternia*, aitque ea in *Ducatu Megapolensi* appellari *Wandalorum Cœmeteria.* In OLEARII *Itin. Ruth. Persic.* IV. 7. *in fine* lego, apud *Wolgam* flumen circa *Samaram*, videri montem, *Sariol Kurgan* dictum, sub quo Tatarorum Dux MOMAON cum VII. *Czaaris* sive Regibus sit sepultus; aggestum autem esse montem ex arena, per milites, qui cassides ea repleverint & infinita multitudine contulerint. confer mox *Epist.* II. *paullo ab initio.* & quæ copiose habet *Joh. Dan.* MAJOR, V. Cl. Bevölck Cimbr. *c.* 27-50. ac *Joh.* RIST. in *Colloq. Jun. p. m.* 78. & *seqq.*

37. Præfractam *Germanorum* PRINCIPUM, & seqq.] At utinam, TOLLI! semper tenaces forent antiquæ Majorum virtutis & fidei, de mollitia & luxu parum solliciti. *Tecta vehicula* sua habent commoda & incom-

incommoda. Minus periculum, *non tectis Vehiculis*, creditur esse in casu, aut ubi currus in aquas casu præceps abit; item cum Viæ solitæ corruptæ, facilius aperta Vehicula per devia meliora feruntur, nec virgultis ramisve desuper impendentibus tam facile retineri queunt; putant etiam aliquid levitatis, &, quia vento sic pervia manent, celeritatis aliquid curribus accedere. Apud *Batavos*, *tecta Vehicula* commodissima sunt, quoniam illic Viarum summa est cura, ut sint munitæ & minime impeditæ. Cæterum *Germanorum* in retinendis pristinæ duritatis moribus pervicaciam traducit quoque *Carol.* PATINUS in *Itinerar. Gallice edito p. m.* 188.



JACOBI

JACOBI TOLLII

Epistola Itineraria II.

COMMORATIO BEROLINENSIS:

A D

Celeberrimum & Eruditissimum Virum,

DOMINUM

JOANNEM GEORGIVM GRAEVIVM.



ertia effluxerat hebdomas, uti in priore memoravi epistola, cum eodem, quo Amstelædamo discesseram, die nimirum Lunæ, *Potsdamum* advehor. Sequente Martis ad salutandum Serenissimum ELECTOREM nostrum admissus, post exhibitum honorem, exemplar obtuli Serenissimo Principi isti *Fortuitorum* meorum, una cum elegantibus nonnullis Nummis antiquis ex omni metallo. 1
Eximii erant inter *Aureos* quidam ignoratus, Latina inscriptione, sed nec a me, nec ab Antiquario Principis ELECTORIS versatissimo BEGERO intellecta, in cujus altera parte *caput*, ut videri poterat, *Veneris*, in altera *Psittacus*. Inter *Argenteos* erat VALERIANUS; inter *Aereos* eminebat HOSTILIANUS, cum inscriptione Græca: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΜΗΤΡΟΚ. GORDIANUS cum inscriptione: COL. PTOLEMAIS; & elegantissimus VABALLATHUS, qui ZENOBIÆ filius fuit cum GALLIENI vultu in parte altera. Addidi & artis nostræ quatuor: binos *Aereos*, queis *Argentum*; & binos *Argenteos*, quibus *Aurum* ita infusum, 2
ut imaginem *Tincturæ* exhiberent *Philosophicæ*. Pro quibus Opti-

Optimus Princeps clementer ſane & comiter, ut ſolet, gratias
primum egit: deinde *Turcicos* proferri oſtendique *Libros* juſ-
ſit, quos SCHOENINGIUS Copiarum adverſus Turcam miſſa-
rum Præfectus *Buda* attulerat. Et multi tum quidem de *Bu-
denſis Bibliothecæ* reliquiis ſermones habiti, quas cognoſcere
jam tum animus ardebat. Proximo Jovis Sereniſſimus ELE-
CTOR per ſuos a pedibus arceſſi me juſſit, advenientique *arbo-*
3 *rem* oſtendi, cui *cervina calvaria cum cornibus* inolita erat.
videbatur id omnibus inſtar miraculi, nec deerant adulatores,
etiam e noſtra Gente, quæ nimis alias ad has delicias aulicas
inepta videtur & ruſtica, mirifice cuncta in majus extollen-
tes; *nil* ſcilicet *in Terrarum orbe ſimile inveniri, omnibus il-
lud Artis & Naturæ miraculis precioſius, dignum Tanto
Principe* κειμήλιον; intelligente has artes & ſubridentes ad iſtas
adulationes maximo PRINCIPE. Ergo ſtatim accitus pictor,
qui delinearet. Poſt illa in uno Sereniſſimi ELECTORIS *Saxo-
niæ* Gazophylacio *Tria* me vidiſſe memini iſtiuſmodi *capita Cer-
vina una cum cornibus inſerta arboribus & coalita:* uti & in
4 Pinacotheca Auguſtiſſimi CÆSARIS *Bohemica* aliud, ſed non
tam elegans. Dolus ille Venatorum eſt, gratiam Principis
captantium, & creſcentibus arboribus novellis illa inſeren-
tium, quæ dein, tanquam innata creſcendo complectantur.
Dolenda profecto eſt & miſeranda Principum nonnullorum in-
felicitas, quibus vel in adoleſcentia peregrinando aliorum Prin-
cipum coram ſpectare Gazophylacia non contigit, vel quibus
in ætate maturiore nemo verum dicere audet, obnitentibus
impudentiſſime adulatoribus, & minima quæque certatim in
cœlum efferentibus. Vix auſim dicere, quam turpiter ſic Prin-
cipibus ſæpe illudatur. Ut ad Sereniſſimum ELECTOREM re-
5 vertar, uti rerum omnium antiquarum & elegantium Amator
ſummus eſt, interrogare me cœpit, „ num illud *Brandebur-*
„ *gi*, ſive potius in colle urbi proximo, *Templum* vidiſſem,
„ ab antiquiſſimis olim *Gothis* duplici fornice exſtructum; quo-
„ rum ſuperior jam ruinam minitaretur; inferior ex parte col-
„ lapſus adiri amplius non poſſit. Et Se quidem ajebat Se-
reniſſimus Elector, „ cum luſtrandi gratia, tum ob inſertas
6 „ *Inſcriptiones* intraſſe aliquando equo; ſed mox monitum ob
„ præſens periculum receſſiſſe. Uti autem ſermo ſermonem

 elicit,

elicit, ita & inter alia, quæ occurrebant, de *Tangermundensi Turri*, centum circiter annis ante CHR. NAT. condita, Serenissimus ELECTOR nonnulla proferebat notatu non indigna, sed quæ ob multam notandorum copiam me effugere. nam & illa e Serenissimo ELECTORE audisse memini: „ Nullum esse
„ in Imperio Romano Principem, qui pluribus populis impe-
„ ritet; quibus, ut & eorum linguis, enumeratis, de *Vandalis* aliqua referebat, scitu non inutilia, neque injucunda. nimirum „ *Sclavonica* illos etiam nunc *lingua* uti: Gentem esse
„ levissimam, infidam, novarum rerum cupidam, seditio-
„ sam: pagos incolere frequentissimos quingentorum, sexcen-
„ torum, patrum familias: Regem habere gentilem, sed clan-
„ culum, cui nec corona desit, nec sceptrum. huic illos an-
„ nuum in capita tributum conferre singulos sestertios; illum
„ Sibi Regem aliquando oculis visum, juvenem corpore pari-
„ ter & animo validum, quem cum attentius consideraret, at-
„ que id cuidam ejusdem Gentis seniori, & sine dubio non mi-
„ nimæ auctoritatis, esset animadversum, istum Seniorem, ut
„ sibi, Principi ELECTORI, suspicionem illam demeret,
„ Regi suo baculum impegisse, eumque ita, velut vile man- 7
„ cipium, abegisse. *Biblia* porro, & *Psalmorum* in Templo
„ cantandorum carmina, ac *Catechesin* verti in eorum linguam,
„ edique Se curasse, ajebat optimus ELECTOR; verum *Scholas*
„ aperire, intutum visum, ob ingenii mobilitatem, & inac-
„ cessos saltus ac paludes, quo se soleant recipere. neque enim
„ vel Tormenta illis deesse, sed haberi clanculum: circum-
„ ventum quoque se aliquando a quatuor aut quinque eorum
„ millibus, vix demum ope octingentorum Bombardigerorum
„ Semet expedisse, itaque eos dissipasse. Hinc in *literis* seu
„ *Diplomatibus Natalitiis* vicinorum Germanorum disertim ad-
„ di, *illum*, de quo testificantur, *nec Vandalum esse*, *nec*
„ *contentiosum*. Præter hos, & *Pruthenos* veros, priscæque 8
„ originis, inter subjectos Se numerare; & eorum quoque i-
„ diomate exprimi *Biblia* & *Catechesin*, *Psalmosque* ac *Cantiun-* 9
„ *culas Ecclesiasticas* curasse. Hos autem nullis aliis misceri,
„ nisi gentilibus, nullaque alia nosse connubia. Nec hic finis Clementissimæ Serenissimi ELECTORIS benevolentiæ. ostendi namque nonnulla jussit Naturæ deliciarum curiosis non ingrata:

grata: in quibus *Conchulæ* erant, unde *Argentum purum* ex-
creverat. Hinc sermo de *Fossilibus* ortus, deque *Ferri* in *Cu-
prum* mutatione, illiusque rei in soleis equinis aliisque *Schmœl-*
10 *nitzii*, non minus atque *Neosolii* in *Hungaria* satis frequenti-
bus documentis. Ampla hic mihi de *Goslariensibus Fodinis* dis-
serendi præbita materia; subjiciebam, notatum mihi, posse &
illic, si rem recte intelligerent Metallurgi istic, instituerentve,
eodem modo *Æs* colligi, quod in corrupti *Ferri* locum suc-
cederet: multa etiam alia de durissimis *Silicibus* brevi tempo-
ris spatio *emolliendis* adferebam, quorum mihi in *Hungaricis
Fodinis* usum non innutilem fore augurabar. Tum & mentio-
11 nem facienti de *Lapidibus* illis superius memoratis, ac certa se-
rie inter *Magdeburgum* & *Brandeburgum* dispositis, quos ego,
monumenta fuisse sepulcralia, me dicebam existimare, ibi tum
respondebat elegantissimæ curiositatis Princeps: „ in *Holsatia*
„ quondam effodi se curasse id genus *Lapides*, quibus alii
„ transversim incumbebant; ea mente atque suspicione, inven-
„ turum se aliquid ossium Giganteorum; at nil reperisse, nisi
„ *Numismata* quædam vetera: de quibus ulterius inquirere
tunc non licuit, intervenientibus, qui sermonem abrumpere
cogebant, nec post simili se occasione offerente.

Sexto dein *Februarii* die, qui Serenissimo ELECTORI erat natalis, quanquam mihi improvisus, uti tamen munusculum grati, ac deditissimi animi indicium Serenissimo ELECTORI offerrem, perpulit. Raptim itaque carmen vernaculo idiomate conscriptum, *floribus* plurimis elegantissimis *Sinensibus*, artis & colorum perelegantium in mappæ formam dispositis exornavi, ELECTORIque una cum sincerissimo vitæ longioris voto obtuli. Gratum sibi & officium esse & munus meum testatus ELECTOR cum insigni me favoris sui demonstratione excepit, dimisitque; præcepitque suis, ut quicquid *Berolini* in *Bibliotheca* ac *Cimeliarchio* suo esset elegantiarum, mihi ostenderent, atque literas suæ voluntatis indices ad horum Præfectos darent. Carmen autem hoc erat:

Grootmaghtigst Vorst, Wiens Roem en dapp're Helden-daden
De Lucht van Oost tot West, van Zuid tot Noord vervult;
Wiens onverschrokke Moet gansch Duitsland sig verschuldt;

By Wien de Godsdienst, t'hans met sorg en schrik beladen,
Haar Heyl versoekt en vindt: Wiens held're Deugden-straalen
Het Licht verdooven van veel grooter Sonneschijn:
Wiens Goedertierenheit ver 't beste keurt, te zijn
Een Vader van Sijn Volk, en Heersch-sucht te bepaalen:
Wat zal mijn Hart en Hand Uw Hoogheit nu opoff'ren
Op deesen Feest-en algemeene Vreugden-dagh?
Wat is'er, 't geen voor U, o Vorst, verschijnen magh?
Indien ik Diamant, of Paarl, of Gout in Koff'ren
Hadd' opgehoopt, ik braghts' en leyd'se voor U neder:
De grootste Schatten hield' ik dus het best besteed:
Mijn Hart is vaardig, en mijn hand die is gereed.
Maar ach! hoe gaarn' ik wil, zoo is mijn macht te teder.
Sy vindt geen Kostlykhe'en, die 't oogh betoov'ren konnen:
Juweelen heeft sy niet: maar echter, 't geen sy heeft,
Met een geboogen Knie sy aan Uw Hoogheit geeft:
Dat is een Wensch, o Vorst, dat U den Hemel gonne
Een ongekreukt vervolg van Geluksaligheden;
Dat yder Jaar-dag zy een nieuwe Vreugds-begin
Voor Uwe Hoogheit en Mevrouw de Keurvorstin,
En voor 't Keurvorst'lijk Huis een Hemel hier beneden!

Dum interim parantur, quas dixi, literæ, PRINCIPEM eo salutatum ELECTORALEM, cui *Fortuita* mea inscripseram, quique pridie *Berolino*, ut Serenissimo PATRI felicem hunc natalem gratularetur, *Potsdamum* advenerat. Paucis autem ante diebus LUDOVICUM *Marchionem* salutaveram, *Fortuitaque* Ei mea obtuleram.

Accepta igitur ad Cl. V. HENDREICHIUM Bibliothecæ Præ- 12
fectum epistola, quæ voluntatem ei Serenissimi ELECTORIS
significabat, insignem videre contigit *Bibliothecam*, mole quidem & copia librorum *Guelferbytensi* inferiorem, at peregregiis libris instructissimam. Erant in ea præter alios *scriptos* complu-

res,

13 res, & insignem *Arabicorum Orientaliumque* Librorum co-
piam, *duo Codices*, quorum alter *Græcus*, *duobus volumini-
bus*, *Novum Testamentum* complectebatur, absque *Accentuum
Notis* perscriptus: alter *Versionem* continebat *Latinam Vulga-
tam Antiquissimam*, quo se magnus noster ERASMUS plurimo
cum fructu usum, bis sua manu annotaverat. Erant & alii *Sa-
cri Libri* ab tempore CAROLI M. *gemmis auroque exornati:*
tum & *Chemicus*, *picturis iconicis* admirabiliter elegans. Ego,
ne nil inde in publicum usum proficerem, FLORUM ms. quo
& LIPSIUS olim usum se testatur, cum Tua nupera V. Cl.
editione, nec omnino frustra, contuli. Nolo hic *Mensam pi-
cturis elaboratissimis excultam*, spectatuque dignissimam; no-
lo alia id genus plura, tanto digna PRINCIPE cimelia referre.
Transibo ad *Numismata*, quæ ex omni metallo vidi exquisitis-
sima. Et *Palatinos* quidem *Nummos*, qui testamento CA-
ROLI, *Electoris Palatini*, auxere Serenissimi *Electoris* BRAN-
DEBURGICI gazam, ex parte optima BEGERUS quidem edi-
dit, Vir eruditissimus & harum deliciarum intelligentissimus.
Cæteros vero, quos jam antea magno numero Serenissimus
ELECTOR sibi comparaverat, inprimis *Consulares* eximios;
14 quibus & ego plures quam *ducentos*, e *sex septemve millibus*
selectos, addidi; & in his unicum illum, quantum hactenus
15 audire ac discere licuit, TRAJANUM, cum inscriptione, in imi-
tatoris HADRIANI *nummo* ab illustri Viro, *Ezechiele* SPANHE-
MIO inprimis laudata: LOCUPLETATORI ORBIS TERRARUM;
adscripta *VI. Cos.* nota in altero latere: Hos, inquam, *descriptos
ærique incisos* ab eodem præclaro Viro cum luculento *Commenta-
rio* post illa licebit exspectare. Perlustratis *Numismatibus* aper-
ta est *Cimeliotheca:* in qua aliquot signa videre licuit antiqua
perpulcra, interque illa, majore sui parte, qua furibus Hor-
torum Custos minari solebat, amputata *Priapus*, quanquam
sub brachio, in *corbe*, *tria quatuor*ve teneret *Veretilla;* ad-
erat subjecta, elegans sane & nemini non placitura inscriptio
Græca: ΤΩΙ ΤΗΣ ΓΕΝΕΣΕΩΣ ΠΟΙΜΕΝΙ. Erat & *Sigillum*
inter *Vasa* multa *antiqua*, cui inscriptum: P. NONIUS PRI-
16 MUS item elegantia *duo Coss. Romanorum signa:* itemque *Cli-
vis*, aut in proximo ibi agro, repertæ e *Marmore imagines
duæ*, *Ducis* alicujus, vel *Cæsaris*, & *Uxoris;* quas Sere-

 nissi-

nissimus ELECTOR maximi faciebat. Ostensus & e *Ferro* singulari arte *effictus* ipse *Serenissimus* ELECTOR *in equo.* nec non *Gemmæ* erant *antiquæ* quamplurimæ : tum & alia *Artis Naturæ*que *Specimina* notabilia. Ac inter *Artis* opera insignis erat *Mathematicorum Instrumentorum* copia; nonnullaque præclare ex *Ebore effícta*, *torno*que *elaborata.* Hinc multa cum animi voluptate abeuntem ipsa *urbs Berolini* mirifice delectavit, sola ex omni, quas transieram, Urbium numero *largioribus plateis*, *ædibus magnificis*, *interlabente fluvio*, ad *Hollandicum* nitorem splendidissime exculta. quin & mores alii Civium, alia vivendi ratio, multoque humanior usus, ita ut semi-Batavam facile agnosceres. Multam ibi humanitatem expertus sum, & inprimis excellentissimi & perillustris *Baronis de* KNIPHAUSEN, Serenissimo ELECTORI a *Consiliis Secretioribus*, & *Cameræ Præsidis;* Domini STILLII, a *Consiliis Aulæ*, Domini *Martini* WILLICHII, *Comitis Archiatrorum;* aliorumque Virorum complurium excellentium sensi obviam benevolentiam: quorum Virorum candor & integritas animum meum sæpissime reficiebant restituebantque. Præter hos & KUNKELII, Viri in *Chemicis* exercitatissimi, *Vitrique Rubri pellucidi invento* percelebris, pergrata fuit comitas, qui mihi multa, domi suæ, ingenii studiique sui ostendit documenta. Nam ut de elegantissimo illo *Vitro* nihil dicam, exhibuit & aliud *ad instar marmoris varium*, *Tabellas*que *gypso expressas*, *efficta* etiam *nativa Mineralia*, *Argentum*que veluti e *saxo nativum*, tam vero similiter in *fila* ductum, ut genuinum etiam mihi videretur. Ad hæc, quæ ad *Chemiam* proprie spectant, *Mercurium Lunæ*, sive *Argentum vivum ex Argento* extractum videre illic contigit. Et hinc orta inter nos disputatio de *Lapidis Philosophici* vera confectione, quæ quidem aliis forsan videbitur ridicula, nonnullis autem non adeo improbanda. Ajebat enim Vir harum rerum indagator sagacissimus & indefessus, " *Aurum* se in *tria* sua reduxisse *principia*, quæ quidem *Mercurium* statuebat, *Salem* & *Terram*, e quibus cum *bina* conjungeret, nihil se effecisse: sin cuncta adunasset, *Aurum* se recepisse *purissimum*, quale ante fuerat: unde colligebat, nulla alia esse, unde illud constitueretur. Huic quidem, quod ad *Auri vulgaris* compositionem non multum refragatus; quod

quod ad *Mercurii Philosophici* intellectum, eodem illum, atque alios, in errore versari respondi, qui *currentem Mercurium* quærunt *corporeum*, cum *Philosophicus* merus sit *Spiri-*
17 *tus*, de quo me fusius & egisse jam publice, & cum favente volenteque Numine post pluribus acturum subjeci. quin & his incitatus experiri statui, quod jam tenere me putabam: & profecto ita, quæ conatus sum, ex voto successere, ut, nisi me certa fiducia, quovis loco facultatem operi manum ultimam adhibendi non defuturam, decepisset, absoluturum me illic totum opus fuisse, etiam nunc credam. sed quod discedendi tempus aderat, jam ferme peracti *Lapidis* materiam in plateam projeci, cujus facti velut ultrix Fortuna nunquam deinde reparandi erroris occasionem voluit concedere. Sed his omissis, quæ aliis incredibilia occurrent, ad Serenissimum ELECTOREM revertendum est: cui *Potsdamum* reversus & gratias egi quam potui exquisitissimas, &, quid vidissem, exposui. Paucis autem diebus istic loci adhuc retinebar, valedicere ELECTORI Serenissimo & Viennam discedere percupidus.

Non fraudabo hic interim loci sua laude vere Nobilem Virum, Dominum *Dodonem*, *Baronem de* KNIPHAUSEN, quem memoravi paullo ante, in quo non modo eximiam *Naturæ Arcanorum*, & interioris *Sapientiæ* cognitionem; sed & animum sublimem, generosum, & natalium splendore dignissimum eo magis suspexi atque exosculatus sum, quo ab consuetis Aulæ vitiis erat remotior, integritatisque & bonarum omnium Artium cultor fautorque absque ullo ostentationis fuco sincerior atque incorruptior. Hic enim non *Clivis* modo ante, sed & nunc temporis hic locorum omni me benevolentiæ & humanitatis genere prosecutus ita comitatem suam, solitamque erga Bonos omnes facilitatem, dignitatis morumque gravitate temperavit, ut mihi PRINCIPIS sui virtutes animi quamproxime videretur æmulari. Certe eruditiorem sermonem cum de *Theologia*, tum de *Chemia* vix alibi audivi, quam quem laudatissimus hic Vir mecum aliquando habuit; at illum hic referre nec animus, nec tempus est. Et huic quidem *Fossilia* quædam ab Amicis accepta, vel e *Fodinis* a me allata, non incuriosa, levidense grati animi munusculum obtuli: uti & expertissimo Chemico, Doctori THEUERLIN, *Vitrioli albi nativi clari*que, uti & *viri-*

dis

dis pellucidi perinſignis, atque item *cærulei Goſlarienſis* aliquantulum, a quo & nonnulla didici, quæ quidem etiam nunc proſunt.

Nec obliviſci fas eſt Nobilis *Poloni*, *Bonaventuræ* KUR- 18
NATOVII, cujus humanitati ſingulari, quod multa, quæ ad 19
Polonorum mores ſpectant, didicerim, acceptum fero. Narrabat Ille inter cæteros, quos cædebamus, ſermones: „ Nec 20
„ REGEM nec *Reginam*, nec, dum Pater viveret, REGIS
„ *Liberos*, *Nobilia prædia* coemere poſſe. caviſſe id ſancita
„ lege *Nobilitatem*, ne qua Libertati ſuæ fraus fieret, coem-
„ tis, a REGE, Nobilium agris ac prædiis, atque ita *Nobi-*
„ *litatis* potentia deminuta, REGIS aucta. violari tamen non-
„ nunquam *legem* hanc dolo, per ſpeciem *impenſarum* qua-
„ rundam *neceſſariarum*. ſed nec *Extero* id licere, cui neque ad 21
„ *Polonicæ Nobilitatis* dignitatem conſortiumve aditus ſit,
„ etiamſi *Nobilem Polonam* duxerit: hanc enim *Extero*, quan-
„ tumvis *Nobili*, nubentem, & *Nobilitatis Polonicæ* amit-
„ tere prærogativas, & jus *Dotis*, cujus dandæ negandæve li-
„ berum tum proximis Agnatis eſt arbitrium. *Polonicæ* nam- 22
„ que *Nobilitatis* decus nec gratia REGUM, nec opum magni-
„ tudine, nec ſplendore natalium *Extero* acquiri, ſed ſolis for-
„ tibus factis, adeoque præclaris in Remp. meritis. quod ſi
„ quid contra has *Leges* REX auſit; vel minimæ conditionis
„ atque potentiæ *Nobili* jus eſſe obſiſtendi, ſeque opponendi;
„ ſicut & in *Comitiis* id pluries evenire compertum eſt, ubi
„ vel unicus, a quacunque *Provincia*, *Delegatus*, ſi quid
„ diſplicuerit, omnia *Acta* intercedendo, ſive, ut illi vocant, 23
„ *proteſtando*, irrita facit & vana. In ipſa vero *Nobilitate* gra- 24
„ duum vix ullum diſcrimen eſſe: quin, in tota *Polonia*, *u-*
„ *num* tantum *Marchionem* reperiri, *quatuor*que ſolum *Co-*
„ *mites*: Et hinc elatum cunctis *Nobilibus* animum; non, 25
„ *ſervire ſe* REGI, ſed, *Reip. cum* REGE, dictitantibus,
„ ſive Belli res, ſive Pacis negotium fuerit. nec ob-
„ ſtare paupertatem hiſce, quæ vocant, *Privilegiis*. quin
„ & eſſe REGUM ſanguine ortos, qui ipſi agros colant, Fru- 26
„ mentum in foro cuivis divendant: ita ſe a Principe FEDRO-
„ FIO aliquando *avenam* emiſſe, qui ab origine ultima ſangui-
„ nis *Principum* Veterum *Lithuaniæ* erat: & alium minorum

„ gen-

,, gentium *Nobilem*, ſed divitem, longe *Nobilioris* alterius
,, opera ad regendos currus uſum.

Interea, dum hic hæreo, jubet mihi Sereniſſimus Elector, quod omnium harum rerum me avidiſſimum ſciebat, *Lapides tres* oſtendi, politos & perelegantes, qui *e ligno in lapidem mutati* fuerant. memineram, me & *Amſtelædami*, *lagenulam vinariam viticibus intextam* vidiſſe, cujus ea pars dimidia, quæ aquæ impoſita cum vino fuerat, in *lapidem* induruerat, altera priſtinam naturam mollitiemque obtinebat, multaque apud Virginem tum temporis, inſignis ingenii & morum elegantiæ, *Catharinam* Questiers alia id genus multa: tum &,
28 cum in *Auſtria* ante hos annos xxvii. eſſem, de *Fonte* quodam *Hungariæ* inaudiſſe, qui cuncta in *lapides* mutaret: & quia tum ſermo inter proximos ea de re cædebatur liberalior, me-
29 morabatur, neſcio quis, Princeps (nam nomen excidit) *omnes humani corporis partes*, etiam *inteſtinas*, *in ſaxum induratas*, poſſidere: Ego vero, Comitem *Nicolaum* Serinium, Heroa illum decantatiſſimum, mihi retuliſſe, ſubjiciebam, cum & Ipſe in ſuo mihi *Cimeliarchio* iſtiusmodi Naturæ delicias, inter alia quamplurima *Artis* & *Naturæ Miracula*
30 oſtenderet, de quodam *Croatiæ rivo*, qui ſibi ipſe *pontes* fabricaret, ſenſim ſenſimque ripas incruſtando, cruſtasque eas adaugendo, donec aſſiduo incremento illarum contiguitas ad alteram ripam ſemet produceret, ſic ut & uſum *pontium* ſæpe præſtarent, verum onere nimio preſſæ conciderent, & in rivum corruerent.

Gratiis tandem ex more debitoque ſubmiſſe actis, rogare exemplum auſus ſum *picturæ*, quam in Triclinio quodam illic videram; & Sereniſſimus Elector, pro ſolita ſua clementia, liberaliſſime, ſuis Se mandaturum, reſpondit, ut ejus compos fierem. Erat ei nemini intellecta, quia *Chemica*; atque hoc
31 illius argumentum: ,, *Hercules* effictus, populo coronatus,
,, erat cum *Mercurio*, tanquam ultimo adverſario, depugnans,
,, proſtrata jam *Venere*, cui ſuus aderat filiolus mellitulus, ſed
,, triſticulus, *Cupido*: *Mars Veneri* itidem devictus, & tor-
,, vo adhuc vultu *Herculem* reſpiciens, armataque enſe dextra,
,, adjacebat: *Neptuno* porro & ipſi dejecto ventrem *Hercules*
,, ſiniſtro premebat pede, & hinc, velut exanimis, cum pro-

„ jecta ad latus lagena, unde vinum rubrum ad instar sanguinis effluxerat. Aderat e cœlo *Pallas*, *Herculi* VICTORI lauream porrigens. Quanquam vero exemplum *picturæ* illius necdum obtinuerim, curabo tamen per Amicos, ut nanciscar; una cum *Priapi*, cujus supra facta mentio, delinea- 32
tione.

Potsdamum ipsum quod attinet, oppidulum est haud magni precii; at *Palatium* Serenissimi ELECTORIS eximium est & magnificentissimum, elegantissimeque exornatum excultumque: ita ut cum præstantissimis *Germaniæ* comparari facile possit. Situs ad *Havelam* flumen est amœnissimus; *mons* ad latus, in quo *vineta* nonnulla, & inclusæ *feræ*; tum porro *silvæ* frondosæ: ab altero latere spatiosi *campi* & ulterius *colles*, in quos e *Palatio* peramœnus prospectus est. in proximis *Silvis* magna, præter alias *feras*, copia est *vulpium*; & hinc ex iis captis voluptas non ingrata spectantibus, cum in area interiore *Pala-* 33
tii, ex parte linteis obsepta, ad ducentas sæpe e caveis emissæ, dum fugere volunt, reticulis exceptæ in altum jaciuntur, atque ita bis terque circumvolutæ humi, non quidem exanimes, verum stupefactæ, decidunt; mox recreatis paullulum viribus iterum in cursu excipiuntur, donec tandem omnes defectæ viribus & animis corruant, atque exinde interficiantur. Hic enim ludi finis est.

Tandem denique valedicendi facultate præbita, Serenissimo ELECTORI postremas gratias egi, quas debui, votisque omnibus felicitatem perpetuam apprecatus ab OPTIMO PRINCIPE benevole dimissus sum: qui mihi CCL. *Imperiales*, pro *Nummis* Ipsi donatis allatisque, numerari jussit. *Potsdamo* discedens *Berolinum* me contuli, ibidemque PRINCIPI ELECTORALI officia mea inter valedicendum offerens, donum LX. *Imperialium*, xenium propempticum, in Ipsius Serenitatis memoriam, cum felicis itineris apprecatione retuli. Infelicissimo vero Principi LUDOVICO, quod tum forte abesset, per literas vere ultimum Vale dixi: eodemque coram officio Amicis meis, inprimis DANKELMANNIS Fratribus, præstito, postridie ducens per *Saxoniam* & *Bojohæmiam* iter ingressus, *Viennam* versus profectus sum. Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. Vale, Vir Celeberrime. dabam *Berolini* A. D. Kal. *Martii*, anni a N. C. cIↃ. IↃC. LXXXVII.

HENR.

HENR. CHR. HENNINI

Annotationes & Obſervationes ad Epiſtolam II.

1. Cum elegantibus nonnullis Nummis antiquis.] Hi ſane omnes, quos recenſet, rariſſimi ſunt. HOSTILIANI illi ex ære nummo non abludit ille apud FOYVAILLANTIUM *in Numiſm. Colon.* P. II. *p. m.* 208. ubi legitur in adverſa facie: Γ. ΟΥΑΛ. ΟCΤΙΛΙΑΝΟC ΚΥΙΝΤΟC ΚΕCΑΡ. Caput HOSTILIANI nudum. in averſa facie: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΜΗΤΡΟ. ΚΟΛΩΝ. i. e. μητροπόλεως κολωνίας. in area notæ S. C. & Δ. E. mulier turrita inſidens rupibus in templo tetraſtylo, pro pedibus fluvius emergens: notans Genium metropolis firmiſſime munitæ ad clivum montis *Silpii*, ex cujus imo emergit *Orontes* fluvius. Adde HARDUIN. *Num. Ant. Illuſtr. p. m.* 53. 54. in TOLLII nummo τὸ ΜΗΤΡΟΚ. poſſet legi forſan Μητροκολωνία. Obiter autem monendus eſt Lector in *Cimeliarchio Electorali* nummos, quos TOLLIUS hic ait ſe intuliſſe, non omnes reperiri. Nummus qui *Venerem* & *Pſittacum* refert, *æreus* eſt, non *aureus*; nec *pſittacum*, ſed *columbam* refert. GORDIANI ille cum epigraphe COL. PTOLEM. non hujus, ſed ELAGABALI videtur. VABALLATHUS in averſa parte non GALLIENUM ſed AVRELIANUM præfert. Horum vero Nummorum figuras nobis in *Theſaur. Elect. Brand. T.* II. delineabit doctiſſimus *Laur.* BEGERUS, ex cujus ad me humaniſſimis literis hæc didici.

2. Binos *Argenteos*, quibus *Aurum* ita infuſum, *& ſeqq.*] Ipſe TOLLIUS ſuorum hic verborum ſit clarior Interpres *in Manuduct. ad Cæl. Chem.* *p.* 10. ubi ait: „Fiat *Regulus* (ſcilicet *Antimonii ſtellatus*) *Martialis*, „ *Solaris* vel *Lunaris*: & alterutrius particulam in nummum candentem, „ ſuppoſita lævi teſtula, injice, *Solaris* in *Argenteum*, *Lunaris* in *Cupreum*. Exhalabit *Antimonium*, & ſi *Solarem* injeceris, *Aurum* ele- „ gantiſſimo Saturo colore rubeo totum nummum *Argenteum* obducet, „ partemque intus tinget, totumque nummum penetrabit: quod ipſum „ accidet, excepto colore, ſi *Lunari* uſus fueris *Regulo*. Nam & tum „ utraque ex parte tranſiiſſe *Argentum* Monetam *Cupream* videbis, ſeque „ oſtentare. Quod ſi vero nummus *Argenteus*, cui *Solaris Regulus* impoſitus eſt, ita in teſtula collocetur, ut alter eum parvo interſtitio diſ- „ cretus tegat, nec cinis illabi poſſit, ſuperior *aureo* colore ab exhalante, „ cum *Antimonio*, *Auro volatili* obducetur: qua ratione ad multo effi- „ cacius *Aurum Potabile* vulgi perveniri poteſt, & *verum* illud *Philoſophorum* intelligi. Hujus ego utriusque generis binos Nummos elegan- „ tiſſimos Amicis hic pluribus oſtendi: &, cum in *Italiam* tenderem,

 „ *Bero-*

„ *Berolino* transiens Potentissimo ac Serenissimo Electori FRIDERICO GUI-
„ LIELMO *Magno*, laudatissimæ memoriæ, Domino, cum viveret, meo
„ Clementissimo, & omnium Elegantiarum Amatori maximo, dono
„ dedi.

3. *Cervina Calvaria cum Cornibus.*] Talia plurima passim reperiuntur in Museis Principum. Sic *Oliger* JACOBÆUS *Musei Danici Regii* I. 3. *p. m.* 5. *in Figuris Tab.* IV. *num.* I. 2. 3. exhibet tria ejus notæ, ut TOLLII conjectura de *Venatorio* hac in re *dolo* non omnino sit vana; sed & ipsi *Cervi* sæpe cornua tenerioribus arboribus intrudendo abrumpunt.

4. Pinacotheca Augustissimi CÆSARIS *Bohemica.*] Vide *Epistolam* III. *in medio* circa num.

5. Rerum omnium antiquarum & elegantium Amator summus.] imo & rerum Naturalium, Curiosarum, Rariorum, Animantium. neque hæc dicuntur per morem adulatoriæ ἀνξήσεως, aut aulicæ artis blandiendi Magnatibus, sed ex vero. Ita in *Eph. N. C. Dec.* II. *An.* 5. 1687. *Obs.* I. per Archiatrum suum Christianum MENTZELIUM cum Medicis communicavit, *Vulnus ventriculi ultra undecim annos apertum*, *superstite Viro*; quod Ipse exploraverat suis oculis. *Obs.* 2. retulit, *de stagno Quæsturæ* Insterburgensis, *prope oppidum* Kauten, *in* Borussia, *alternis trienniis sponte piscoso & frugifero.* Idem jussit, *Obs.* 3. *Alces monstrosum partum* delineari & perscribi. Sic *seq. Ann.* 6. *Obs.* I. ipse reperit *Aetiten siliceum*, *rarum*, cum exercitum per *Holsatiam* duceret: *Obs.* 2. invenit *Chelonitidem*, eodem in itinere: quorum lapidum figuras ibi vide. Talia in vita privata & familiari Maximi PRINCIPIS potius commemorari decuisset, quam laudabile hoc studium silentio transire, aut narrare loco ejus, quibus cibis lubentius vesci sit solitus, aliaque ejus notæ, nec cognoscendi voluptate jucunda, nec exemplo necessaria.

6. *Inscriptiones.*] Eæ sine dubio erunt *Gothicæ*; miror autem eas necdum a patriarum Antiquarum amante aliquo Viro Docto descriptas accurate & illustratas.

7. Regi suo baculum impegisse, *&c.*] Non abludit hoc a *C. Lælii* ad *Syphacem* Legati stratagemate, qui quosdam ex Tribunis & Centurionibus, per speciem servitutis ac ministerii, Exploratores secum duxerat, ex quibus *L. Statorium*, quia sæpius in eisdem castris fuerat, quidam ex Hostibus videbantur agnoscere: occultandæ itaque conditionis ejus caussa, baculo, ut servum, castigavit; narrante FRONTIN. *de Stratag.* I. I. § 3. Idem, in exploranda *Canischa*, imitatus stratagema nostro ævo narratur Heros *Nicolaus* SERINIUS. Porro quod narrat TOLLIUS, *Vandalis* istis esse *Regem Gentilem*, in eo conveniunt cum *Curlandis Rusticis*, apud quos etiam nunc supersunt *Reguli*, quorum Majores ante *Germanorum* adventum

tum *Lettis* imperarunt. *Roſin.* LENTIL. *in Memorabil. Curlandiæ*, inter *Eph. N. C. Append. Dec.* II. *An.* x. ſive 1692. *p.* 119.

8. *Nec contentioſum.*] Unde TOLLIUS hoc acceperit, quæro. puto, eum non ſatis aſſecutum fuiſſe vim vocis *Germanicæ*, quæ eſt tadelhaft. Sic enim in *Teſtimoniis publicis honeſti ortus*, noſtratibus: Geburts-brieffen / quæ iſto in tractu, & in *Veſtofalia*, pro more, illis, qui ad opificia diſcenda aſſumuntur, aliisve petentibus dari ſolent, ſæpius ipſe inſertum & additum legi: daſz er von keinen Wenden noch tadelhaften Leuten herkommen: quæ ſignificant: τὸν δεῖνα *non eſſe a Vandalis oriundum, nec ex ea gente, quæ opprobrio eſſe poſſit.* Veſtigia hæc ſunt priſci *Germanorum* odii, quo ſubactos *Vandalos* proſequebantur: eodem modo, ut *Slavi* alias gentile nomen, in *ſervi* & abjecti mancipii cujusvis nomen tranſiit.

9. Eorum quoque idiomate &cc.] Hoc enim *Boruſſorum Veterum* diverſiſſimum eſt a *Germanico*, quo utuntur alias cæteri incolæ.

10. *Schmœlnitzii*, &cc.] Vide de hac metamorphoſi dicta *Epiſtola* I. & *in Annot. num.* 13. & *Epiſt.* V. ibique *Annot. num.* 60.

11. De *Lapidibus* illis, *&c.*] vide *Epiſt.* I. ibique *Annotata*, *num.* 36.

12. HENDREICHIUM Bibliothecæ Præfectum.] TOLLIUS ſæpe nomina *Germanorum* Gentilia mirifice ſcripſerat, quæ paſſim ſuæ veritati reſtitui. ſane *Electoralis Bibliothecæ Præfectus* eſt *Chriſtophorus* HENDREICHIUS, V. Cl. qui anno 1687. dabat *Notitiam Bibliothecæ Electoralis*, *Berolini*, ex cujus *dedicatione*, quam ſolam habeo, diſco in ea *mss. Codices*, variis Europæ, Aſiæ, Africæ Linguis, 1618. *pictos* ſive *penicillo*, ſive *cælo*, 115 junctim *Volumina* numerari circiter 20600. ſi *libros* ſpectes, exhiberi poſſe 90000. Atque utinam Vir hic optimus potuiſſet nobis dare, quas minabatur ſpecimine edito *Pandectas Brandeburgicas!*

13. *Orientalium* Librorum:] maxime *Sinenſium*: & quidem non ad ſolam inutilem pompam, verum & uſum. Nota ſunt eruditiſſima ſcripta & opera Virorum in hoc ſtudio admirandæ induſtriæ *Andreæ* MULLERI & *Chriſtian.* MENTZELII.

14. Quibus & ego plures, quam ducentos, *& ſeqq.*] Inter hos mihi ſæpe TOLLIUS narravit, eximios maxime fuiſſe, *aureum* JVLII CAESARIS DICTATORIS, cum HIRTII in *averſa parte* epigraphe; AEMILIANVM ex *ære*, *Trientem*que priſcæ Reipublicæ antiquiſſimum; item binos, neſcio jam quos, ab Ampliſſimo CUPERO ſibi quondam donatos.

15. TRAJANVM.] Maximi ſemper ſolebat facere & æſtimare TOLLIUS hunc Nummum, quem ipſi Fors Fortuna in *Gallia* per Ruſticum obtulerat, integerrimum, pulcerrimum, majoris moduli, æreum, rariſſimæ, &, abſque ulla falſi ſuſpicione, nobiliſſimæ Inſcriptionis. memini, *ducentos*

unciales sæpe voluisse huic *Nummo* imputare TOLLIUM ; ajebat enim Sibi Illustrem SPANHEMIUM , Principem in hac eruditione Virum , *Clivis* aliquando confessum esse , unicum hunc nummum , ab omni fraudis suspicione alienissimum , sibi hactenus ejus commatis visum : certe nullum aliud , vel in *Cimeliarchiis Principum* , vel in impressis *Nummariorum libris* exstare exemplum novi. Aversa Nummi pars ; nam & ipse Nummum non semel jucundo spectaculo perlustravi cum TOLLIO Nostro adhuc possessore ; non , quam nunc Sibi Magni Reges præcipuam gloriam ducere solent , VASTATORI , aut EVERSORI ; verum LOCVPLETATORI ORBIS TERRARVM consecrata *Senatus Consulto* erat , addito consueto laudatissimæ *Liberalitatis* Symbolo : quod , una cum hac ipsa inscriptione , in rarissimo item HADRIANI Successoris Nummo exstat , & præter cæteros ab eruditissimo *Joh.* VAILLANTIO cum literato Orbe communicatum est : verba ejus , ex libro *de Numism. Impp. Rom. æreis Romanis* , *in Hadriano, in ordine literæ* L. *p. m. 66. ed.* I. hæc accipe : ,, LOCVPLETATORI. ,, ORBIS. TERRARVM. Imperator togatus sedens in substructione , ante ,, quem figura muliebris effundit e cornu Copiæ pecuniam , quam duæ fi- ,, guræ , in imo sitæ , excipiunt sinu. Hic nummus primi moduli apud ,, *Fabr.* CHIARI *Romæ* inter præstantissimos & rarissimos recensetur. hæc Ille. hoc autem HADRIANI nummo confirmatus Vir idem Illustris , *Ezechiel* SPANHEMIUS , in consummatissimo *de Us. & Præst. Numism.* Commentario , *Diss.* IX. *p. m.* 812. AUSONII locum , in *Gratiar. actione ad* GRATIANUM *Imp. sub finem* , ed. TOLLIANÆ *p. m.* 730. ubi de Liberalitate TRAJANI agit , cum eaque GRATIANI munificentiam comparat , corrigere ita tentavit , ut ,, *vel* HADRIANUM *pro* TRAJANO *omnino repo-* ,, *neret* , *vel inter* AUSONII μνημονικὰ ἁμαρτήματα *hoc referret.* at audiamus AUSONIUM : *Neque vero unum aliquod bonum* , ait ad GRATIANUM, *uno die præstas* ; *sed indulgentias sæculares per singula horarum momenta multiplicas. vel illud unum cujusmodi est* , *de* CONDONATIS RESIDVIS TRIBVTORVM ? *quod Tu quam cumulata bonitate fecisti* ? *Quis unquam Imperatorum hoc Provinciis suis aut uberiore indulgentia dedit* , *aut certiore securitate prospexit* , *aut prudentia consultiore munivit* ? *Fecerat &* TRAJANVS *olim : sed partibus retentis* , *non habebat tantam oblectationem concessi debiti portio* , *quanta suberat amaritudo servati.* Illustris SPANHEMIUS *l. l. p. m.* 815. subjicit : ,, Digna utique Munificentia *Romano* PRINCIPE , seu ,, Parente Publico , & vel quo nomine LOCVPLETATOR ORBIS TERRA- ,, RVM dici merito potuit HADRIANVS , prout in antiquo Nummo voca- ,, tur. ita Ille. verum TRAJANI nummum hac inscriptione Vir Illustris tum necdum viderat. Sine dubio vero is in illius TRAJANI Liberalitatis memoriam cusus fuit , quippe quæ ad universas Populi Romani Provincias, sive *Orbem Terrarum* , ut tum loquebantur , pertigerit. Ut autem omnis alienæ gloriæ invidentissimus obscurator HADRIANVS fuit , & ambitiosissimus

mus interversor; ita & Paternæ laudis monumenta, vel nomen suum substituendo, vel imitando, vel diruendo, vel supprimendo & obliterando obterere conatus est: cujus animi nimium sane jejuni pravique luculentissimum indicium est Pons ille magnificentissimus TRAJANI *Danubianus*, quem HADRIANUS, præcludendum ad *Romanas* per hunc Pontem Provincias aditum prætexens, vixdum absolutum dirui jussit. Adeoque & Nummus similis TRAJANI ab HADRIANO ad exemplum cusus est Decessoris: unde etiam non inepta conjectura duci potest, eundem HADRIANVM in RELIQVIS etiam VETERIBVS CONDONATIS aut ABOLITIS, quem nummum depingit SPANHEMIUS *l. l. p.* 811. æmulatum esse TRAJANI Liberalitatem, suppressis, qui forte hujus argumenti, TRAJANI nummis, aut etiam longa temporis injuria perditis; cum tam insignis nummi nostri, de quo agimus, unicum nunc in Orbe Terrarum exstare videatur specimen: quod autem uni accidit, id pluribus evenisse, non adeo a verisimilitudine alienum remotumve est. Hæc quidem mea TOLLIIque nostri fuit sententia. Cl. BEGERO, ut ex Ejus ad me literis hoc addam, *Numisma* hoc *genuinum* non videtur, quod aversa pars HADRIANO debeatur.

16. *Duo Coss. Romanorum Signa.*] At Cl. BEGERUS ad me scribit, se hæc non vidisse, adeoque forsan Cl. TOLLIUM hoc nomine alia quædam designavisse: item ait, Imagines Conjugum *Clivis* allatas, non ex *marmore*, sed *opere figulino* esse, & in *Clypeis* prostare.

17. Me fusius & egisse jam publice.] scilicet in *Sapientia Insan. p.* 21. & 28. Cætera, quæ promittit, forsan erunt per mortem Auctoris cum cæteris destinatis sufflaminata. ne quid dissimulem, sentio hæc ænigmata Chymica esse sexcenties obscuriora numeris Pythagoræis, ideis Platonicis, nugis Gnosticorum; quare semper meo TOLLIO, cum viveret, Auctor fui, ne blandiretur amabili ipse insaniæ. profecto, si usquam, certe hic

Turpe est, difficiles habere nugas;
Et stultus labor est ineptiarum.

Si tamen Alchymistarum Mysteria propius nosse desideramus, ea perspicue explicabit, sic fas est credere, *Petrus Johannes* FABER, *in Tract. ad Ser. Duc. Holst.* FRIDERICUM, *de rebus Chymicis*, ex Museo *Gabr.* CLAUDERI, *in Append. Eph. N. C. Dec.* II. *An.* 8. *sive* 1690. *p.* 73-121.

18. KURNATOVII.] Hanc malui Latinam inflexionem, quam quæ τὸ SKY exprimit, ut vulgo fieri video. mihi placet sequi SARBIEVIUM, *Polonum*, qui nomen suum SARBIEWSKY ita flectit Latine. idem itaque in Aliis, licebit ejusdem notæ, in quibus scilicet commode fieri potest, atque ex KURNATOWSKY facere KURNATOVIUM.

19. Ad

19. Ad *Polonorum mores.*] Quoniam TOLLIUS Noster curiositate eleganti non indignum putavit, ista minus nota Nostratibus annotare, nec venustæ urbanitatis Lector indignabitur, si & ipse minus nota plura huc congessero. Sic α. Peregrinis nullus ad munia & honores Sacros Profanosve est aditus; quod confirmatum in *Comitiis Jedlinensibus* & *Warsaviensibus*, FREDRO *de Gest. Polon. sub. Henr. p.* 81. PIASEC. *ad an.* 1598. *p.* 186. JANUSSOV. *Constitut.* III. 5. β. Item nec Civibus Urbium, HARTKNOCH. *de Rep. Pol.* II. 1. *p.* 227. γ. nec Spuriis indigenarum Nobilium. hinc atrocissima injuria, Nobilem legitimo toro natum *Meretricis Filium*, aut *Matrem* ejus *Meretricem* traduci: pœna est LX. *marcæ grossorum*, addita hac solenni publica palinodia: *Id quod sum locutus, mentitus sum sicut canis.* Joh. HERBURT. de FULSTIN. *Statut. Regn. Pol. p.* 274. *tit Nobilitas.* δ. nec Nobilibus, qui Bona Terrestria, quæ vocant, non possident: ε. nec ad Satrapiæ dignitates superiores admittitur, nisi qui eo ipso in Tractu Bona Terrestria possidet CROMER. *de Orig. & Reb. Gest. Polon. lib.* XIII p. .. ζ. Soli Nobiles Bona Terrestria, sive Villas, Prædia, Agros extra Urbes possidere possunt. Constit. JOHANNIS ALBERTI an. 1496. SIGISMUNDI Senioris an. 1538. SIGISMUNDI AUGUSTI an. 1550. ap. JANUSSOV. *l. l.* VIII. 2. p. 103. η. hinc nec Plebeji, nec Collegia, nec Communitates in urbibus *Poloniæ* & *Lithuaniæ*, aut hereditatis aut hypothecæ jure, talia bona acquirere possunt; si tamen ea sibi comparent, eo ipso jacturam eorum faciunt. *Const. an.* 1611. *ibid. p.* 14. *Diar. Comit. ad diem* 28. *Martii an.* 1538. *Cracovia* tamen, *Vilna*, *Leopolis*, Urbes Principes, per specialia privilegia, Bona Terrestria acquirere, Comitiis interesse, symbolas suas conferre possunt. *Const. ann.* 1611. 1676. *ap.* HERB. *p.* 29. item Indigenæ *Prussici*; *Prussiæ* hinc Civitates majores in Electione REGIS pari cum cæteris Ordinibus jure utuntur: Ad Comitia autem Generalia non mittunt Delegatos, quia extra *Prussiam* de sua Rep. consultari nolunt. *Pact. Incorp. ib. p.* 15. 16. *Privil.* SIGISM. I. *an.* 1530. PIASEC. *ad an.* 1632. HARTKN. *l. l.* II. 5. *p.* 610. θ. Nobilem censeri, qui Patre Nobili, Matre populari natus sit, si nobiliter vixerint Parentes, colligitur ex HERBURT. *l. l.* 274. ι. Honorum titulos ab externis Principibus sibi collatos *Poloni* aspernantur. FREDRO *l. l. p.* 75. *& seq.* HARTKN. *l. l.* II. 5. *p.* 578. *& seqq.* κ. ne quidem Caussæ patronus ex plebe ad caussam orandam in Judiciis Terrestribus & summi Tribunalis admittitur, sed tantum in Judiciis, quæ vocantur *post Curiam.* ex *Matthia* DOBRAKIO, HARTKN. *l. l. p.* 605. λ. Nobilitas per semet ipsa, omnis, admissis etiam non possessionatis, ut vocant, sine Delegatis Provincialibus, in Campo Electorali *Regem* elegit. μ. Nobiles in suos Rusticos, quos *Kmethones* & *Clophos* vocant, absolutum imperium habent & jus vitæ ac necis. FREDRO *Fragm. Polit. num.* 14. *p.* 297. frustra per leges servili & miseræ turbæ consulere volentibus Regibus, HERBURT. *l. l. tit. Kmetho p.* 252. *& seq.* maxime CASIMIRO M. ideo per ludibrium

dibrium *Plebejorum & Ruſticorum Rege* dicto, PISTOR. *in Corp. Scriptor. Polon. Tom.* I. *p.* 119. graviter *colonorum oppreſſionem*, *graves & quotidianos laniatus* querente WARSEWIC. *de opt. Stat. Libert. p.* 118. his ipſis verbis: *vitam hi inopem & miſeram ducunt, ſine foro, ſine judice, ſine lege, addam & ſine Rege & Religione aliquando, cum pecudum more etiam diebus ſacris laborare cogantur.* υ. Improlis Poſſeſſoris Bona a morte Rex jure Caducitatis non poteſt alteri conferre, ſi Cognati uſque ad gradum octavum incluſive ſuperſint, qui tum heredes fiunt *Conſtit.* SIGISM III. an. 1588. ap. HERBURT. *l. l. p.* 458. ο. Sterilibus Nobilibus bona ſua ante mortem alienare licet. *Conſt.* SIGISM. AUG. 1596. ap *Paul.* SZERBIC. *Conſt.* II. 8. *p.* 127. π. Extranei in bonis Nobilium decedentis ſine herede, bona Dominus fundi jure ſibi vindicat. *Conſt. an.* 1588. ap. HERBURT. *p.* 458. ρ. Nobiles poſſeſſionati jus fodinarum Salis & Metallorum in propriis fundis repertarum habent, non Rex. *Conſt.* STEPHANI *R. an.* 1570. *l. l. p.* 255. & 377. *Statut. Lithuan. in Additamentis l. l. ad Cap.* 3. *art.* 2. σ. Domus Nobilium in agris & urbibus aſyli jus habent: itaque facinoroſi in eas fuga elapſi ibidem arreſtari poſſunt, non vi inde extrahi; ſed jure repetiti extradi debent, ne ſceleribus ſit paratum perſugium. *Conſt. an.* 1588. *p.* 466. & *an.* 1611. *p.* 24 *Stat. Lithuan. c.* 3. *art.* 49. τ. Nobilis, criminis reus, nec a Judice, nec ab ipſo Rege prehendi, in carcerem duci, aut bonis publicatis condemnari poteſt, niſi citatus & jure convictus. *Conſt.* CASIM. JAGELL. an. 1454. ap HERBURT. *p.* 279. & SZERBIC. *l. l.* II. 8. *p.* 227. υ. Nobilis, ad Privati delationem, etiam ſuper perduellionis aut proditionis crimine, niſi actore certo, non punitur. *Stat. Lith. c.* 1. *art.* 2. φ. Nobilis proſcriptus aut capitis reus captus, a nullo Magiſtratu poteſt ſupplicio affici, ſine Regia informatione. PIASEC. *Chronic. p.* 16. χ. Homicidii crimen exigua pœna Nobiles luunt. audi & mirare ipſiſſima verba ex *Conſtit.* CASIMIRI M. *Quamvis occidens hominem, ſecundum Dei & Legum ſanctiones eſſet capitali pœna plectendus; Nos tamen rigorem illum temperantes ſtatuimus, quod occidens Militem* (i. e. Nobilem) *triginta marcas parentibus, pueris vel amicis ſolvere teneatur.* ubi tacite impune tranſmittitur plebeji cædes. at *an* 1581. ſancitum, ut ſi Nobilis Plebejum interficiat, itidem XXX. *marcas* ſolvat, quarum XV. Domino interfecti & XV. uxori liberiſque occiſi dentur. ap. HERB. *p.* 372. ψ. At cædes perpetrata intra mille paſſus ab eo loco, in quo Rex degit, capitalis eſt: non item, ſi Rex poſt cædem ante perpetratam, illuc loci accedat; tum enim homicida liberatur ordinaria multa pecuniaria; ſed e contrario ſi tamen vulnerarit lethali quem vulnere Rege præſente, & Rege digreſſo vulneratus demum moriatur, tum mortis eſt reus. *Petrus Royzius* MAUREUS, *Alcagnicenſis Hiſpanus*, ſed Regius in *Polonia* Conſiliarius, *Deciſion. Lithuan.* I. num. 239. *p.* 23. ed. 1570. qui plura alia *Polonis Lithuanis*que in jure ſingularia habet. ω. Nobiles non pendunt tributum *Poradlne* dictum, ex

Const. LUDOVICI *Hungari* ap. JANUSSOV. *lib* IV. *Privileg. p.* 319. NEUGEBAUER. *Hist. Pol. l.* III. *p.* 204. & ex *Const.* SIGISM. II. JANUSSOV. *l. l.* αα. Nulla telonia solvunt Nobiles aut vectigalia de armentis, frumentis, cæterisve rebus venum exponendis ad alia loca avectis. ex plurimis *Constit.* 1569. 1576. 1587. 1588. ap. HERBURT. *p* 475 ββ. Bona Nobilium libera sunt a stationibus militum, sive metatis, sub pœna infamiæ in transgressores redundatura. *Const.* SIGISM. III. an. 1588. *l. l.* p. 480. JOH. CASIMIRI an. 1650. γγ. Rex ipse in itinere apud Nobiles nullas se habiturum stationes lege lata promisit. *Const. an.* 1374. & 1433. ap HERB. *l. l* tit. *Stationes p.* 466. *& seqq.* δδ. Nobilium quoque clientes, domestici, subjecti, cum propriis rebus iter facientes, nec telonia, nec foralia pendunt. *Const. an.* 1550. *l. l. p.* 3. εε. quod extensum quoque ad *Borussos* tam Nobiles, quam Plebejos, *Poloniæ* aut adferentes, aut avehentes bona mercesque. *Const. an.* 1587. *l. l. p* 375. ζζ. At si, urgente necessitate, in Comitiis Generalibus, unanimi consensu, ad certum tempus, *Vectigalia* imperentur, nemo ab iis pendendis excusatur. *Constit. an.* 1629 *p.* 18 *an.* 1631. *p.* 14. *tit. Evecta: ap.* HERB. ηη. Recens creati Nobiles, sive Novi homines, ad dignitates & magistratus non provehuntur in tertiam usque progeniem, nec legationes obire possunt. vide *Pacta Conventa* JOH. III. Sunt autem Magistratus alii *Majores*, ordinis Senatorii, *Archiepiscopi*, *Episcopi*, *Palatini*, *Castellani* &c. alii singulorum Districtuum, ut *Succamerarii*, *Capitanei*, *Judices*, *Subjudices*, *Notarii Terrestres* & *Castrenses*, item horum omnium Vicarii &cc. item *Abbatiæ* & *Canonicatus* solis Nobilibus patent, excepto certo Canonicatuum numero pro *Doctoribus Theol. Jur. & Med.* qui *Professores* simul sunt. *Const.* JOH. ALBERTI *& Aliorum RR. ap.* HERB. *p.* 21. 25. 35. ϑϑ. Novi Nobiles, præter ordinarias Contributiones, quas per Comitia communi Ordinum consensu in Declarationibus *Palatinatuum* promissas pendit antiqua Nobilitas, extra ordinem insuper peculiares addere debent. V. *Universales an.* 1613. 1620. &cc. Unde apparet, Novitatem illic iniquis haberi conditionibus, nisi vel meritorum in Remp. magnitudine, vel adoptione in Optimatum antiquorum gentes & arma gentilitia, quasi deleatur & antiquæ Nobilitati exæquetur. *Const.* 1676 *l. l. p.* 59. *& seq.* ιι. Hæc autem Nobilitas nova olim in Comitiis Generalibus a Rege & Ordinibus petebatur, & Ordinum consensu ac approbatione a Rege indulgebatur: at ex *Const.* SIGISMUNDI III. *an.* 1601. 1617. Candidatus eum honorem prius in præcedentibus Comitiolis petere debet, & insuper debet in Generalibus Comitiis a Nunciis Terrestribus commendari. *ap* HERB *l. l. p.* 11. *&* 748. κκ. Singularis est Polonorum mos, inter alias amoris & reverentiæ ceremonias, frontis vocabulo, *czolo* dicunt, omnem devotionem in salutationibus responsionibusque compromittere, eandemque frontem non segniter mensis, quibus adsident, vel adstant, in affectus signum allidere.

lidere. ita *Sim. Joh.* ARNOLD. ad *Joh* SELDEN. *Titt. Honor.* I 3 §. 3. Plura apud laudatos Auctores ſingularia in Rep. *Poloniæ* occurrunt, in quibus nos etiam adjuvit induſtria *Joh. Frid* HOMMELII, qui de *Indigenatu Poloniæ* diſſertavit *Lipſiæ* 1698. Lector vero æquus veniam dabit vocibus ſubinde minus Latinis, quibus uſi ſumus, ut ſemibarbaris, quorum major numerus, intelligeremur.

20. Nec REGEM &cc.] nec Ejus Fratres, Nepoteſve, quamdiu in vivis eſt *Rex*, ſpe potiundi dignitatum publicarum gaudent. promiſit id lata lege LUDOVICUS *an.* 1374. confirmavit ULADISLAUS JAGELLO, Aliique Reges. FREDRO *Hiſt. Henr. p.* 230 PIASEC. *ad an.* 1624. *p.* 368. imo in Pactis Conventis promittunt *Reges*, quod velint omnes Conſanguineos Collaterales eodem jure cenſere, quo reliqua Nobilitas *Polona* cenſetur. vide ex. gr. *Pacta Conv.* JOH. III.

21. Nec *Extero* id licere, *&cc.*] niſi Nobilitati, ut diximus, adſcribi uti indigena meruerit. Verum tamen notum eſt, Exteros Principes æque ac indigenas Candidatos, quos *Piaſtos* appellant, poſſe Regiam dignitatem ambire. Errat enim BODIN. *de Rep.* V. 5. eumque ſecutus perſonatus *Franc.* MARINIUS *de Scop. Reip. Pol. c.* 4. *p.* 80. *Piaſtos* lege publica arceri Regia dignitate. ſed ubi rerum teſtimonia loquuntur, quid opus eſt verbis?

22. *Polonicæ* namque *Nobilitatis* &cc.] accipe cum grano ſalis, & redi in memoriam modo dictorum. ex *Moſcovia* enim *Polonis* adoptati ſunt *Kneſii* ſeu *Duces* OGINSCII, MASSALSCII, & POLUBINSCII: Vide *Simon.* OKOLSK. *Orb. Polon. T.* II. *p.* 43. & 218. ex *Germania* FRANCISCUS HERMANNUS *Saxoniæ Dux an.* 1652. *Conſt. ejus anni ap.* HERB. *p* 28. *Veſpaſ.* a KOCHOW KOCHOWSKY *Annal. Polon. Clim.* I. *p.* 344. ex *Britannia*, *Henr. de* GORDON, *Marchio Huntlæus* an. 1658. ex *Moldavia*, *Stephanus Petrus*, PALATINUS *Moldaviæ*, an. 1676. ex *Dacia*, *Andreas* & *Balthaſar* BATHOREI an. 1588. & *Andreas* BATHOREUS alius ſub initium hujus ſæculi. adoptati ſunt etiam *Comites* GORÆ, BOGURI, GOZIEMBÆ, ZAREMBÆ, BILATOVICÆ, MANDUCÆ, BRODI, WIERZBNA, LARISSÆ, ROGALÆ *de* BIBERSTEIN, SLOPIÆ, CZARNCOVIÆ, UCHANSCII, CEMBOCII, TROMBKII, LABISZINI, GULCZOVII, SZAWINII, SCHAFGOTSCHII, Alii. HARTKN. *de Rep. Pol.* II 5. *p.* 576. KOCHOWSK. *l. l. p.* 345. inter *Barones*, ex *Marchia Brandeburgica* Polonicæ Nobilitatis jure donati, *Otto* L. B. de SCHWERIN; *Joh.* L. B. ab OVERBECKE, *Conſt. an.* 1658. *p.* 50. *Georg* L. B. de DERFFLINGER, *Conſtit. an.* 1685. *p.* 21. ex *Suecia*, *Chriſtophorus* HOUVALTUS, ante Generalis Excubiarum ſub Cæſareis Signis; ex *Franconia*, *Nicolaus Conſtantinus* GISSA, Prætoriæ Legionis Protribunus; ex *Gallia*, *Claudius* PERPESSIUS: vide COCHOV. *l. l.* Sane non omnes hi fortibus factis hoc decus meruerunt.

23. *Proteſtando.*] Hanc licentiam ipſi *Libertatis Polonicæ Animam* vocare ſolent. imo cuivis Nobili jus eſt idem, in præcedentibus Comitia Comitiolis, in medium conſulendi, comprobandi, improbandi, contradicendi, intercedendi, irritam faciendi concionem & res infectas. atqui ſine his rite expeditis præviis Comitiolis Comitia non procedunt.

24. Graduum vix ullum diſcrimen.] Caute, ſed tantum *titulorum*; quorum ratione *Nobiles* alii illis gaudent, alii aut illis non utuntur, aut non gaudent, licet æquali omnes jure ſint, ut vidimus: unde male a nonnullis alienigenis Scriptoribus *Poloniæ* Nobilitas in *Superiorem* & *Inferiorem* diſtribuitur. Vide HARTKN. *l. l. p.* 580. & *Joh.* ZAMOSCIUM *ap. Reinhold.* HEIDENSTEIN. *Rer. Pol. l.* XII. *p.* 383. *a. Duces* lego, præter eos, quos dixi, KORIBUTOS, CZATORISCIOS, RADZIVILIOS, WISNOVICIOS, CONJECPOLSCIOS, OSSOLINSCIOS, lego *Principes* LUBOMIRSCIOS, ZAMOSCIOS: Unicus ille, de quo TOLLIUS, *Marchio* erit forte HUNTLÆUS, de quo diximus. at tantum IV. Comites eſſe non aſſequor, qui lego *Magnos Comites* STARZONES ex TOPORORUM familia; item, præter dictos ſupra, *Comites* TENCZYNIOS, OSTRORGOGIOS, TARNOVIOS, BNINIOS, MORSTENIOS, DENHOFFIOS, WIOLOPOLSCIOS in STOLNITZ, LESCZINSCIOS de LEZNO, Alios. *Barones* quoque non ſolum, quos dixi, ſed & alios ſubinde obſervo, uti *in* SKLOW & BYCHOW, Alioſque. Vide de hiſce omnibus OKOLSK. *Orb. Polon. Barthol.* PABROKI *Stemmata Polon. Nobilitas* vero *Equeſtris*, ſine illa titulorum pompa, frequentiſſima eſt per *Poloniam*, adeo ut vel in ſola *Maſoviæ* Provincia ſint *Familiarum Equeſtrium quinque & quadraginta millia*, teſte STAROVOLSCIO *Polon. p.* 64. 65.

25. *Non, ſervire ſe* REGI &cc.] Certe in *Literis Univerſalibus* ad *Palatinatus* expeditis iſta fere verba ſolennia obſervo: *Univerſis & Singulis, quorum intereſt, inprimis vero Magnificis, Generoſis, Senatoribus, Dignitariis & Officialibus, cunctisque ordinis Equeſtris in Palatinatu N. & Incolis, nec non Turmis Equeſtribus, Legionibus & Cohortibus tam veteris, quam novi auctoramenti, quocunque nomine Reip. ſtipendia merentibus, Copiis item e Conſtitutione Fumaria conſcriptis notum facimus......* Habito Conſilio bellico *Sinceritatibus & Fidelitatibus veſtris denunciamus per literas haſce Noſtras Univerſales.... Sinc. & Fid. Vras flagrantiſſime requirimus, ut ſancita Reip. in Comitiis præteritis obſervando...ſicuti per Legem publicam deſcripta ſunt, maturent....requirendo, & per amorem Patriæ, per obſervationem Legum & cuſtodiam Libertatis obteſtando, ut ordinationem Comitiorum in puncto...unanimiter & conſtanter per omnia conſervent, neque, tardando aut refragando Legi Publicæ, detrimentum Reip. aut ſibimet ipſis grave onus, qua publice, qua privatim, propterea ferendum, Palatinatus ejuſmodi & Terræ, quæ contradictorio ducuntur ſpiritu, arceſſant. Cunctas vero Cohortes & Legiones, tam pridem, quam recens*

cens inauctoratas, Copiasque e Fumaria Contributione lectas, quam maxime stimulamus atque hortamur, iisque serio mandamus, ut ..... Factura hoc ipsum pro defensione Gloriæ Divinæ, & in spem præmii, quod a Nobis & Rep. capient. Hæc excerpo ex *Universalibus* R. MICHAELIS, datis *Varsoviæ* 15. *Junii* 1673.

26. Quin & esse REGUM sanguine ortos, *&cc.*] *Thom.* LANSIUS *in Consultat. de Principat. Europ. oratione contra Polon. p. m.* 468. ex GUAGNIN. *Rer. Polon. T.* I. ait: „ Quo precio habeam *Duces Giedrocenses* „ in *Lithuania*? qui cum sint pauperrimi, & vix colonorum conditionem „ adæquent, atque in famulatu plerunque vitam tolerent; tamen si alio, „ quam *Ducum*, nomine appellentur, non sine acerba injuriæ exprobra- „ tione irascuntur: sicuti & genus suum ad *Ducum Lithuaniæ* prosapiam re- „ ferunt, ac insignibus *Ducatus Lithuaniæ* antiquis utuntur. hæc LANSIUS, qui duabus *Orationibus*, altera *pro Polonia*, altera *contra eandem*, virtutes & vitia *Polonorum* recenset, & plurima inspergit de indole, genio, moribus, legibus, lingua, *Polonorum*, Lectori & jucunda, nec passim obvia, *p. m.* 439--479. cui junge *Lucæ de* LINDA *Descr. Orb. p. m.* 899--971.

27. In *lapidem* induruerat.] Possideo, inter mea Naturæ Ludentis miracula, nonnulla frusta straminea & lignea crustis lapideis, quæ Tartarum æmulantur, obducta, in fontibus Salinis, prope *Nauhemium*, oppidum, sive pagum majorem, juxta *Fridbergam* in *Wetteravia*, qui est in ditione *Comitatus* HANOVICI amplissimi, dulcissimæ quondam nobis patriæ, & tutissimi Exsulum olim e *Belgica*, ob Sacra puriora profugorum, perfugii.

28. De *Fonte* quodam *Hungariæ* &cc.] Tales *Aquæ Lapidificæ* plures etiam alibi, non tantum in sola *Hungaria*, reperiuntur. eæ injecta aut plane in Lapides transmutant, aut cortice tantum incrustant lapideo. prioris generis rariores sunt. de caussis vide SENECAM *N. Q.* III. 15. & 25. posterioris generis plures sunt; caussa creditur *margæ* incrustatio *accrescentis*. Tales Fontes in Agro *Francofurtano* ad *Oderam* versus Austrum inter vineas profluunt; de quibus vide J. C. BECMANUM *Notis ad Wolfg.* JUSTI *Chron. Francof. c.* 3. *p.* 35. 36. THURNHEUS. *de Aq. Min. lib.* VII. *p.* 204. lapidem istius notæ Physici vocant *Stalactiten Crustosum.* ibidem *l. l.* BECMANUS meminit Fontis e collibus *Vrizigensibus* in eodem tractu emergentis, ac lapides immissos sanguineis guttis tingentis. *Gardæ Islandorum* sunt Acidulæ petrificæ, teste incola & autopte *Torkillo Arngrimo Widalino*, in *Act. Med. Hafn.* *Thom.* BARTHOLIN. *Vol.* III. & IV. *Obs.* 87. & 88. sed hæc *Fontium* miracula enarrant *Dav.* CHRISTIANI *Geogr.* II. 21. BECMAN. *Hist. Orb.* I. 3. §. 25. 26. KIRCHER. *Mund. Subt.* V. 3. *c.* 4. VAREN. *Geogr.* I. 17. *Prop.* 17. ISIDOR. *Orig.* III. 20. MAJOL. *Dier. Can. Colloq. de Fontibus.* PLIN. *H. N.* II. 106. Aliique.

29. Neſcio quis PRINCEPS.] Ille, niſi fallor, eſt Sereniſſimus *Holſatiæ Dux*, qui PALUDANI *Muſeum* a Majoribus redemtum & auctum poſſidet in *Arce Gottorpienſi.* vide librum Gottorffiſche Kunſtkammer.

30. *Croatiæ* rivo] Puto hac de re aliquid haberi in Illuſtris VALVASORIS *Carniolæ* deſcriptione, ab *Eraſmo* FRANCISCI recenſita; ſed quæ jam ad manus non eſt edita eſt forma maxima, IV. voluminibus, Germanice. Miror Geographis hunc rivum ſilentio præteritum.

31. *Hercules* &cc.] adeoque hic quaſi decimus tertius labor ejus fuiſſet. TOLLIO meo puto idem hic contigiſſe, quod aurigine laborantibus, quibus omnia videntur flava, etiam albentia: Sic φιλοχημικωτάτῳ illi etiam pictorum audax licentia hic viſa eſt myſteria Chemica obumbrare, cum ſimpliciter notet Maſculam Virtutem, quæ nec mellitis eloquentiæ globulis, nec Veneris aut Cupidinis dulcibus illecebris, nec Belli ferocientis inſania, nec Gulæ irritamentis cap tur, omnium victrix vitiorum.

32. *Priapi.*] Eum nobis in *Theſauro Elect. Brandeb.* delineabit *Laur.* BEGERUS, Vir doctiſſimus, quo curioſum Lectorem remittimus.

33. Hinc ex iis captis voluptas non ingrata, *&cc.*] *Germani* hoc genus ſpectaculi & ludicræ venationis vocant Fuchs-prellen.



JACOBI

JACOBI TOLLII

Epistola Itineraria III.

ITER VIENNENSE:

A D

Celeberrimum & Acutissimum Philosophum,

D O M I N U M

GERARDUM DE VRIES.



uartus erat mensis *Martii* dies, cum *Berolino Wittebergam* currum conscendi. In itinere nihil notavi, nisi agrorum sterilitatem, quæ ultra *Albim* demum desiit. Totus enim ille tractus circa *Berolinum* arenosus est. *Witteberga* urbs studiis Literarum, & inprimis LUTHERO suo, clara, nihil habet, quod advenas alliciat, nisi famam nominis. Intranti urbem statim verum apparuit *Germanorum* illud vulgare dictum: Komm zu Witteberg ins thor / so begegnet dir ein Schwein / oder ein Student / oder eine Hur; id est: *ubi Wittebergensem Portam intraveris, aut Sus obvia erit, aut Studiosus, aut Meretricula.* Visurus Academiam, prælegentem audivi senem *Theologum*, & placuit insigniter ipsum *Auditorium*, satis amplum, & imaginibus pluribus exornatum. Quod autem Urbs ea commorationem longiorem minime mereri videbatur; eodem, quo veneram, die, inde, *Albi* transmisso *Lipsiam* profectus sum, quæ tantum inter Academias *Germanicas*, quod ad nitorem, pompam, frequentiam civium, elegantiam Linguæ morumque, elucet, quantum inter

ſtellas Luna minores. Dum igitur ſtudioſe omnia perluſtro, accidit forte, ut *Hortum* viderem adapertum, qui mihi ultra plebejum ſplendorem videbatur excultus. intro igitur, &, dum circumſpicio, video Virum, cujus mihi vultus gravitas & nitor veſtitus ſuſpicionem altioris dignitatis injecit. Adeo, ſaluto, & celebrem illum, magna cum animi voluptate, cognoſcere incipio *Botanices* Profeſſorem AMMANNUM. Ab hoc tam felici curioſitatis meæ auſpicio ad *Bibliothecam Publicam* pergo. Hic non tantum eruditiſſimum hominem, ſed ipſam Humanitatem, offendo FELLERUM *Poetices* Profeſſorem & *Bibliothecæ* Præfectum: a quo mihi ſtatim non modo monſtrata *Bibliotheca* eſt, ſed & oſtenſi *Codices mss.* inſignes. in his HOMERUS erat, cum *Exegeſi* & *Scholiis Joannis* TZETZÆ, *Græcis*, ineditis, ſed propter notarum ſeu literarum compendia lectu perdifficilis: HERMOGENES; APHTHONIUS; SYNESII *Epiſtolæ:* item JOSEPHUS *de Bello Judaico*, Græce; POR- 3
PHYRIUS *de Abſtinentia Animalium*, Græce; GENESII *Hiſtoria Byzantina*, inedita, Græce, a LEONE *Armeno* uſque ad exceſſum BASILII *Macedonis*; THEODORI *Studitæ Teſta-* 4
mentum, Græce; Ejuſdem *Catecheſes ad Diſcipulos;* NAU- 5
CRATII *de Studitæ morte Epiſtola ad Fideles*, Græce; MA- 6
CARII cujuſdam narratiuncula, Græce, *de Exceſſu Anima-* 7
rum: Et hos quidem tres poſtremos deſcripſi partim, partim deſcribendos dictavi, ea mente, ut ederem. Nam STUDITÆ quidem *Teſtamentum*, & NAUCRATII *Epiſtola*, *Latine* a COMBEFISIO verſa in *Bibliotheca Patrum* exſtant: an *Græce* quiſquam ediderit, addubito. MACARII vero Narratiunculam ſtatim illic verti, & apographum *Verſionis* Codici *Bibliothecæ* Græco inſerendum reliqui. Dum vero deſcribendo occupatus ſum, Vir humaniſſimus FELLERUS ad recreandum mihi animum Studioſos aliquot, qui ibi vivunt florentiſſimi natalibus, ingenio, morum eleganti venuſtate, clanculum corrogaverat, qui, dum ipſe me vino & bellariis exciperet, aures mihi *concentu Muſico* permulcerent. Poſtridie ab Utroque, AMMANNO & FELLERO, cum apud me pranſi eſſent, ad *Bibliothecam Urbicam* deductus ſum, ubi inſigni me comitate, *Bibliothecæ* hujus Præfectus, *Gothofredus* GRAEVIUS, vir pereruditus, *Joannis Georgii* GRAEVII noſtri Frater, excepit,

&

& luculentam *Antiquorum Numismatum* copiam exhibuit perlustrandam. Videram eodem die LAURENTIANAM Virginis elegantissimæ Curiositatis *Animalium Exoticorum*, *rerum*que *Naturæ curiosarum*, & inprimis *Fossilium* quorundam & *Metallorum*, *Auri* scilicet & maxime *Argenti*, insignium *Fragminum Syllogen.* Vespera totius illius diei felicitatis accessio fuit exoptatissima. Vir enim omni meo præconio, quod ad humanitatem, rerumque elegantium & Literarum studium, major, *Fridericus Benedictus* CARPZOVIUS Polyhistor & Reip. *Lipsiensis* Senator, cum fervidiore penitius me noscendi cupidine, nescio quo meo merito teneretur, per felicissimum *Priscæ Poeseos Græcæ* Cultorem
8 HERRICHIUM, Scholæ Publicæ Rectorem, una cum Cl. FELLERO & Domino WOLFIO, *Dano*, ad cœnam me vocavit, & lautissime simul atque benignissime accepit. Multi ibi docti sermones habiti, multaque omnium fuit hilaritas: verum ego & tum & postridie, cum ab eodem CARPZOVIO ad prandium vocatus essem, de Fortuna plurimum conquestus sum, quæ HERRICHIUM tam diu in latebris detinuisset, neque Virum tantæ in *Græca Lingua* peritiæ, quantam in nullo hactenus offendi, in lucem Literariam protraxisset: amiceque & blande interminatus sum, nisi dehinc a Rep. *Lipsiensi* tantum ingenium lautius habeatur, operam me daturum, ut *Batavi* illum Nostri ad se evocent. quanquam ea omnium usus gavisusque humanitate, quod non meæ solum voluptatis mihi, sed & temporis habendam rationem putabam, proficisci decreveram. verum cum ad Veredariæ rei Præfectum accederem, deesse locum, significarunt, exspectandumque proximum Cursus Vehicularis, sive, ut vocant, *Postæ* diem. Ita vero, uti deinde subolfeceram, res se habebat. Cum precibus a me impetrare CARPZOVIUS non posset, ut manerem, amico id dolo extorsit. Submiserat enim paullo ante, qui trium hominum locum injectis mercibus occuparent. Sic præter exspectatum detentus opiparo prandio exceptus sum, quod & ferculis plurimis, & doctis præcipue Convivarum sermonibus apparatissimum fuit. Aderant enim, præter FELLERUM, & me, idem, qui ante, WOLFIUS, cum Nobili *Dano*, *Friderico* WEIG-
9 BERSIO, cujus Studia regebat: item alii duo Nobiles, STEC-

KIUS *Danus*, & SOMMIUS *Holsatus*, cum LESSERO, alterius item Studiorum Moderatore. extractum convivium est fabulis, & *Theæ*, de cujus tum viribus disputabatur, compotatiuncula in Vesperam, cum liberalissimo Hospiti gratas gratias egi, meque domum apprime delectatus contuli. Postridie Amicis illic omnibus solenni Vale dicto, convasavi reculas meas, ut proxime sequenti Cursu Vehiculari Dresdam abirem. & illuc quidem Lunæ iterum die adveni, multis in illo tridui itinere visis auditisque, quæ me plurimum delectarunt, fortasse & alios sola narratione delectatura. Erat enim, circa *Misniam* præsertim, ager frugum vitiumque feracissimus, pascuisque viridissimis, interfluente *Albi*, distinctus. Neque vero ullam adiisse regionem memini, ubi tam pulcris exculta ædificiis vineta sint, ita ut in editos montes suspicienti cor hilaritate ipsum exsultaret; ita illi ab ipsis radicibus, non jam ædificiis, sed palatiis præcincti videbantur. Adhæc frequentes in *Misnia* pagi eleganti turrium structura: tum & ipsa Arx & Urbs, quæ regioni nomen dedit, in prospectu, mirifice me delectarunt. atque sicut novitas voluptati esse solet, ita & Rusticorum utriusque sexus vestitus oculos meos ad se convertit; virorum scilicet pilei in conum altiorem desinentes, brevioresque subuculæ; feminarum altior & ad axillas elata cinctura, dependentibus a cervice super humeros calanticis, a pectore vero tunicarum marginibus in circulum ad mentum ferme exstantibus; ita ut vix aptior mulieribus nostratibus *Enchusanis* vestitus excogitari possit, recondendis & ipsa fere lingua inde depromendis nucibus, aliisque id genus bellariis, quæ nunc cum nonnulla sæpe molestia e sacculis suis, singulis momentis, petere coguntur. Apud *Oschatzium* autem, *Saxoniæ* oppidulum, *terram cærulo-griseam* in ipsa via conspicatus e curru, miratusque descendi, advertique ex ea stillantem tenuissimum *rivulum*, unde paucis haustis guttis latere illic *Vitriolum* deprehendi, & forsan cum fructu posse effodi: erant enim *saporis acido-acerbi adstringentis*; quod non *Vitrioli* modo indicium est, sed & latentis in proximo *Metalli*. mihi in illud ulterius inquirere vacuum non fuit: indicavi tamen aliis, si quid inde, vel in publicum, vel in privatos, commodi redire posset. Aderat mihi tum forte itineris comes, non quidem Metallicæ rei peritus,

verum

verum non omnino ignarus. Is ubi ea occasione de *Metallis* in-
dagandis inveniendisque sermo ortus fuerat, multa de *Virga*
Metallica narrare cœpit, cujus illa impulsu & indicio detege-
rentur: „ nec *Metalla* tantum in *Fodinis*, sed & *Auri Ar-*
10 „ *genti*que sub terris reconditi Thesauri. Obstare autem quæ-
„ rentibus, si hi, qui defodissent, aliis hoc ipsum aperuissent,
„ ita ut ipsi deinde garrulitatis suæ pœnas luerent, subtrahente
„ illos *Malo Genio*, nunc huc, nunc illuc. posse autem pre-
„ cibus, sive incantationibus, averti: quas qui teneant, hu-
„ jus *Virgæ* ope quascunque posse acquirere divitias. quin &,
„ quod me incredulum animadvertebat, eaque omnia risu ex-
„ cipientem, sibi emtum *prædium* referebat, in quo certissi-
„ me *thesaurus* defossus esset, ipsa Domini, qui defoderat,
„ sed reperire deinceps nequiverat, confessione. Nec hic
ita solus delirabat; audivi postea & plures alios eadem supersti-
tiosa credulitate imbutos. Cæterum usus illius *Virgæ* his in o-
ris admodum frequens est; unde multi in ultimam detruduntur
paupertatem, tam inani ac fallaci indicio *Fodinas* instituentium.
Locutus sum post paullo, nam curiositas mea adire me homi-
nem illum coegit, cum quodam, qui mihi, in *tabella*, *Fo-*
dinæ cum sua rei familiaris pernicie institutæ ac tantum modo
inceptæ tractum, in aliquot millia passuum protensum, depi-
ctum exhibebat, notatis locis, ubi *Virgæ* indicio ingentes la-
terent thesauri *Auri Argenti*que *fossilis*. Dolebam tacite ho-
minis infelicitatem, qui sibi *aureos montes*, imo etiam mihi,
pollicebatur, si quem nancisci posset sumtus pauculos necessa-
rios impensurum, quibus ipse exhausta jam crumenula sua non
sufficiebat. cum hujusmodi pluribus mihi postea negotium fuit,
magnis etiam *Chemicis*, qui fumum lacrumas post exciturum
multo probo & excocto *Auro Argento*que erant commercati.
Nam, quamvis ipse in eodem jaceam valetudinario, stultiorem,
imo insaniorem gentem, quam illa est *Chemicorum*, ex iis,
quæ sibi sapere videntur, hactenus vidi nullam. Recte sane
11 postea Princeps quidam *Ecclesiasticus*, Vir diffusissimæ & cul-
tissimæ eruditionis, me quidem clanculum, neque enim ipse
mihi parco; alios vero, quorum Ipse mentionem faciebat, mei
non dissimiles, aperte, secundum commune *Italorum* dictum,
12 in *primo insanientium conclavi* collocabat, quod, *Adeptorum*

 felici-

felicitati proximos nos esse, nobis imaginaremur; cæteros in *interiora & penitiora valetudinarii conclavia*, quo desperatæ valetudinis insani recondi solent, removebat, qui pecuniam suam ac tempus absque modo profunderent perderentque, sola spe ditescendi. Gaudebam ego, cum hæc ex tam Illustri PRINCIPE audirem, *Chemicæ Artis* ipso usu & frequentibus laboribus callentissimo, & omni arte ac promissis scientiæ meæ arcaniora expiscari satagente.

Verum, ut tandem aliquando *Dresdam* revertar, quamvis ea necdum pristinam ab *incendio*, quod veterem urbem pæne totam absumsit, recuperarit dignitatem, perplacuit tamen, visaque est *urbs* cum præcipuis, non tam magnitudine, quam nitore & splendore ædium conferenda. *Arx* autem *Electoralis* omnibus aliis admirationem abstulit; de qua, sicut de *Carthagine* olim *Sallustius*, silere melius puto, quam pauca dicere. Nam cum etiam nunc eorum omnium reminiscor, quæ in *Gazophylacio* Serenissimi ELECTORIS viderim, non minus etiam nunc me perturbari sentio, quam tum me ad recentem tot *Artis* ac *Naturæ Miraculorum* me perturbatum sensi. Hoc tantum dicam, spectavi istic omnia, quæ spectari solent; & singulari humanitate Viri admiranda eruditione pariter ac pietate excellentis, Domini Doctoris SPENERI, Theologi, & Serenissimo ELECTORI *a consiliis & Confessionibus sacris*, cui me FELLERUS commendaverat, *ornamenta Sacelli Principalis sacra* stupendi precii, nec non *Bibliothecam*; in qua *duo*, præ cæteris, ostendebantur *Sacræ Scripturæ Codices mss.* tot *fabulis* referti, ut ea ipsa de caussa asservarentur. Hujus ego generis *Bibliorum editionem antiquissimam*, tabellis seu *figuris* 13
illustratam, apud *Batavos*, in *Goudana Bibliotheca* meis manibus tractasse legisseque memini, in quibus enormes adeo *fabulæ* veris narrationibus intermistæ sunt, ut mereri videatur, qui diligentius cæteris custodiatur. Ex *Profanis* porro, CICERONIS aliquot erant, & CATULLI, LUCANI, VIRGILII, OVIDII pluriumque aliorum *Auctorum mss. Codices*; *Alcoranus* item *Arabicus*, & PFEIFFERI Professoris, in honorem Serenissimi ELECTORIS *quindecim Linguis*, totidem *diversis characteribus*, iisque fere omnibus *Orientalibus*, manu ipsius PFEIFFERI conscriptus, *Panegyricus*. Ostensa mihi a *Biblio-*

thecæ


thecæ Præfecto, Viro inſigni comitate & humanitate, multa
manu LUTHERI conſcripta, & in his *Carmen* vernaculum *Ta-
bellæ* ſubſcriptum, in qua *Romanus Pontifex Imperatori Ro-
mano caput gladio amputat.*

Hinc domum revertenti inopinatum gaudium objicitur. cum
enim ad CARPZOVII Fratrem, *Superintendentem*, Virum ſan-
ctiſſimum & eximium Theologum, inviſurus ædes ingredior,
ecce ipſe prodit *Lipſia* raptim huc travectus *Fridericus Bene-
dictus*, meque nihil minus exſpectantem amiciſſime comple-
ctitur. Poſt gratiſſimum aliquanti temporis colloquium ab in-
vito, & benigniſſime ad cœnam invitante, tandem dimiſſus,
revertor in Diverſorium, & inde poſtridie conſcenſo curru *Pra-*
14 *gam* pergo. In ipſo *Montium* tranſitu, qui *Bojohæmiam* con-
tinuo tractu in orbem, ad inſtar coronæ, circumcingunt, mul-
ta nix, quam magnifica traha ruſtica, a *Furſtenwalda* ad *Geye-
rum Montem* uſque, junctis illi bove & equo, ſuperavimus.
Frigus hic aſſiduum, nivesque ab *Octobri*, & citius, montes &
vallium editiora ad medium ferme *Majum* menſem obſident.
Conſtricti glacie rivi facilem tranſitum dabant, qui moleſtus
alias illa liqueſcente. Oſtenſæ mihi, ad manum dextram,
Plumbi albi, ſeu *Stanni*, ut vulgo vocant, *Fodinæ* prædivi-
15 tes, quarum partes ſingulæ, Kukſen illis appellatæ, *mille Tha-
leris*, ſive *uncialibus argenteis* æſtimabantur. In deſcenſu al-
tiſſimi hujus montis *Caſtellum* offendimus, ſed dirutum, ne
Latronibus, ut olim, foret receptaculo. inde in convallibus,
& haud procul, *Thermæ Teplizenſes* videbantur, de quibus
multa egregius Polyhiſtor, Reverendus Pater BALBINUS, in
Bohemiæ ſuæ *Curioſis*. Tandem ægre & difficulter ſuperato
Ægræ flumine, dum liquatis nivibus inſigniter intumuerat,
Pragam ventum; cujus pulcerrimus conſpectus omnem, quam
ex admirabili *Miſnicæ* & *Bohemicæ* telluris bonitate voluptatem
ceperamus, majore multo oppreſſit, & quaſi ex animo noſtro
delevit. vidi ego plerasque, vel potiſſimas *Galliæ*, *Germa-
niæ*, *Hungariæ* urbes, ut de *patriis* nihil dicam; verum nul-
16 lam *Praga* viſu amœniorem. Ubi enim ex *Arce* quaquaver-
ſum oculos dimiſeris, abripitur animus *quinque urbium* in *unam*
coalitarum comtemplatione: quarum *Vetus* & *Nova* ultra *Mul-
tavam* plures quam *triginta turres* oſtentat. Ergo, neſcio quo

instinctu, repente factus sum Poeta. accipe igitur, quæ mihi illic nata, *Carmina*, & ignosce, si non sunt Pegaseia. primum in 17
ipsam Urbem hoc erat:

Dum Tua quintuplicis *contemplor culmina*, PRAGA,
Multava *gemmifero quæ secat amne tumens*:
Dum celsas Arces, *augusta* Palatia, Templa,
Cunctaque defixus dum decora intueor:
Ipse mihi eripior, stupeoque, & mens mea passim,
Attonitis oculis vix habet ipsa fidem.
Hæreo, & anne aliquis me incautum fascinet error
Addubito, astuti ludar an arte Magi.
Certe olim sic ROMA *suis pulcerrima flavi*
Fluminis ad ripas Collibus enituit.
Felices, quibus hæc Bona Sors spectacula præbet!
Sed mage, queis usu liberiore frui!

Reliquarum *trium*, quæ suis quæque *regionibus* circumscriptæ 18
sunt, *urbium* nomina sunt: *Parva Praga*, & huic junctum hinc oppidum *Augezd*, inde oppidum *Hradezau*. In hujus postremi Colle sita *Arx* est *Regia*, sive IMPERATORIS *Palatium*, RETSCHIN, & in eo incredibilis precii *Pinacotheca*, quam Serenissimus Archidux LEOPOLDUS, cum *Belgicæ Regiæ Hispanicæ* præesset, tempore tumultuum *Anglicorum*, cum *Regia* CAROLI I. *Gaza* dissiparetur, jussu CÆSARIS coemit, &, ob grandissimam summam, *sex portionibus* persolvit, ac postea huc transmisit, *quatuor porticus* occupaturam.
Multæ in ea *Tabulæ* TITIANI, TINTORETTI, BASSANI, 19
JULII ROMANI, PAULLI VERONENSIS, RAPHAELIS URBINATIS, LUCÆ LEIDENSIS, LUCÆ CRANACHII, ALBERTI DURERI, PETRI PAULLI RUBENII, BREUGELII, DYCKII, HOLBENII, Aliorumque, quorum me nomina fugere; sicut nec illos, nisi, prout incidere, per saturam, memoravi, nulla artis temporisve habita ratione. sed præ cæteris una TINTORETTI, & arte, & ipsa precii magnitudine, eminebat, *duode-*



duodecim Thalerorum Imperialium millibus redemta. Aperuerat mihi illam *Pinacothecam*, Excellentiſſimi *Burggravii*, Comitis STAREMBERGII comitas, qui, cum illius viſundæ deſiderio me teneri intellexiſſet, ſtatim Virum humaniſſimum, *Joannem* BRAHERIUM, Rei Vehiculariæ Præfectum, comitem mihi addidit, qui me ad Affinem ſuum LEICHSIUM, *Regiæ Gazæ* ac *Pinacothecæ* Præfectum, deduceret, eique voluntatem *Burggravii* ſignificaret. ſed hic plus præſtitit, & ſuas prius ædes, magnificas ſane & multis elegantiis ornatiſſimas, aperuit, monſtravitque. Deinde itum ad *Cæſaream Pinacothecam*, ducente perhumaniter ipſo Cuſtode ac Præfecto LEICHSIO. Perſpectis Tabulis in aliam deducor Porticum, ubi ad vivam mihi efficta, ſeu ſculpta, oſtenditur *Amazon*, non quales olim *Themiſcyreos* incoluerunt campos, ſed *Bojohæmica*. Illam, cum forte in agro opus faceret, acceſſit Miles, qui, occaſione uſus ſolitudinis, primum blande ſtuprum rogat, mox recuſanti vim parat: Sed hæc ſublatum illum medium veſte ſua involvit, atque ita conſtrictum, ad Urbem, in proximam Militum ſtationem defert, pro intentata vi puniendum. hinc, admiratione virium & virtutis animi, ruſticæ Puellæ is honos habitus, ut ei *ſtatua*, in media *Gaza Cæſarea* poneretur. Vidi hic & aliud par *Cornuum Cervinorum*, *arbori* velut innatorum, qua-
20 le *Berolini* inſtar miraculi erat: vidi etiam ex *una fronte Cervina duplex par Cornuum* enatum: item alia *paria*, in pugna, ut conjicere licet, ita inter ſe *intricata* & *implexa*, ut nulla dehinc arte dirimi potuerint, adeoque feris mortis cauſſa fuerint. Sed horum, vel Fortunæ, vel Naturæ, in *Cervinis Cornibus*, luſuum, & hic, & in *Dreſdenſi Cimeliarchio*, adeo multa exempla ſunt, ut ſpectantes non voluptas modo, ſed & admiratio inceſſat. Spectavi & *Concubinæ Cæſaris* RUDOLFI II. binas *imagines*, de quo mihi res notatu non indigna narrabatur. Ut erat *Imperator* ille *Artium* omnium amator maximus; ita & *Chemiam*, & *Magiam Naturalem*, & *Cabbalam*, & *Aſtrologiam Judiciariam*, & *Mathematicam*, pluresque alias *Artes* curioſas ſummopere mirabatur. Hinc apud eum familiariſſimus & aſſiduus fere *Tycho* BRAHE, immortale illud *Daniæ* decus. Hic, a CÆSARE de *matrimonio* conſultus, monuerat RUDOLFUM, ne quam *uxorem* duceret, quod,

quod, qui ex ipſo naſcerentur, futuri eſſent crudeliſſimi ac
truculenti. Abſtinuit ergo CÆSAR a *conjugio*, & hac uſus eſt
Concubina perpulcra. Verum ex ea natus Filius nothus tam ſævo
ingenio fuit, ut jam adultus Amaſiam minus ſibi obſequentem
immanem in modum conciderit. qua re motus RUDOLFUS
juſſit ei venas incidi, & ſic ſe & alios terrore peſtiferi hominis
liberavit. Oſtenſa mihi fuit ea occaſione *Sedes*, ſeu potius
Solium Domini Diaboli, quod me in terris viſurum, cum
apud OVIDIUM olim furvi *Plutonis* ſolium apud Inferos eſſe 21
legiſſem, nequaquam ſperaveram. Vidi igitur, non ex *Auro*
*Argento*ve, ſed e *Ligno* mirifice elaboratum, quod quidem
Lignum admirandi & incredibilis ponderis eſt: cujus autem ar- 22
boris ſit, nemo hactenus vel conjectura aſſequi potuit. Ex hoc
Solio reddidiſſe *Diabolum* ajebant *Oracula*, Hypopheta uſum
Mago quodam, qui *Magus* RUDOLFO percarus fuerat. Præ-
terea nonnullæ illic *Statuæ*, & *Signa duo antiqua Cupidinis leo-* 23
ni indormientis, quorum alter *corollas* manu ſiniſtra tenebat,
plurimum ad mei *Cupidinis* illuſtrationem facientia; quorum
delineationes ab humaniſſimo LEICHSIO mihi promiſſas, &
poſt ex fide transmiſſas, hic Tecum communico. Erat & *Ve-*
nus illic belliſſima, in quam deinde obiter, prope *Znaimum*
in via, ejus recordati, hoc carmen luſimus:

Viderat improvidus caſtam ſine veſte Dianam,
Dum lavat, Actæon; Pallada Tireſias:
Punivere Deæ crimen: ſua lumina perdit
Tireſias, canibus præda fit ille ſuis.
Aſt tu cur rigidis mitiſſima Diva Deabus
Sævior heu! pœnas exigis immeritas?
An, quia Te nimium cupide hic in imagine nudam
Spectavi, hoc merui, ut mentem animi eriperes?
Sic totus ſtupeo, ſic me ratioque oculique
Deſtituunt! ſenſus ſic abiere mei!
Iraſcare licet, veſtitam, pulcra Cythere,
Te ſpectent alii; Tu mihi nuda places.

Lon-

Longum vero eſſet, omnia referre, quæ in hac *Pinacotheca* ſpectantur; nam & *Foſſilia* illic, & *Animalia rariora;* item *Conchæ marinæ* multa varietate ſpectabiles, aliaque plura viſuntur. Hinc digreſſo oſtenſæ inſignis altitudinis *feneſtræ*, e
24 quibus, Belli *Bohemici* initio, Comites MARTINITIUS & SLAVATA a conſpiratæ Factionis Ducibus dejecti cum *Philippo* FABRICIO, *Secretario.* Eſtque hæc res, ſi quæ alia ulla, cunctis miraculo, quod nemo eorum e tam gravi in ſaxoſam foſſam caſu læſus fuerit. Sed nihil ſuavius, & quod omnes majore intervallo antecedat *Pedantiſmos*, quam *Secretarii* iſtius factum, ſive malis dictum. Is namque, cum tertius dejiceretur, forte in alterius *Comitis* femur vel latus incidit: Petiit igitur bonus ille *Secretarius*: ,, *Condonaret ſibi Sua Comitis Excellentia* ,, *hanc ruſticitatem, quæ nec ſuæ culpæ eſſet, nec ſpontis.* Dii boni! adeone tenaciter hoc vitium Pennilingis adhæret, ut nec in tanto, ac tam præſenti mortis periculo hominem illum deſeruerit! In perpetuam vero hujus miraculi memoriam erectæ *cruces* ſunt, in ipſo caſus loco. *Palatium* porro ipſum eſt quidem amplum & ſpatioſum, verum minime ſplendidum, nec ſumtuoſum; ut ſunt *Imperatoria* omnia, tam hic, quam *Viennæ*, & alibi. neque enim AUSTRIACI PRINCIPES ſuperbis, & in ſpeciem magnificis, palatiis delectantur: ita ut mihi quidem CZERNINUM *Pragenſe Palatium* longe CAESAREO præcellere ſit viſum, quod reapſe eſt magnificentiſſimum: unde & hoc mihi in illud *Carmen* admiratio expreſſit:

Tu qui magnificæ luſtras miracula PRAGÆ,
Huc ad CZERNINAM *lumina flecte* Domum!
Namque, ubi ſpectaris pulcri decus omne PalatI,
Ignoſcat, dices, CÆSARIS Aula, *rogo.*
Imperfecta licet; Regno *quod* PRAGA Bohemo *eſt;*
CZERNINA *hoc* PRAGÆ *jam* Domus *eſſe poteſt.*

Haud procul a *Palatio Regio*, *Templum* eſt antiqui operis;
25 *Divo* VITO ſacrum, in quo multa IMPERATORUM, REGUM, & PRINCIPUM *Virorum* ſunt Monumenta, & inprimis ſpecta-
26 tu digniſſimum *Divi* WENCESLAI *Sacellum*, in quo parietes *Jaſpide* lapide incruſtati ſunt ſplendidiſſimo, qui in *Bojohæ-*

mia copiose invenitur, ut multi *Lapides* & *Gemmæ preciosæ* aliæ. Est enim BOJOHÆMIA *Auri Argenti*, *Metallorum* re- 27
liquorum, *Gemmarum*, *Marmorum*, &, ut brevi absolvam, omnium opum tam dives, ut in *Europa* nulla sit regio, quæ cum ea conferri hac in parte possit; in *Asia*, aliisve *Orbis* partibus, quæ præcellat, sit nulla. verum hæc curiosius indagare volentem ad *Curiosa* rursus BOJOHÆMIÆ doctissimi *Patris* BALBINI, qui ea fusissime singula enarrat, remitto.

Porro sunt illic *Pragæ* & alia multa *Palatia*, atque item *Templa* & *Cœnobia* sumtuosissima: sed nullum mihi *Templum* 28
elegantius visum illo ad *Pontem*, in *Veteri Urbe*, *Crucigerorum*, omnium *Marmorum Bojohæmicorum*, & in ipsis eorum prædiis natorum, genere incrustatum: nullum vero *Cœnobium* magnificentius *Jesuitarum Collegio*, quod verius *Palatium* dici meretur. Neque vero hoc ita me suo splendore delectavit, atque ipsi *Patres Jesuitæ* sua humanitate, quam hic summam expertus sum. Reverendi primum *Patris*, *Joannis* STEINERI, Eloquentiæ antea apud *Moravos* Professoris, nunc Theologi, cultissimæ & Latinissimæ eruditionis; qui me comiter & blande in *Bibliothecam* deduxit amplissimam, & omni genere præstantissimorum *librorum* affluentem atque copiosissimam: tum & Reverendi ac pereruditi *Patris Bohuslai* BALBINI, qui & 29
Curiosa sua *Bojohemiæ*, *octo* voluminibus maximæ formæ, quam *in folio* appellant Bibliopolarum filii, comprehensa mihi dono dedit: deinde eandem humanitatem obviam mihi præstitit Reverendus *Pater Rector*; sed tandem, ultra omnem prædicationem meam, Reverendus *Pater*, *Fridericus* WOLFFIUS, qui sponte statim obtulit mihi deditque literas commendatitias ad *Danielem* NESSELIUM, Virum Excellentissimum, *Bibliothecæ Cæsareæ* Præfectum; tum & alia multo plura benevolentiæ & amoris officia præstitit.

Extra Urbem, millia circiter passuum tria, Prætorium est silvula circumdatum, cui nomen *Stellæ*. Potest illud merito inter *Delicias Pragenses* numerari. In eo depictas videas victorias FERDINANDI II. cladesque ELECTORIS PALATINI, quem sibi *Bojohæmi* REGEM adsciverant, FERDINANDO repudiato. vidi etiam prælii locum. duxerat me huc Diversitor Hospes meus, tum adhuc juvenis, *Wenceslaus* HOFFMANNUS, Can-

cellariæ

cellariæ Scriba, homo tantæ comitatis ac suavitatis morum, ut nunquam futurum putem, uti illarum mihi ex animo memoria evanescat. Multorum toto hoc itinere Diversoriis usus sum; sed tam honestum, tam officiosum, tam facilem & humanum offendi Diversitorem neminem, imo neque, qui cum illo ulla ex parte conferri mereatur. Hic mihi primum Illustrissimi Domini BURGGRAVII notitiam & favorem conciliavit; hic & *Fossilis Auri vitrei* rarissimum specimen dono dedit: cui ego pro hoc munere, quod aliis tum forte munusculis destituerer, delata ex *Hollandia* rariorum *Florum Africanorum*, *Indicorum*, *Americanorum Semina*, cum Illustrissimo Domino *Burggravio* pro altera parte communicanda. Hic *Pragæ* quoque mihi mutua sine fuco amicitia est contracta cum Viro optimo, JACOBO BITTNERO, *Musico* & *Chemico*, a quo nonnulla non protrita didici, & epistolam accepi commendatitiam ad illustrem Baronem PRESOSOFIUM, Cubicularium Nobilem *Augusti* IMPERATORIS, Virum in *Chemicis* versatissimum.

Ut tandem ad finem hujus Epistolæ properem, Vir Celeberrime, credo ego, *Lotophagorum* regionem haud dissimili *Bojohæmicæ* fuisse vel specie, vel indole: ita ego invitus plane hinc avulsus potius sum, quam profectus; & nisi, sicut *Ulyssem Ithacæ* suæ ac *Penelopes*, ita me *Viennæ* & *Budensis Bibliothecæ* desiderium agitasset stimulassetque, *Pragam* ego haud ita cito, *Bojohæmiam* etiam multo serius deseruissem. Nam in itinere *Viennam* versus prima mihi objecta illecebra, *Fodinæ Cuttenses*, sive *Kuttenbergenses*; quarum ego unam *Argenti*, & inprimis *Æris*, ac *Plumbi* feracem, occaso jam Sole, intrare non dubitavi, quæ proxime Viam erat, & haud procul a Diversorio, in quo ea nocte manendum erat. Postridie non sine magno animi dolore oppidum ipsum & fodinas ditiores intuitus damnabam consilium meum, quod non *equo* potius, quam *curru*, iter hoc ingressus essem; multoque etiam magis sub meridiem, cum *Jengoviensem* agrum *pellucidis Silicibus candidis* & *Amethystino colore* velut consitum, & ipsam tellurem *fulgentibus aurei coloris foliolis* ad instar *Talci Aurei*, conspersam conspiciebam. Abstuli quidem inde *Silicum* nonnihil, & oblatum est egregium *quinquangularis Crystalli* ibidem inventi frustum, longum quatuor digitos & crassitie mediocre

brachium æquans, quod V. *Groſſis* emi. ſed iſta deſiderium meum explere non potuerunt, cui aliquando repetito itinere, 31 cum volente Deo, ad ſatietatem me ſatisfacturum ſpero. Ut ingreſſus, ita & exitus *Bojohæmiæ* nivibus & frigore infeſtus fuit, vidimusque extremo fère *Martio* piſcinas peramplas etiam tunc gelu conſtrictas. Difficilis hic *Montium* adſcenſus, &, ſi ita ubique, certe inſigni *Bojohæmia* a Natura vallo eſt munita, quo hoſtes facile arceri poſſint. Prima ſe nobis in *Moravia* oſtentavit *Iglavia*, urbs *textorum laneorum* confectione celebris & dives, atque hinc ſatis culta & ſplendida; &, inchoante Veſpera, *Birtznitzum*, *Comitum* COLLALTORUM Vicus, ſpecioſus & amœnus, domibusque nitidis, & ad eandem fere magnitudinem ac formam ſtructis; tum & *Arce* COLLALTORUM illorum *Comitum* ſede, *Cænobio*que *Auguſtinianorum* in proximo Colle, adeo blandiens, ut & hic mihi *Carmen* aliquod, quo Noſtratibus innoteſceret, mereri videretur, quod ibidem natum hic adſcribo:

Tu quoque præclaras inter memoraberis Urbes
BIRTZNITZUM, *Vicus ſis licet exiguus.*
Hoc COLLALTINAE *meruiſſe elegantia curæ*
Viſa eſt, & culta partus ab arte decor:
Unaque cunctarum nitidiſſima forma Domorum,
Tantum non ſtratas indolui eſſe Vias.

Dum hic in hypocauſto noctem læte hilariterque tranſigimus, tanta vis frigoris fuit, ut omnia, non ſecus ac media hieme, indurata gelu eſſent; quod tamen poſtridie remiſſius, & a nobis veſtium injectu contemtum. Hinc *Znaimum* viſum, haud magni precii oppidum: ſed reſerato mollioreque cœlo cognita demum nobis *Moraviæ* telluris bonitas, eo præſtantior, quo propior *Auſtriæ*: *Auſtriaca* vero jam decantata eſt, nec meo indiget præconio. Tandem exoptata diu *Vienna* viſa eſt; quam *ipſis Kalendis Aprilis*, poſt *ſeptimum* demum & *vigeſimum*, quam ex ea exceſſeram, annum intravi, multas Deo Optimo Maximo gratias agens, quod ea me voluptate, absque ullo per totum itineris ſpatium percepto incommodo, dignatus

gnatus esset beare. Quæ porro hic animadversa & acta sint, in proximam Epistolam conjicere animus est. Vale igitur Jucundissime Cognate, meque amare perge. Dabam *Viennæ Austriorum* A. D. III. *Nonas Apriles*, anni a N. C. cIↃ. IↃC. LXXXVII.

HENR. CHR. HENNINI

Annotationes & Observationes ad Epistolam III.

1. GERARDUM DE VRIES.] Clarissimus hic Vir, cui pro voto feliciorem faventioremque Sanitatem, retusa vel extrusa calculi atroci carnificina, apprecamur, nostrum TOLLIUM consanguinitate contingit: est ille *Theologiæ & Philosophiæ Doctor*, hujusque, summa cum laude & confluxu Studiosæ undique Juventutis lectissimæ, *Professor*, editis aliquammultis in *Philosophia* ingenii & eruditionis monumentis celeberrimus, & admirabili in *Prælectionibus Publicis* facilitate ac facundia, nec non argumentorum pulcerrimo delectu, cunctos in stuporem rapiens Auditores. doctissimus hic Vir magnum, & quo se ipse vincet, molitur opus, LUCRETIUMque *commentariis Philosophicis* illustrabit, qua parte pares ei perpaucos; qui superet, forsan invenias neminem: Addet istis *Commentariis* TOLLII Nostri *Emendationes*, *Collationes* & *Notas* postumas; sæpe promissas, & suprema morientis voluntate Cl. VRISIO commendatas.

2. Nihil habet, quod advenas alliciat *&c.*] Nollem hæc sinistra manu accipi. veneramur enim illa *Germaniæ Eruditæ* decora illic SCHURTZFLEISCHIUM, KIRCHMAYEROS, ut TOLLIO sine salute dicta minime prætereundos. verum non reperiebat *Wittebergæ* elegantiam *Batavicam* in ædibus, nec forte sciebat, non pauca ibi visu digna esse & curioso oculo, non fugitivo, lustranda, qua in re *Carolus* PATINUS in *Epist. Itiner.* Gallice editis ipsi viam monstrare potuisset.

3. JOSEPHI *de Bello Judaico.*] Hoc aliquando usus fuit *Joh. Andr.* BOSIUS, V. Cl. in recensendo JOSEPHO, quem moliebatur; teste *Thoma* ITTIGIO *in Prolegom. ad* JOSEPHUM *p* 7. sed notabis, folia inibi circiter triginta recentiori, cætera autem vetusto satis calamo exarata esse; quorum variæ Lectiones exhibentur *p.* 40--50. *Appendic. ad edit. Weidmannianam* 1691. In eadem *Paullina Bibliotheca* exstat & *versio Latina* JOSEPHI, teste eodem ITTIGIO *l. l. Proleg.*

4. *Theodori Studitæ Testamentum.*] Inscriptio *Græca* sonat: Τοῦ ἐν ἁγίοις

Πα]ρὸς ἡμῶν καὶ Ὁμολογητȣ̃ Θεοδώρου ἡ πρὸς τȣ̀ς Μαθητὰς ἀυτȣ̃ Διαθήκη. i. *Sancti Patris nostri & Confessoris ad Discipulos suos Testamentum.* edidit TOLLIUS Græce cum versione *Jacobi* SIRMONDI, Ultrajecti 1696. in *Insignib. Itin. Ital. p.* 178--191.

5. *Ejusdem Catecheses ad Discipulos.*] Inscriptio Græca est: Τȣ̃ ἁγίȣ Πα]έρ☉ ἡμῶν καὶ Ὁμολογητȣ̃ Θεοδώρȣ, ἡγȣμένȣ τῶν Στȣδίȣ, Κα]ηχήσεις πρὸς τȣ̀ς ἑαυ]ȣ̃ Μαθητάς. verto: *Sancti Patris nostri & Confessoris* THEODORI, *Præfecti illis, qui in Studio vivunt, Catecheses ad suos Discipulos.* Lego in *Bibliotheca Josiæ* SIMLERI, exstare etiam: THEODORI *Studitæ Sermonem de inventione capitis* S. JOANNIS *Prodromi*: & *Encomium in S. Patrem* EPIPHANIUM. forsan ejusdem erit: S. THEODORI *Suditi* [legendum puto *Studitæ*] *ad Discipulum suum* GREGORIUM *de futura Restitutione*, qui liber *Græce* alicubi in *Italia* exstat, eodem Teste SIMLERO.

6. NAUCRATII *de Studitæ morte Epistola ad Fideles.*] Inscriptio *Græca* ita sonat: Τοῖς διὰ Χριςὸν δεδιωγμένοις, καὶ πανlαχȣ̃ διεσπαρμένοις πνευματικοῖς ἀδελφοῖς καὶ Πατράσι Ναυκράτι☉ ἁμαρlωλὸς Μοναχός. In fine hujus Codicis subjiciuntur tria hæc διςιχελεγεῖα, quæ mirifice cum corrupta, tum perturbata, ita TOLLIUS noster in suis ad me *Schediis*, felici & erudita ἐυςοχίᾳ, correxit & disposuit:

Ναυκρατίȣ μεγάλȣ γλυκερὸς πόν☉, ὅν ποτ' ἐκεῖν☉
    Γέγραφε δακρυχέων, ςεῖλε δ' ἀδελφόισιν
Ἀ]γελίην πȣλύςονον· ἀι, ἀι! κλαύσατε παῖδες·
    Ὀρφανίην Πατέρ☉ κλαύσατ' ἐπὶ ξενίῃ·
Ἔπτη γὰρ Θεόδωρ☉ ἐς ȣ̓ρανίȣς βασιλείας,
    Οὐκ ἔτ' ἐνὶ Στȣδίȣ δ' ἐυαγὲ ἐκτελέσαι.

in ultimo versu pro ἐυαγέ, quod non assequor, puto legendum ἔυαγ☉, sensu obvio, & facili corruptione compendii literarum ☉ in ε. verto autem tantum non ad singula verba:

Naucratii magni dulcis labor: edidit hunc is
    Multis cum lacrumis; Fratribus inde dedit
Nuncia luctus: heu! heu! Flete Parentem
    Ereptum Pueri! flete per hospitium!
Ad cœlestia nam Theodorus regna volavit,
    Nec Doctor porro perficiet Studium.

Est autem *Studium* hic ejus nominis Monasterium, cujus etiam meminit *Menolog. Græcor. ad* IV. *April.*

7. MA-

7. MACARII cujusdam, & ſeqq.] Inſcriptio Græca eſt: Τȣ̃ ἁγίȣ Μακαρίȣ τȣ̃ Ἀλεξανδρέως λόγος περὶ ἐξόδȣ ψυχῆς δικαίων καὶ ἁμαρτωλῶν, τὸ πῶς χωρίζονται ἐκ τȣ̃ σώματος, καὶ πῶς εἰσίν. i.e. S. MACARII *Alexandrini ſermo de Exceſſu Juſtorum & Peccatorum, quorſum ſcilicet eorum animæ e corpore demigrent, & quomodo ſe habeant.* Hoc vigilantis Monachi ſomnium cum aliis Codd. mss. *Bibl.* CÆSAREÆ *Viennenſis*, in quibus Inſcriptio variat nonnihil, contulit TOLLIUS, vertit, recenſuit, ac in *Inſignib. Itin. Italic.* edidit *pag.* 192--199.

8. Feliciſſimum *Priſcæ Poeſeos Græcæ* Cultorem HERRICHIUM.] Quæ TOLLIUS in Viri hujus optimi laudem ait, ea longe ſunt infra illius merita & eruditionem. Ut occurramus naſutis, ſuperciliosis & δοκησισόφοις quibusdam *Germanici* nominis tam in *Gallia*, quam *Belgio* obtrectatoribus, qui ſibi judicii elegantiam & acrimoniam, *Germanis* ad ſummum induſtriæ aliquam laudem, vitio creati Cenſores, vindicant; lubet adſcribere *Johannis Gothofredi* HERRICHEN *de* THEA *herba*, *Doricum Melydrion:* nam adhuc tantum in Sibyllinis foliis circumvolitat, & quamvis ſit forte prolixius, tamen elegantia faſtidium periti Lectoris facile tollet. Debeo illud humanitati *Frid. Bened.* CARPZOVII, Viri laudandi, in quantum Humanitatis cum Eruditione elegans miſtura laudari poteſt, qui literario commercio illud mecum communicavit. Puta mi Lector, Te lectione feſſum, *Theæ* aliquot ſorbillare & libare pocula. itaque audi *Muſas* vere *Græcas:*

Πρὸς τὸν

ΦΡΕΔΕΡΙΚΟΝ ΒΕΝΕΔΙΚΤΟΝ ΚΑΡΠΖΩΒΙΟΝ,

Τὸν Βουλευτὴν, Πολυΐστορα, καὶ Φιλοθέυδρον
εὐκλεέστατον.

Ὀππότε Διρκαῖος χρυσᾶ φόρμιγγι μελῳδός
　　Ἀδὺ κρέκων, ΚΑΡΠΖΩΥ, φάσκεν· Ἄριςον ὕδωρ.
Φαμί μιν, ἦε Θέης, ὕδωρ ὀυκ ἄλλο νοῆσαι·
　　Κοινὸν ὕδωρ φοιβᾶ λύματα, τοῦτο φρένας.
Ὅσσον ἀρειοτέρη γοῦν σώματος ἔπλετο ψυχά,
　　Τόσσον Ἐλυςρέιου Θηϊὸν ἐςιν ὕδωρ.
Ἄρτι Θέην πρὄυπινες ἐμοὶ σῇ Χινάδι χύτρῃ·
　　Ἐν χάρτῃ δὲ Θέην σοὶ πάλιν ἆυθι φέρω.
Αἰχ᾽ ἄδε, τῷδε πολὺν ποιοῖς μέλαν᾽ ὕδατι χάρτην·
　　Εἰ μή· δρῷ λευκὸν τῷδε κοπρῶνα Θεή.

Ο. ΚΥΡΙΛΛΟΣ.

ΜΕΛΥ-

ΜΕΛΥΔΡΙΟΝ.

Σὺ μὲν Εὐΐου πεπωκὼς
Εκατοντάκις δέπαστρον,
Ανάκρεον, καθεύδεις
Χάλκεον ὕπνον.
Τί δὲ σὰ λύρη λιγεῖα,
Δαλιεστάτα τί φόρμιγξ,
Μεταξύ; Μῶν καρώθη
Σοὶ σὺν ἀοιδῷ;
Ανα! σῶν ἀπ᾽ ὀμμάτων σμᾶ
Βαθὺ νῶθαρ. Ου Καθῆκον
Εσαιὲν, ὡς Σελάνας
Ανέρα κνώσσειν.
Βλεφάρων δὲ καμμυόντων
Εὰν ὀυ δύνῃ διέσθαι
Τὸ κῶμ᾽, ἐμοὶ χαρίζευ
Σεῖο χελώναν.
Εθέλω γὰρ ὀυ παλαιοῖς
Βοτάναν βροτοῖσι γνωστάν,
Υδωρ τε σοὶ βδελυκτόν
Γάρυϊ φράσδειν.
Σοφὸς εὑρέτας ποάων
Ιδὲ φαρμάκων ὁ Φοῖβος
Συναινέοι μενοινάν
Τάνδε μελῳδός.
Μέγα Χιναεὺς, Ιάπων,
Μέγα χαῖρέ μοι Χιαμέ,
Αφ᾽ ἀμέων ἐν ἄλλῳ
Κλίματι ζῶντες.
Υπερόλβιοι μέν ἐστε
Ψαμάθοιο χρυσέοιο,
Ιασπίδων, σμαράγδων,
Ηδὲ σαφείρων.
Αταρ εὐτυχεῖς βοῶμεν
Υγιεστάτης γε ποίης
Τοπλεῖον, ἂν παρ᾽ ὔμμι
Γαῖα λοχεύει.
Ενιοι καλεῦντι Θῖαν
Ενιοι Τζίαν καλεῦντι,
Καλεῦντι Θῆ δὲ θεῖον
Θαμνίον ἄλλοι.

Τερένεσ-

Τερένεσσιν, ἀλλὰ συχνοῖς,
Ανατέλλεται λοβοῖσι
Δίπαχυς ἐξ ἀρȣ́ρας
Δῖαν ἐς αὖραν.
Πετάλȣισι μυρίοισιν
Επὶ κρᾶτας ἐκ ποδοῖιν
Πολυσχιδεῖς κλαδίσκοι
Αμφὶ βρύȣσι.
Βοτάνα δὲ ταῖς ῥοδῆσι
Παρομοιΐη προπέμπει
Επαγρίοις ῥόδοισιν
Ικελον ἄνθος.
Τὸ μὲν ἄνθος ȣ̓κ ἐσώθη
Καλάθοισιν ἢ κιβωτοῖς
Αχρεῖον, ȣ̓δὲν ὀδμᾷ
Ρινας ὀφέλλον.
Επὶ δ᾽ αἶαν, οἷα πάπποι,
Μεμαρασμένον καταῤῥεῖ,
Νόσοις ὄνειαρ ȣ̓δέν,
Ουδὲ δὸν ὄσσοις.
Μόνα τιμάασθε φύλλα,
Μόνα συλλέγεσθε φύλλα,
Συνηρεφῆ τε φύλλα
Ξηρὰ ποιεῖσθε.
Οταν ȣ̓͂ν καλῶς ξερανθῇ
Εν ὑποσκίοις ἀλωαῖς
Μολιβδίνᾳ τάδ᾽ ἔνδον
Κλείετε θάκᾳ.
Μεγάλȣ δ᾽ ἔπειτα χρυσȣ͂
Επὶ γαιέων ἐλάσσω
Απεμπολεῖτε χαλόν,
Μάσσονα μικρȣ͂.
Τὰ κάτω γάρ ἐντι μέιζω,
Τὰ δ᾽ ἄνω λίαν γε μέιω.
Τὰ ταῦτα δή 'ς ἀρέιω;
Κεῖνα χερέιω.
Καρο-Πισο-Βοντεκοῖος,
Σπόνιός τε, Τȣ́λπιός τε,
Τριγάυτιος, Πετῖτος;
Σπέξ τε, καὶ ἄλλοι
Μεγάλα θροεῦσιν ὀμφᾷ,
Πινυτᾷ γράφȣσι χειρί,

L Σοφᾷ

Σοφῷ Θέην τε λαιμῷ
Τάνδε ῥοφεῦσι.
Σβεκο-Βριττο-Βελγο-Τεύτων,
Ιταλὸς, Πολῶνος, Ουννος,
Ο Γάλλος, οἱ Ιβηρες,
Τᾶσδε ποθεῦσιν.
Εο Τοῦρκος, ἠὲ Πέρσης,
Καφὲ πινέτω, κ᾽ ὀλέσθω·
Θέα Θεὰ ποάων
Αμμιν ἀρέσκει.
Ενὶ τῷ Θέα σκαρίσδει,
Καλὸν οὖν ῥοφῶμεν ὕδωρ
Ομάλικες, γέροντες,
Σύν τε γυναῖκες.
Ο τὸν ἔγκαρον κρατύνει,
Φρεσὶν ἀρθμέει γαλάναν,
Αναχμέει βραδείας
Λήματα μνάμας.
Ο κάτω τὸ φλέγμα σύρει,
Κεφαλᾶς ῥόον κατέργει
Νεφρῶν ῥύπασμα πλύνει,
Σπλᾶνά τε τάκει.
Ο παρηγορεῖ ποδάγραν,
Κεφαλαλγίαν ἀφαιρεῖ,
Απεψίαν ἀμύνει
Ουρά τε κινεῖ.
Ο πρὸς ὀρθόπνοιαν ἔρδει,
Λαγόνων στρόφως ἐρωεῖ,
Λίθον τὸν ἐν βαθείᾳ
Κύστεϊ θρύπτει.
Ο μεθυστικοῖς βοηθεῖ,
Διαχεῖ πνέοντας ἀτμώς,
Διδοῖ χαλινὰ λυγμῷ
Βῆχά τε παύει.
Ο τὸ κῆρ, ὃ πᾶν τὸ σῶμα,
Ο χέρας πόδας τ᾽ ἰαίνει
Ροφηθὲν ἢν ἀνίκμως
Πνεύμονας ἄρδῃ.
Σάον οὖν πιόντες ὕδωρ,
Λάλον οὖν ῥοφεῦντες ὕδωρ,
Κακὰς νότοις μερίμνας
Δῶμεν, ἑταῖραι.

Ολιγω-

Ολιγωρέω τὸν οἶνον,
Ολιγωρέω τὸ νέκταρ
Μίαν Διὸς ποτῆτα,
Τȣ̃το ῥοφήσων.
Διὸς ἐυκλεὴς ὁ Κῶρος
Πιννυτῆς ἐν ἧσι βίβλοις
Καλῶν δίεισι ποιῶν
Θέσκελον ἰσχύν.
Διὸς ἐν νόσοις τὶ πώγων,
Τὶ γαλῆς, τὶ τᾶς Αθανᾶς,
Αρηος, Ηρακλῆος
Αιμα δύνηται·
Τισὶ σίλφιον, μάραθρον,
Τισὶ κᾶπος Αφροδίτας,
Κρόνȣ τροφά τ' ἀρήγει,
Καὶ τισὶ κέστρον.
Τινὰς ὀμφαλὸς Κυθάρας,
Πτερὸν ἴβεως, λαγώπȣς,
Τινὰς νόσȣς ἰᾶται
Σμύρνιον, ἀστήρ.
Εὰν ȣ̃ν Θέην δεδόρκοι
Διὸς ἐυθαλὴς ὁ Κῶρος,
Τόμȣς ἂν ἕξ ἔπλησεν
Η μία ποίη.
Ετέρας γὰρ ἅδε ποίας
Πότιμός τις ȣ̃σα χρυσός
Υπερφέρει κραταιᾷ
Ισχύϊ πάσας.
Ινα ζῶμεν ȣ̃ν, ῥοφῶμεν
Υγιεστάταν ποάων·
Πόσιν ῥοφῶμεν ἐσθλάν
Χείλεσι λάβροις.
Ιθι νῦν τάχιστα, Μάρθα,
Από φρείατος φρὲς ὕδωρ,
Τὸ πῦρ ἐν ἐσχάρῃ θές,
Ζέννυε νᾶμα.
Στόρεσον τράπεζαν ἐυθύς,
Θέτι τέσσαρας τροχίσκως,
Ο Καρπὸς ἦλθε Ζωῆς,
Ηλθεν Ερωτος.
Τρίτον ȣ̃, τίς ἐστιν, οἶδα·
Επιγνώσομαι δὲ θᾶσσον,

 Οταν

Οταν Θέης πινύσκον
Πώσομεν ὕδωρ.
Αλλον ἒν ῥοφῶμεν ὕδωρ,
Ινα νύχθ' ὅλαν, ἑταῖροι,
Απ' ὀμμάτων σοβῶμεν
Νήδυμον ὕπνον.
Ο πιὼν γὰρ ἐςὶ ζώῳ
Εναλίγκιος, καθεύδων
Θανόντι. Τίς πρὸ ζωᾶς
Μοῖραν ἕλοιτο;

Idem Vir Doctissimus in honorem COSMI III. *Magni Hetruriæ Ducis*, & *Jac.* TOLLII, *Bibliothecam* MEDICEAM lustrantis, Illius indulgentiam singularem, Hujus solertem industriam, *carmine Græco* elegantissimo celebravit, quod alia occasione ab oblivione vindicabimus.

9. WEIGBERSIO.] Eximius hic & ad summa quævis natus tum adolescens in *Academia Ultrajectina* XXII. *Maji anni* 1685. elegantissimi ingenii præclarum specimen edidit, dicta publice Divæ SOPHIÆ AMALIÆ *Danorum Reginæ* Parentatione, sub auspiciis Cl. GRÆVII, quam cum applausu mecum frequens concio admirata est, & quæ typis exscripta hujus Amici capitis memoriam una consecrat.

10. Obstare autem quærentibus *&cc.*] Vide dicta *Epistola* I. *num.* 21.

11. PRINCEPS quidam *Ecclesiasticus.*] Is sine ullo dubio; ut ex Epistola hac ipsa & V. licet colligere, fuit JOHANNES FRIDERICUS, *Archiepiscopus Pragensis*, *S. R. I. Comes de Waldstein*, *Legatus natus*, *Bohemiæ Primas*, *& Ordinis Crucigerorum per Bohemiam*, *Silesiam*, *Moraviam & Lusatiam Generalis Magister.* Princeps laudatissimus, rerum Chemicarum, Naturalium, Curiosarum, Elegantium & Eruditarum curiosissimus, amantissimus, humanissimus, judicii acrimonia pollentissimus.

12. *Adeptorum.*] Ne ignorent profani, aut alieni ab his sacris, vim hujus vocis, norint ea notari illos albæ Gallinæ pullos, qui raro Cœli favore *adepti* sunt Midæ divitias, ut, vel levi aurifici pulveris, (ipsi *Lapidem Philosophicum* vocant;) liquorisve pondere in viliora magni ponderis metalla injecto, statim hæc commutare possint in purum putum obryzum *Aurum*, & quidem tanta, quanta volunt, quantitate.

13. *Bibliorum editionem antiquissimam.*] Puto innui editionem *Goudæ* factam *an.* 1479. cujus titulus portentoso ausu promittit *Biblia auctiora & correcta.* sive **vermeerdert en verbetert**: nam Belgica Lingua prodiit *cum figuris.* Novimus plures tales editiones, & codices mss. variis linguis, apocryphis merito non accensendos, sed plane abscondendos.

14. In

14. In ipso *Montium* transitu, qui *&c.*] Optime hoc in Mappa sua Geographica *Bohemiæ* observavit *Seb.* MUNSTERUS in *Cosmogr. initio*: qui deinde II. 1. ubi *Europam* Virgini assimilat, *Bohemiam* ejus umbilicum facit.

15. Kukſen.] vel Kukuſʒ; quæ Fodinæ vel Cuniculi partes iterum in *sescuncias*, *sextulas*, *scripula*, *simplia* dividuntur. Vide AGRIC. *de R. M. toto lib.* IV. Nomen habent vel a Viro ejus nominis, vel a Guken i. e. *lustrare*, *perspicere*. Porro Metallarii vocant Kukuſʒ partem centesimam vigesimam octavam *Zechæ*, i. e. loci metalliferi certis terminis circumscripti, quos illi Vierung vocant, aut Refier der Fund-grube / Maaſen oder Gegendrum: Schicht-Kukuſʒ vocant quartam *Zechæ* partem, sive XXXII. Kukuſʒ: den vierten theil einer Gewerckſchafft. BERWARDUS *Phraseol. Metall. p. m.* 2.

16. Nullam *Praga* visu amœniorem.] Huic addere poteris gemellos paris elegantiæ Prospectus, ut vocant, nempe ad *Constantinopolin*, ad *Clivos* Cliviæ caput, & circa *Rhodani* ostia in Gallia: de quibus testor oculatorum fidem.

17 In ipsam Urbem.] Julius Cæsar SCALIGER *in Urbib.* ita lusit in *Pragam*:

Septa metallifero circum quæ monte superbis,
Hercyniæ in medio Martia PRAGA *sinu.*
Linque aliis populis tantæ munimina sedis;
Qui nequeant armis jura tenere loci.
Namque tuum est, non præsidio turgere locorum:
Sed loca præsidiis fidere posse tuis.

Scias autem Benevole Lector, *Carmina* huic Epistolæ inserta, ab Schedis αὐτογράφοις TOLLII absuisse omnia: sed ea commodum per literas mecum pridem communicarat, ut meam super iis sententiam exquireret. Mos enim hic nobis erat, ut alter alterius in hujus notæ rebus censuram sine fraude & dolo subiret. sic vero servata sunt, & a me suis locis inserta.

18. Reliquarum *trium* &cc.] Valde hic luxata & hiulca erant TOLLII Adversaria. Medicinam singulis feci adjutus a *Petro* BERTIO *Rer. Germ.* III. *in descr.* optima *Pragæ*, *p. m.* 232--237. quem vide.

19. Multæ in ea *Tabulæ* &cc.] Conferendus hic MONCONYS *Voyag. P.* III. *p.* 119. *edit.* 1695. qui & Ipse has Porticus perlustravit.

20. *Ex una fronte Cervina duplex par Cornuum.*] in *Oligeri* JACOBÆI *Museo Danico Regio* I. 1. *p. m.* 4. lego etiam *Cornu Cervinum triplici ra-*

morum trunco instructum. ibidem *p.* 5. & in *fig.* 5. *Tab* III. occurrunt *Cornua duo Cervina ita sibi invicem circumtorta & implicita, ut extricari aut divelli nequeant.*

21. Apud OVIDIUM olim furvi *Plutonis* solium *&c.*] Vellem locum accuratius annotasset. neque enim *Metam.* IV. 456. aut V. 359 si forsan illos locos respexit TOLLIUS, huc quadrant. melius ex ALBRICO *Philosopho Imag. Deor. c.* 10. potuisset *thronum* aut *solium Plutonis sulfureum* huc adferre.

22. Cujus autem arboris *&c.*] Ad populum phaleræ, Lignum *Ebeni*, *Brasiliense*, & multa alia satis ponderosa sunt, & per artem, quam & nos aliqua ex parte novimus, tam colore, quam pondere in aliam quasi indolem mutari possunt. quæ de *Oraculis a Diabolo* ibi redditis fabulantur, ne quidem refutatu digna sunt, & injuriam faciunt memoriæ RUDOLFI, Imperatotis optimi.

23. *Signa duo antiqua Cupidinis leoni indormientis.*] Signi accepit tantum unius delineationem, quod alterum huic simile esset, & loco *cornu* tantum sinistra teneret *corollas.* Ego vix mihi persuadeo, esse signum *Cupidinis.* at *Somni* agnosco. ponam rem extra controversiam. SOMNUS fingitur *Juvenis*, STATIO *Sylvar.* V. 4. *vs.* 1. *puerili vultu* in statua *Somni*, quæ *Romæ* fuit in ædibus *Cæsiis*, ubi *papaverum capita & flores* continet dextra, sinistra *cornu*, ut videtur, *geminum*, *oculi* sopore *clausi*, ad pedes *vitulus marinus* sopitus. Alatus est pennisque instructus, ac *Volucris Somnus*: VIRGIL. *Æn.* II. 794. *Volucer matris genus Astrææ*, SENEC *Herc. Fur. Choro Act.* IV. *vs.* 1068. Sic *Morpheus Somni* natus *volat, nullos strepitus facientibus alis, per tenebras, & ponit mox e corpore pennas*, OVID *Met.* XI. 651. 653. *Somnus* autem per has *pennas* inducit luminibus blandam quietem: STAT. *l. l. vs.* 16. *Theb.* X. 131. *& seqq.* Dextra stipat *caput reclinatum*, tenetque *Papavera Somno* sacra. OVID. *l. l. vs.* 606. sinistra vero *Cornu*, quo etiam creditur *Somnum* perfundere. STAT. *Theb.* II. 143.

Illos, post verbera fessos
Exceptamque hiemem, cornu perfuderat omni
Somnus.

hinc Idem de *Somno* dormiente *l. l.* X. 104.

Manus hæc fusos a tempore lævo
Sustentat crines: hæc cornu oblita remisit.

quæ in nostra figura evidenter vides. confer *corneam Somni portam* apud VIRG. *Æn.* VI. 889. MACROB. *in Somn. Scipion.* I. 3. *Leonis pelli* incumbit,

cumbit, non quaſi myſterium domantis etiam feras SOMNI eo notetur, ſed ſimpliciter, quia more Veterum notiſſimo

Pellibus incubuit ſtratis ſomnosque petivit.

24. *Feneſtræ*, e quibus &cc.] *Bohemica* hæc, quam vocant, *Defeneſtratio* ſatis graphice depingitur a *Joh. Petr.* LOTICHIO *Rer. Germ. l.* 3. §. 9. & 10. *p. m.* 14. & 15.

25. *Divo* VITO ſacrum, in quo multa &cc.] Ea Monumenta recenſet BERTIUS *R. G.* III. *p.* 235. 236. ubi videantur. ait autem, revera eſſe *unum Monumentum Regium* ex lapide *Alabaſtrite*, in quo *Principum* aliquot & *Imperatorum* corpora poſita ſint; quos enumerat.

26. Parietes *Jaſpide* lapide, &cc.] BERTIUS *l. l.* ait, eſſe exſtructum ab *Imperatore* CAROLO IV. *ex lapidibus viridibus & puniceis, gemmarum inſtar relucentibus, auro intertexto.* hic *quieſcere* S. WENCESLAI Ducis Bohemiæ & Martyris *corpus, ſuper cujus capite ſolita ſit adſervari corona* Regum Bohemiæ, *ſed tempore motuum Civilium, cum* Ziſca *cuncta pervaderet, tranſlatam eſſe a Proceribus Regni in Arcem* Carlſtein *munitiſſimam, atque illic adhuc cuſtodiri.*

27. eſt enim BOJOHÆMIA & *ſeqq.*] Teſtes habemus AGRIC. in *Operib.* paſſim; præcipue *Bermanni p.* 418. *Anſelm.* BOETIUM de Boot, RUDOLFI II. *Imp. Medicum* in *Gemmar. & Lapid. Hiſtor.* paſſim. *Joh.* DUBRAV. *Hiſt. Boh. lib.* I. *p.* 2. MUNSTER. *Coſmogr.* III. 488. *ed. opt. Germ. Baſil.* 1592. BALBINUM TOLLIO laudatum. Vide mox notanda *num.* 31.

28. Ad *Pontem.*] hic Pons connectit *Urbem veterem Novæ*, de quo vide BERT. *l. l.* Longus dicitur 1770 paſſus, at BERT. *l. l. p.* 233. numerat 772. *Pragenſes Cubitos*, verum BUNO *ad* CLUVER. *Introd. Geogr.* III. 13. §. 2. forte typi vitio, 872. Latitudo quatuor Curribus ſufficit; eſt enim latus pedes 35. *Fornices* habere ajunt 16. at MUNSTERO *l. l. c.* 486. habet 24. fornices. ſecundum MONCONYS *Voyag. P.* III. *p.* 115. longus eſt 680. paſſus, latus 13. paſſus majores. mira varietas.

29. *Bohuſlai* BALBINI.] Plurimis ingenii ſui monumentis hic Vir, non humanitate minus, quam eruditione cum viveret, conſpicuus, nomen ſuum immortalitati conſecravit. Hæc ego novi: I. *Miſcellanea Curioſa Hiſtorica Regni Bohemiæ*, opus præclaræ eruditionis, forma maxima, 8. *voll. Pragæ* 1677. & *ſeqq. annis*, de quo multa cum laude *Acta Erud. Germ.* Menſib. Aug. Sept. Dec. *an.* 1682. *Jan.* 1685. *Nov.* 1687. *Jan. Aug.* 1688. *Ephem.* XXVII. *Erud. Gall. an. ejusd.* & XXX. *an.* 1685. *Ephem.* XII. *Erud. Ital. an.* 1678. II. Vita Venerab. ARNESTI, Primi *Pragenſis Archiepiſcopi*, in qua totius *Regni Bohemiæ* Hiſtoria multum illuſtra-

illustratur. 4. *an.* 1664. III. *Quæsita Oratoria*, 8. IV. *Verisimilia*, 12. V. *de Amplificatione Oratoria*, 12. Herbip. 1688. VI. *Epigrammata*, 12. Colon. 1687.

30. PRESOSOFIUM.] aut, si non horres *Polonicum* nomen: PRZSOSOFSKY.

31. Cui aliquando repetito itinere *&cc.*] At his destinatis Fata intercesserunt: quare pro virili conabor hic suppetias ferre votis TOLLII nostri; Copias nobis adducet Vir doctissimus & plurimæ famæ, qui iisdem in castris militat, in quibus & Nos; scilicet Artium Salubrium Doctor & Professor in *Viennensi* antiquissima *Academia*, *Joh. Georg.* GREISELIUS, qui jussu S. C. M. cum Perillustri *Comite* de PARR anno 1670. ad inspiciendas *Bohemiæ* Metallifodinas missus, plurimas accuratissime perlustravit, & sua observata deinde cum Bono Publico *in Eph. N. C. Dec.* I. *an.* 2. *sive* 1672. *Obs.* 78. lubens communicavit, ex quo hoc de *Præcipuis Bohemiæ Metallifodinis* supplementum mutuabimur, & Lectorum voluptati simul ac utilitati, nec non TOLLII votis aliqua ex parte facturi satis. In hunc itaque modum narrat Vir Celeberrimus:

,, Iter, declinante jam anno institutum, montana per loca nobis minus ,, diuturnam, quam pro voto, moram faciebat. Primum invisimus *Kuttenbergam*, amœno situ cœloque valde benigno. Per totam ibi Fodinam ,, unica est *Vena Cumulata*, *Argenti*, *Cupro* permixti, hic illic modo ditior, modo pauperior; nec ubique profunda æque; nam in *Fodinam* ,, *Novæ Spei* (sic dictam, quod & *nova* est, & bona *spe* lactat suos Cultores) sunt tantum orgyiæ seu passus metallici XL. ibi jam optima minera effoditur.

,, Habent autem ibi loci *Passus Metallicos*, quam alibi locorum, sesquipede longiores, quos Thump-lachter appellant; communes vero ,, Berg-lachter vocant. Ego putem duce AGRIC. *de R. M. l.* IV. *p.* 55. ,, *init.* quos dicunt Thump-lachter / esse orgyias *Græcorum*, Berg-lachter ,, vero esse orgyias *Romanas*.

,, Descendimus vero in *Puteum Machinæ Hydraulicæ*, Germanis ,, Kunstschacht / usque ad Cuniculum sub ostiis, ubi aqua extracta exoneratur, Außgusz-stollen vocant; quo usque sunt XI. *orgyiæ*: inde ad ,, Cuniculum Wolffschtreck / in quo descenditur ad areas, sunt CL. *orgyiæ*: ,, hinc in Fodinam *Suchin* sunt XXIV. orgyiæ: hic autem *vena* est *lata* ,, quadrantem *orgyiæ*, non adeo dura; caudam suam tendens inter primam ,, & secundam horam plus minus, satis humida. hinc ad Fodinam *Aaronis* sunt XVIII. *orgyiæ*; cujus vena ditior priore est, sed minus humida: inde transeundo per Fodinam *Phasiani*, reliquis duabus ditiorem, ,, descenditur in Fodinam *Commissarii* XII. *orgyiis*; hic locus siccus est, ,, & Metalli ditissimus, ita ut ibi quasi cumulus & caput *venarum* videatur,

„ tur, Metallurgi dicunt, Die Gänge machen oder werffen einen bauch auf; „ modicum vero *Argenti* continet, reliquo fere *Cupro*. Inde circiter tribus *orgyiis* eſt alia Fodina, Bernireck dicta, dives pariter, ſed durior & „ *Ære caldario*, Noſtris Glocken-ſpeiſz / prægnans; locus *venæ* hic per „ ſe ſiccus eſt. Inde aſcenditur per XLIV. *orgyias* in Fodinam Upzzimnoſt / „ nunc non adeo divitem, ſed tamen humidiorem, exinde ad ſuperos „ aſcendimus, quod Metallurgi vocant, zum tag auſzfahren.

„ Ad profundiſſimum locum, ex quo nunc Mineræ extrahuntur, plus „ minus CCXVIII. *orgyiis Græcis* deſcenditur: *Puteus* autem *Machinæ Hydraulicæ* eſt altero tanto profundior, in cujus fundum quanquam ob „ aquæ copiam deſcendere non potuerim, nihilominus tamen animadverti, *Aquam* illam *ſucco Metallico* ita eſſe imprægnatam, ut non tantum intus, in *Puteo*, guttæ deciduæ ſcalas *ligneas*, ipſi vocant die Farten / in „ *lapideas* convertant, aut & alio transfluens Aquæ ejusdem rivulus canales ſuos aliis canalibus quaſi tartareis obducat, verum intus etiam in ſiphonibus talis materia lapidea accreſcat, ita ut illis ultra triennium rariſſime uti poſſint, coganturque eos abjicere, ob materiæ accreſcentis copiam, pilum impedientis.

„ Minera *Phaſiani* eſt obſcurior, *Novæ Spei* magis albet. quandoque, „ ſed raro, ex *Phaſiano*, parum *Argenti rudis*, quod vocant gediegen Silber-Ertz / continet.

„ Cuniculus *S. Mariæ Magdalenæ* humidior cæteris omnibus eſt, ideoque „ jam dudum coli non potuit. habet *mineram Argenti & Cupri*. Tota „ Fodina, quantum videre licuit, pleniſſima eſt *cryſtallis*, qui mihi *flores Cupri* videntur.

„ *Cadmia Fornacum*, quam ibi appellant Gifft von den geröſten reichſilberhaltigen Ertzen / adhæreſcit parietibus *Fornacum*, in quibus *venæ* „ cremantur, Röſt-Oſen vocant; varii ſolet eſſe coloris, *flava*, *alba*, *cærulea*, *nigricans*, & aliorum. Loquitur de hac AGRIC. *R. M. l.* VIII. „ f. *p.* 288. & *N. F. l.* IX. *p.* 343. & 349. Ego exiſtimo *Flores Arſenicales*; nam & fumus & materia hæc ipſa malignum ſpirant odorem; ſupra „ carbones ignitos projectus ejus pulvis valde fumat, & *ſulfur* redolet. nec „ mures, nec glires eam attingunt. cato dedi, qui vertigine correptus aliquot diebus poſt periit.

„ *Kuttenbergæ* etiam ſatis magna copia *Pyritis*, *aureo* & *argenteo* colore „ reperitur: vocant Kupffer-und Waſſer-Kiß / aut Gelber-und-Weiſſer-Kiſz. „ continet aliquid *Argenti*.

„ E regione Fornacum, in quibus *Venæ* excoquuntur, ipſi appellant „ Schmeltz-öſen / eſt inculta quædam Fodina, ubi olim *Antimonium* effodiebatur.

„ Porro, cum alias cætera loca herbis, arboribus, fruticibus veſtiantur, Colles Metallici hic locorum circum circa omnes ſunt calvi. Fu-

M „ mus

„ mus ex *Fornacibus* exhalans, quia gravis est, & statim terram repetit;
„ omnes ibi in vicinia circum herbas, aut quæ sub isto vulgo tractu
„ crescunt, arefacit, adurit, incrementum impedit, suffocat, necat.
„ Vaccæ, quæ ibi circa fornaces pascuntur, lac aut insipidum, aut male
„ olens præbent.

„ Medio milliari *Kuttenberga* est certus terræ tractus, ubi præstantissi-
„ mus & delicatissimus *Raphanus rusticanus*, per Germaniam celebris,
„ crescit, adeo ut oppidum illud solo *Raphano*, quem *Lipsiam* & *Viennam*
„ usque deferunt, quæstum & victum sibi paret. Plura ibidem notare tem-
„ poris injuria non permisit.

„ Inde in *Vallem Joachimicam* perreximus, locum montibus horren-
„ tem, austerum solo, rigentem cœlo; ita ut ibi frumentum vix matu-
„ rescat, imo sæpe minime, avena nunquam. Nos mense *Octobri* ibi-
„ dem *Ribesia* & *Cerasa* adhuc immatura offendimus. Herbas & Arbo-
„ res si spectes, fertilissimus est locus. illic enim inveni *Rorellam*, *Ange-
„ licam*, *Libanotidem*, *Bistortam*, *Tormentillam*, *Caryophyllatam*, *Hel-
„ leborum album & nigrum*, *Rhabarbarum Monachorum*, *Fabariam*,
„ *Telephium purpureum*, *Gentianam majorem & minorem*, *Aristolochiam
„ utramque*, *Centaureum minus*, *Carlinam*, *Origanum*, *Pulegium*, *Thy-
„ mum*, *Satureiam*, *Serpillum*, *Imperatoriam*, *Polium montanum*, *Te-
„ sticulorum varias species*, *Lilium convallium*, *Asarum*, *Lysimachiam
„ purpuream & siliquosam*, *Saxifragiam*, *Veneris umbilicum*, *Anchusam*,
„ *Pentaphyllum Petræum*, *Papaver corniculatum*, *Solanum majus sive
„ Bellam Donnam*, *Polypodium*, sed non *quercinum*; aliasque plurimas
„ herbas, quarum jam non amplius recordor. Vir fide dignus retulit, &
„ *Lunariam* ibi repertam.

„ Conjicio olim hoc ex loco magnas divitias provenisse; stupendum
„ enim in modum perfossus, suffossus, transfossus est. exstat ejus de-
„ lineatio, quæ videri potest.

„ Ibi plerunque per *Cuniculos*, rarius per *Puteos*, nisi forsan compen-
„ difaciendæ viæ gratia, ad Fodinas descendunt; quæ ibi diversæ sunt,
„ venis *Argenti* durissimis, raro ultra IV. aut VI. digitos transversos ex-
„ tensis; sed ditiores, quam *Kuttenbergenses*. Omnes vero ibi Fodinæ
„ generatim valde humidæ sunt, ut quibusdam in locis duplices cuniculi,
„ alter super alterum, ob copiam aquarum inveniantur. Numeravi ex uno
„ Cuniculo perparvo novem Aquæ ductus; præter aliam Aquam copio-
„ sam, quæ abundantissime effluit, quocunque siccitatis tempore; ut si
„ vel alia Aqua deficiat, omnes ibi Molæ sola aqua, ex uno alterove edu-
„ cta cuniculo, possint circumrotari.

„ Mineræ, quæ ibi effodiuntur, fere pares, certe parum differunt.
„ Ditissima est Fodina *Pulcræ Mariæ*, in qua nunc sæpe *Argentum rude*
„ reperitur: Valde humida est, calore tamen temperato. ante annos ali-

„ quot

„ quot ibi inveniebatur quædam Vena *Argenti rudis plumbei coloris*, quod „ Glas-ertz vocant, verum hodie evanuit.

„ Juxta oppidum Gottes Gab aliquando inventa fuit ejuſdem Argenti ſi- „ milis vena, ſed nec ibi quicquam amplius reperitur. nihilne remanſerit, „ an quærentium deſit induſtria, neſcio. illud apparet, venas illas tantum „ ſuperficie tenus ubique quæſitas eſſe, & terram paſſim foſſam; illi di- „ cunt, geſchörfft.

„ Celebrant ibidem etiam *Argentum rubrum rude*, Germanice, Roth- „ gülden-Ertz; verum in eo tantam, quantam Scriptores notant, clari- „ tatem non invenio: ideoque magis crederem, eſſe *Argentum rude pur-* „ *pureum*, vulgo gediegen Braun-Ertz. ante aliquot annos inveniebatur „ etiam hoc *Argentum* in *Valle Joachimica*, nunc rariſſime aut nun- „ quam.

„ Ibidem in quadam Fodina *Medulla ſaxi*, nobis Stein-marck / terræ „ albæ ſpecies, de qua Agric. *Bermanni p.* 456. (adde *N. F. l.* II. *p.* „ 188.) Locus, unde excepi, eſt ultra 100. *orgyias Romanas*, eas enim „ hic obſervant, profundus; Saxum eſt ſolidum, habens in medio fiſſu- „ ram latitudine unius palmi, circiter IV. *orgyias* profundam. profundio- „ rem equidem eſſe, apparet evidenter, ſed quia ſaxum eſt ſolidum duriſſi- „ mumque, & necdum totum detectum, profunditas certa definiri ne- „ quit. in iſta autem fiſſura hæc *Medulla* invenitur, quæ licet ſit pinguis, „ non tamen ardet, nec ad ignem liqueſcit; inſipida etiam plane eſt, ex- „ hibeturque ibi loci ſub forma pulveris ea quantitate, quam cultri cuſpis „ capit, cum cochleari *Aquæ Petroſelini* in Urinarum Obſtructionibus & „ doloribus Nephriticis: certis enim experimentis conſtat, illa calculos & „ urinam pelli.

„ Reperitur ibidem & alia *terræ* ſpecies, de qua Agric. *l. l.* hæc ali- „ quando tota *nigra* eſt; ut & *alba*, non tamen *pinguis*, & *rubra*, in „ unius ejuſdem *Fodinæ* vena: eſt autem illa *Fodina* inculta & occulta, „ ſaxis, terra, ſepibus, lignis, variiſque rebus cooperta, ſine uſitato „ acceſſu, exceptis tribus vel quatuor, reliquis omnibus antehac incogni- „ tis, XXX. aut XL. ad ſummum *orgyias* profunda; & tam anguſti, per „ modum *Cuniculi*, introitus, ut non niſi ſerpendo, & quidem homo „ macilentior tantum, ad VII. vel VIII. *orgyias* intrare queat.

„ Porro vicinia illic ad dictam Fodinam ſemper nebulis eſt plena, &, „ veluti vagæ nubes, continui oberrant ibi vapores, neque tamen æque al- „ ta atque *Vallis Joachimica* ipſa, eſt. Externa ſpecie hic collis ridet „ variarum copia herbarum, ſummitas & ambitus triticum profert copio- „ ſum: Intus vero caverna ſpecuſque viſu plane horrenda: Saxum non eſt „ unum & continuum, ſed totus mons apparet, ut cumulus ſaxorum „ grandium & minorum aggeratorum, inter quæ *Terra*, quam modo „ dixi, ita diſpoſita eſt, ac ſi Natura, loco calcis, ea, ad Collem hunc

„ coagmentandum, voluisset uti. Si quis incautus per incuriam caput ad
„ lapidem offendat, longo tractu Terra decidit, ita, ut omnia videan-
„ tur velle corruere. Invenimus quoque in illo angusto introitu, quem
„ modo commemoravimus, varia *quadrupedum* & *piscium ossa*; intus ta-
„ men totam Fodinam, quæ magna non est, variis hinc inde sine ullo or-
„ dine labyrintheis cuniculis transactam, pervagati nullum invenimus ani-
„ mal.

„ Mirifica plane de hac Fodina, etiam a loci ignaris, narrantur; velu-
„ ti: Certos quosdam *Italos* alternis vel ternis annis venire solere; eos hanc
„ Terram excipere, ex qua postea eos *Aurum* conficere, Fama sit; at
„ modum Auri hinc extrahendi omnes latere alios. illud tamen certum est,
„ non adeo pridem homines in hac Fodina fuisse: vidimus enim vestigia re-
„ centissima surreptæ istius *Terræ*, *nigræ* præcipue; imo vero unam talem
„ divitem venam, lapidibus tectam & occultatam, in quodam cuniculo
„ ipse reperi, ubi magna copia istius terræ jam tum ita collectæ, disposi-
„ tæ & ita studiose asservatæ latebat. Variæ ibidem sunt Venæ, nec omnes
„ suas caudas ad unam eandemque horam extendunt: locus non ita humi-
„ dus est, si eum cum vicinis compares: nam incolæ illius viciniæ, Viri
„ fide digni, sancte mihi testati sunt, esse illic loca quam plurima, ubi
„ ad profunda III. aut IV. *orgyiarum* jam statim aquam inveniant. Sed
„ neque *Terra* illa aut Vena, dura est, digito enim & cultro excipi po-
„ test; nec spirat fumum virosum, aliamve auram pestilentem aut fœti-
„ dam: totam enim illam Fodinam & Collem Aer transpirat & permeat;
„ lingua Metallurgorum: Es is gutes wetter darin / und ziehet auß und
„ ein.

„ Narrant eandem Fodinam ab illis, quos ante dixi, *Italis* esse incan-
„ tatam & devotam, munitamque per Spectra aut Dæmones Metallicos,
„ qui affixi ibi custodes hæreant, ne ingressi quippiam auferre & excipe-
„ re, aut, si tamen excipiant, quicquam efficere aut experiri possint.

„ Uno milliari ex *Valle Joachimica*, in *Bohemiæ* & *Misniæ* confinibus
„ crescit *Lapis Granatus*. omnia ibi locorum hoc lapide plena: imo inte-
„ gri montes sunt *Granati*, aut ut rectius dicam, tota minera mons me-
„ rus est. notavi, in superficie terræ istius mineralis apparere quidem *La-
„ pides Granatos*, sed omnes a Sole exustos & consumtos. Cuniculos
„ quæsivi; & inveni eos aliis humidiores, *Lapides*que *Granatos* bonos &
„ recentes. intra ultra duas *orgyias* pergere non potui, quia lampadem pe-
„ nes me non habebam, valde tamen humidum eundem cuniculum repe-
„ ri, ut appareat, *Lapides* istos humore conservari. Unus *Centenarius* ho-
„ rum Lapidum, (audita, & mihi relata, non vero a me experimentis
„ comprobata refero,) aliquot *uncias Argenti puri* continet. Minera val-
„ de mollis est.

„ In eadem *Valle Joachimica*, & quidem, si bene memini, in Cuni-

„ culo

„ culo *S. Susannæ* reperitur *Arbor in lapidem conversa*, ubi videtur figura „ ramorum, corticum & radicum. tota *Arbor* quasi excavata jam est. Cu- „ niculus ille usque ad illam *Arborem* extenditur ultra *bis mille orgyias*. pu- „ tant fuisse *fagum*, atque hoc modo lapidefactam: tempore Diluvii Noa- „ chici sabulo & arena fuisse obrutam, tractuque temporis lapideam factam. „ neque hæc a ratione aliena aut adeo absurda non sunt; quippe ille ipse „ *Cuniculus* per omnes sibi partes similis non est; modo enim *solidum sa-* „ *xum*, modo *arenam*, modo *argillam*, modo *terram*, rursus *saxum*, „ jam *lapides*, post paullo *terram* transit: hic *humidus*, ibi *siccus*, hic „ *calidus*, ibi *frigidiusculus*, &, ut paucis dicam, plane *heterogeneus* est; „ illic vero, ubi putatitia illa *Arbor* hæret, mera apparet *arena*, quæ „ glutine & viscosa quadam humiditate successu temporis exsiccata & qua- „ si conglutinata est: non enim est *petra vera*, nec *pura terra*, nec *pura* „ aut *vera arena*; sed videtur *Arena cum Terra limosa conglutinata*. Meæ „ conjecturæ si hic locus est, putem ibidem fuisse *Succum Lapidescentem*, „ qui casu talem formavit *Arboris* figuram. at quid de *cortice*, quid de *fi-* „ *bris* dicemus, quæ magis indicant, quod si unquam *Arbor* fuerit, fuis- „ se *Quercum*? nonne & *Pisces*, & aliæ res similes *Fossiles* multæ dantur? „ sed judicium esto penes alios Doctiores.

„ In eadem *Valle Joachimica* reperitur *Minera Ferri*, quam vocant ge- „ diegen Eisen-Ertz) sive *Ferrum rude purum*, ajuntque esse plurimam „ *Ferri* partem. Viatores illac transeuntes pro *hæmatite* hanc *Mineram* ac- „ cipiunt, atque hoc nomine ea utuntur. At ego credo, esse *Crocum* „ *Martis Naturalem*.

„ Obiter hic annotare lubet rem examine & judicii trutina dignissimam; „ Cur *Ferrum* per *Mucrones*: *Argentum* per *Bracteas*, *Lamellas*, *Fibras* „ & *Strias*: *Plumbum* & *Stannum* per *Massas* & *Cumulos* sese pro- „ dant.

„ Ad *Cuniculum* redeo dictæ Mineræ, qui non adeo profundus est; „ constat terra & saxo non adeo duro, sed omnia sunt rubicundissima; „ ipsamet intus *Aqua* stagnans, nec ipsa copiosa, ob ruborem crassitiem- „ que suam verum sanguinem simulat. valde *vulnerariam* esse hanc terram „ ipse sum expertus. in fodina casu, ad palmum dextrum, vulnus trian- „ gulum inflixeram; apposui mox vulneri illi recenti terram hanc rubram „ naturali humiditate præditam; bis quotidie repetii, & vulnus quarto die „ persanatum fuit: ita & *Viennæ* mulieri eadem terra opem tulit. huic ob „ rheumatismum secta in pede vena, sed majore per Chirurgum vulnuscu- „ lo facto, sanguis tenuior cum impetu prosiliit, qui difficillime sisti po- „ tuit. noctu mulier incaute pedem offendit, mox vulnus recruduit ad „ animi deliquium, & magno labore tandem stetit: post triduo ligatura re- „ mota denuo sanguis prosiliit cum impetu, jamque convulsiones superve- „ niebant. locus ustioni aptus non erat, sanguinem sistentibus nihil profi-

„ ciebatur: itaque ego tandem massam confeci ex *crepitu lupi* cum *albu-*
„ *mine ovi*, superaspersi bonam quantitatem hujus *terræ* in tenuissimum
„ pulverem redactæ, maceravi hanc massam in *Aceto Rosaceo Forti*, &
„ supra venam hiantem ligavi, fasciis & linteis omnibus in *Aceto* illo *Ro-*
„ *saceo*, cum reliquo pulvere hujus *terræ Mineralis* mixto, intinctis; atque
„ ita unius noctis spatio coaluit vulnusculum, ut altero die sequente tuto
„ potuerit deambulare.

„ Colliculus, ex cujus visceribus hæc *terra* extrahitur, *junipero* vesti-
„ tur frequenti & *pino* humili & alta: alias etiam herbas habet, sed
„ paucas.

„ *Plumbum* ibidem etiam promiscue invenitur: rarius autem *Plumbum*
„ *Cinereum*, quod Bismuth appellant. Liquescit hæc *Minera* ad flam-
„ mam Candelæ. Hujus *Plumbi Cinerei purificati* si tantum *Stanno* ad-
„ das, quantum requirit; (hoc enim plus, illud minus capit:) illud
„ *Stannum* jamdum ad usum paratum redditur sono & specie *Argento* si-
„ mile. notari meretur, quod ultra quadrantem horæ, facta commixti-
„ ne istorum duorum Metallorum, audiatur, strepitu interno, in patel-
„ la, orbe, aut alia re fusa, etiam jam tum refrigerata, sonitus *actionis*
„ & *reactionis* internæ.

„ Extrahitur etiam ibi magna copia *Cadmiæ Metallicæ*, quam Kobolt
„ vocant. conficiunt ex ea colorem cœruleum, quo utuntur mullercu-
„ læ pro tingendis collaribus. Varia *Metalla*, pro varietate loci, unde
„ extrahitur continet. utuntur etiam ibi, ut *veneno* contra *muscas*. illud
„ affirmare possum; nam, ut redii, Museum meum, ab hominibus li-
„ cet frequentatum, *Muscis* plenum inveni. ut vero *Mineralia*, quæ at-
„ tuleram, aeri ex cista exposueram, inter quæ erat & *Cadmia* ista, spa-
„ tio sex septemve dierum ita *Muscæ* evanuerant, ut vix unam & alteram,
„ & quidem rarissime, adverterim. porro exposueram varias *scutellas*, *con-*
„ *fectione Cadmiæ Metallicæ & Fornacum cum Aqua & Lacte infectas*,
„ pro interficiendis *Muscis*: nec tamen, quantum observare potui, vel u-
„ nicam *Muscam* inde libantem vidi; advolabant equidem, sed momen-
„ to avolabant; unde putem, solam evaporationem in aërem vicinum Mu-
„ scis exitio fuisse. nam in *Valle Joachimica* item tantum hinc & inde *Mi-*
„ *neram* istam collocant, atque ita Muscas abigunt ex conclavibus. sic &
„ ipse nullam unquam Muscam supra *Mineralia* mea diu ambulantem hac-
„ tenus observavi. attamen cum odoratu acuto sim, nullam hinc ipse
„ nauseam, aversationem, antipathiam ortam expertus sum; licet Na-
„ pellus me semel iterumque solo odore fere exanimasset, dum *Herbarium*
„ meum *Vivum*, in quo hærebat, pervolvo. Porro, ut finiam, *Cad-*
„ *miam Metallicam* dedi vorandam cani cuidam, qui horrendum in mo-
„ dum vomuit; &, licet non perierit, male tamen hucusque va-
„ let.

Minera

„ *Minera Arsenici* ibidem magna invenitur copia, nec tamen, uti scribunt, tam pinguem inveni. Fodina ejus alta est, satis sicca & graveolens, cujus fœtor, quanquam eum non sentirem, difficilem tamen mihi respirationem excitavit. Intravi solus cum Metallurgis illic ordinariis; itineris enim socii intrare cum nollent, foris me exspectabant, alias illis, ut æque inadsuetis, sine dubio idem, quod mihi, accidisset. Cum enim validos per Dei gratiam Pulmones habeam, quos cum nullo Mortalium, si vel maxime possem, permutare vellem; tamen *vapor* hic *Arsenicalis* sine dubio mihi respirandi difficultatem excitavit, cum eodem plane modo mihi idem contigerit *Kuttenbergæ*. Ibi enim cum derepente ad Fornaces, in quibus venæ cremantur, Röst-ofen vocant, incautius accederem, ut visenda viderem, quamvis vix octavam horulæ partem intus permanerem, tantam nihilominus respirandi difficultatem mox sensi, ut vix per horam spiritum recolligere potuerim, Suffocationemque plane timuerim. Metallurgi, qui per annos aliquot ea in Fodina laborant, tandem artuum tremore correpti moriuntur; quod & illis accidit, qui Fornacem, in qua hujus venæ flores conficiunt, curant. Omnes Operæ, ut eos aliquo depingam modo, viva sunt mortuorum simulacra, pallidi, sicci, concavis oculis; verbo, macilenti, ut vix ossibus hæreant. Ipse ad hujus Fornacis caminum accedere plane non potui, nec in fumo, aut circa fumum salva respiratione permanere: ad ignem tamen & Fornacem ignitam impune accessi. porro observarunt operæ illic loci, quod, cum Fornax hæc in media silva sita sit, ad illam, quam fumus contingit, viciniam nulli unquam cervi accedant, licet plurimi ibi locorum sint; sed quamprimum eum fumum sentiant, quantocius recedant. hac ex *Minera* postea conficiunt *Arsenicum Crystallinum*, quod est *sine Sulfure*; & *Arsenicum Flavum*, quod est *cum Sulfure* paratum.

„ Duobus ab ista *Valle* milliaribus alius situs est Pagus, qui vocatur Gottes-Gab/ ceu dicas *Donum Dei*: locus hic est miserabilis, ubi vix passer degat; excelsus continuis in nubibus & nebulis; ubi nec herba, nec frutex nec arbor. Incolæ Anni partes tantum tres norunt, *æstatem* ignorant. frigidus præterea locus est, & valde humidus usque adeo, ut gramen, quod nulli usui est, cum nulla eo bestia pascatur, nec, ut usui sit, siccari potest, quotannis humi accumulatum & aggeratum putrescat. massa hæc putrida, per totam viciniam, ultra orgyiam unam & dimidiam profunda, nigerrima est & pinguis, ad instar fimi vaccini putrefacti, ac, si quis subtus sit, ut quandoque contingit, si vena sit paullo profundior, tetram, ad nauseam usque, exhalat mephitim. sub eadem massa latet terra lutosa instar argillæ, quam lavant & ex ea *Mineram Stanni* extrahunt, instar arenæ gravem & nigram, modo minori, modo majori copia: frequentissime tamen ex *terræ libris* xx. extrahunt *Stanni* circiter

„ uncias

„ uncias III. aut IV. vocantque id Saigerzin/ quod optimum est. Sub
„ ista autem, quam modo dixi, crusta est terra arenosa & firma, inanis
„ & nihil in se continens. sunt porro ista in vicinia paludes ita gramine suo
„ tectæ, ut stabilem terram mentiantur, ut vel eques illis submergi possit,
„ quod contigisse, incolæ mihi affirmarunt. Est porro magna in istis ibi
„ cavernis, quæ ultra IV. vel V. orgyias profundæ non sunt, quos
„ vidi, *Stellionum* copia. De *Salamandris* quoque inquisivi, easque in-
„ colis descripsi, secundum quam descriptionem, eas ibidem reperiri af-
„ firmarunt: nullam tamen vidi, sed nec ultra dimidium diem ibi per-
„ mansi. Incolæ illic istam *terram* semper volvunt ac revolvunt, semper-
„ que *Stanni Mineram* inveniunt, ita ut jam sæpius *terra* illa fuerit revo-
„ luta, *Stanni*, semper inventi, gratia.


„ Ex hac Valle discessimus *Schlackewaldam*, ubi integra *Cumulati Stan-*
„ *ni* vena reperitur. Hæc vena caudam suam in profundum extendit, illi
„ dicunt: es fällt in die Tieffe / & quidem usque adeo, ut venæ cauda
„ reperiri nusquam possit: quo enim diligentius fodiunt, eo majorem &
„ cumulatiorem venam semper inveniunt, &, quod magis mirere, dum
„ infra fodiunt, supra iterum recrescit *Minera*. qualia ædificia, quantæ
„ cavernæ, quot excavata spatia ibi sub istius Fodinæ terra sint, nisi qui
„ viderit, credet nemo. transivi quasdam cavernas ultra L. aut LX. passus
„ longas, latas XXX. aut XL. at altitudinem visu metiri non potui, quæ hor-
„ rorem spectantibus incutit. Jucundissime & distinctissime Echo intus re-
„ sonat & respondet; omnes sunt fornicatim excavatæ & quidem sine ful-
„ cris. affirmarunt mihi, ampliores majoresque adhuc cavernas esse; nec
„ enim Fodinam pervidi, ad quam pervidendam tres integri dies requirun-
„ tur, adeo ampla est, variisque substructa ædificiis; nec adeo humida
„ est, nisi ubi *machina* est *hydraulica*, & ipsa sane memorabilis.

„ Ajunt, intus morari *Dæmonem* quendam *Metallicum*, qui sæpissime
„ varia sub figura apparet, modo ut *Metallurgus*, modo ut *Magister Me-*
„ *tallurgorum*, modo ut *Juratus*, modo forma *Muris*, *Canis* variorum-
„ que animantium. subinde auditur saltare & ducere choreas, inflare ti-
„ biam, & millenas ejus notæ nugas ajunt eum ludere. at, quia malum
„ ipsis omen habetur, si illum aut audiant, aut videant, summopere
„ omnes tumultus, clamores, insolentiam in Fodina prohibent. Ego il-
„ lius videndi audiendive desiderio ardens cœpi ore acutum sibilum edere ad
„ instar fistulæ; ibi tum *Metallurgi* me per omnes Deos Deasque rogare,
„ abstinerem cœptis; forsan sine Comitibus fuissem, non verbis, sed ver-
„ beribus silentium imperassent. cum caussam silentis jam *Dæmonii* indaga-
„ rem, responderunt, *Dæmonem* illum alias statim respondere solitum fi-
„ stula, saltu, aut effusissimo cachinno, cumque aliquoties damnum qui-
„ busdam inflixerit, dum illos præcipitaret per scalas, torqueret, tunde-
„ ret, seduceret in errores, lampades eorum exstingueret, & quæ sunt

„ plura

„ plura ejus farinæ, hinc illi fidendum semper non esse. Apparet itaque, „ *Dæmonem* illum esse jocularium & nugatorium : ipse autem ejus quicquam in hac Fodina nec audivi, nec vidi.

„ Hic autem non, uti in aliis Fodinis, solent *jaculari*, sed ignem substruunt, quod patentissima sit, & spiracula plurima habeat illa Fodina. „ *Jaculari* autem vocant, cum foramine rotundo terebra in *Mineram* excavato, id pulvere pyrio replent, illudque iterum ligno, cui parvulus est canalis, accuratissime incusso occludunt, quem canalem pulvere pyrio quoque implent, & juxta accendunt candelam sulfuream longiorem, „ qua ratione *Mineram* dissilientem confringunt : adeoque si hic jacularentur, sane metus esset, ne terra superior corrueret, & aut *Metallurgos* aut *venam* obrueret. Vena enim tali procedit figura:



„ ubi *a* est superficies terræ; cumulus vero Venæ totus est *b c d*, adeoque, uti & extra Fodinam cernitur, terra manifestissime se ad *venam* inclinat: quin etiam in altera parte aliquid corruit, & confregit rotam *Machinæ Hydraulicæ*, una cum ejus caverna, quarum murum nunc substruunt munitissimum, &, ne in vicinia fodiatur, sanctissime & acerrime prohibent, cum alibi locorum *Mineræ* satis satisque abundet, utpote integro solidoque cumulo, unde quicquid decutitur, *Minera* est.

„ Hic etiam est quædam *Argenti Fodina*, non profunda, sed valde humida, ac plena *terræ luteæ*. magnas quondam inde divitias extractas conjicio, vel solo ædificio id arguente, in quo Majores longissimum quendam cuniculum, ad aquam tantum educendam, egerunt. non ita pridem eam rursus Fodinam colere cœperunt, *sub spe*, ut loquuntur, adhuc laborantes. quantum enim extrahunt, tantum necdum sufficit in mercedem Metallurgorum.

„ *Schlackewaldæ* Fodinis ad dimidiam horam distat *Schœnfelda*, particeps *Fodinæ Stanni*, quæ *Schlackenwaldæ* est. hic locus propter continuatas *molas*, ubi Venæ tunduntur, Puchwerck vocant, & *fornaces*, unus idemque quasi apparet *Schlackenwaldæ*. illud admiratione dignum, quod cum *Schœnfeldæ* situs in meram planitiem pateat, nihilo tamen minus continuis nebulis, pruinis, frigore, aliisque cœli injuriis perpetuis sit obnoxia, ita quidem, ut hic loci integrum mensem & amplius hiemem habeant longiorem, quam *Schlackenwaldæ*; imo hic erit cœlum temperatum & serenum, ibi ninget aut pluet; hic toto die a Sole torrentur, illic nebula & pruina vastabunt cuncta; hic homines formosi, ibi stru-

,, moſi, præcipue feminæ. Equidem hujus mutationis diverſitatiſque cauſ-
,, ſam in latentem ibi *Mercurium* conjicio; certoque perſuaſus ſum, ſi
,, quærant, reperturos *Venam Mercurialem*: quin imo aſſeverare auſim,
,, poſt aliquot annos, ſi ita Fodinam *Stanni* verſus *Schœnfeldam* continua-
,, verint, derepente *Venam Mercurialem* illis patefactum iri.

,, Ibidem *Lapillus niger*, quem vocant Zinn-krauppen / eſt *Stannum*;
,, idem ac *rude*, quod vocant gediegen zinn: ſed paullo rariores ſunt hi
,, *lapilli*: vidi alium talem *lapidem* ad magnitudinem pugni, verum tales
,, rariſſimi ſunt.

,, Porro *Schlackewaldæ* per totum illum tractum, ubi aqua ex Machinis,
,, in quibus Venæ pilis præferratis tunduntur, fluit, eluunt arenam, &
,, rurſus aliquam *Stanni* modò majorem, modo minorem acquirunt quan-
,, titatem.

,, Cæterum notavi, totam *Bohemiam* & *Moraviam* plenam eſſe *Mica*,
,, quam Katzen-ſilber appellant, de qua agit AGRICOL. *Berman. p. m.* 447.

,, Atque hæc ſunt, quæ brevi hoc itinere annotare potui. Corollarii
,, loco addo ſequentia:

,, *Aqua Lapideſcens* in *Minera Plumbi Tarnomontana*, in confinibus
,, *Sileſiæ* & *Poloniæ*, creſcit ad inſtar bacilli longi teretis, & quaſi per an-
,, nulos diſtincti, inque medio perforati. eam ibi exhibent in *obſtructioni-*
,, *bus urinæ*, & in *calculo*.

,, *Minera Plumbi Tarnomontana* continet *Argentum*, ſed paucum, un-
,, de parum inde lucri redundat.

,, *Sal Polonicus Foſſilis* in ſua Fodina eſt mollis & levis; extra eam mo-
,, mento ita dureſcit & graveſcit, ut unicum fruſtum, quod in Fodina
,, ab uno homine tractari poterat, illud extra Fodinam vix quatuor boves
,, movere poſſint. Obſervavi hoc ipſe, præterlapſo anno, cum Auguſta
,, ELEONORA, quæ *Sponſam* REGIS *Poloniæ* comitabatur *Cracoviam*, eo
,, profectus.

Hæc GREISELIUS, Vir Curioſus, & acuti ac elimati, ut vides, judicii, in *Epiſtola* ad Celeberrimum Medicinæ decus, SACHSIUM. Non ingrata, ut ſpero, Lectoribus erit, hæc utilis & jucundi & neceſſarii ſupplementi digreſſio. Licebit etiam, ut puto, *Profeſſori Profeſſorem*, *Medico Medicum*, *Metallophilo Metallophilum*, *Epiſtolographo Epiſtolographum*, *Hodœporicum Hodœporico*, & quidem eodem itinere, Belgæ *Germanum* ſuccenturiari. ne quid neſcias: ſingula digeſſi, recenſui, &, exceptis Artis vocibus, nonnulla paullo Latiniora reddidi.

JACOBI

JACOBI TOLLII
Epiſtola Itineraria IIII.
COMMORATIO VIENNENSIS:
A D

Clariſſimum, Eruditiſſimum & Experientiſſimum Virum,

DOMINUM

THEODORUM JANSONIUM AB ALMELOVEEN.



ix curæ cultuique corporis unus & item alter dies conceſſus, ex quo *Viennam* veni, cum proximo *Lunæ* die Præfecto *Bibliothecæ* CÆSAREÆ, NESSELIO, Viro Excellentiſſimo, literas Reverendi Patris WOLFFII commendatitias trado, ab Eoque, qua erat humanitate, e veſtigio in *Bibliothecam* deducor, tam veterem *Viennenſem*, quam nuper *Buda* adve&#x1d;ctam. ſed, ah! ah! pro ſperata voluptate nec opinum dolorem, pro immenſo, quod animo præconceperam, gaudio ingentem cepi mœrorem. SALLUSTIUM hic me integrum inventurum nonnulla ſpes lactaverat, quem in *Budenſi Bibliotheca* Eruditi quondam viderant: & en! laceras heu! ſitu, pulvere, vermibus corruptas nullius ferme precii reperio reliquias! Huccine, Regum Magnificentiſſime CORVINE, cura Tua atque elegantia cecidit, ut, quam immenſis ſumtibus ac laboribus collegeras *Bibliothecam*, tam fœdum in modum, tam brevi diſſiparetur; ut ne reliquiæ quicquam haberent delectabile; ut nullum Tanto PRINCIPE dignum ſupereſſet volumen! Sed abſterſit magnam hujus doloris partem CÆSAREÆ *Viennenſis Bibliothecæ*, vere *Auguſtæ*, intuitus: in qua tam præſtantes inveni, tamque multos *Græcos Latinoſque*, *exaratos manu*, *Codices*, ut

N 2 iratum

iratum mihi CAESAREM pati poſſim, ſi tali carcere in trimeſtre
ira illa expiari queat. Aves tamen ſcire, quid noſtri Studii *manu*
ſcriptorum in *Budenſi Bibliotheca* repererim? LIVIUM, eum-
que *non integrum*, ſed *recentiorem*; LUTATIUM, ſeu LA-
CTANTIUM, PLACIDUM in STATII *Thebaida*; & BOETHII
Arithmeticam, *Geometriam* & *Muſicam*. Alterius indicem
NESSELIUS publico ſeſe non inviſurum, pollicitus eſt: & ex
ea Ego mihi *quatuor*, ACHMETIS *Onirocriticωn*, *Codices* 1
mss. cum *editione Rigaltiana* conferendos ſumſi, atque inde
omnes in hac hiatus explevi, & plura, quam *mille*, ne dicam
bis mille, menda ſuſtuli. Tum & LUCRETIUM meum ac SAL-
LUSTIUM cum ſingulis *ms. exemplaribus* contuli. Acceperam
& alios *duos Codices Græcos*, in quorum altero *Excerpta quæ-*
dam, jam edita; quantum memoria quorundam ſuppeditabat,
in STOBÆO lecta: in altero *Epiſtolæ Variæ*, & in his ALCI- 2
PHRONIS, continebantur. Non erat mihi ad manus *editio Al-*
dina Græcarum Epiſtolarum; atque hinc nec conferendo, nec
deſcribendo quicquam inde potui proficere, quod *editas* ab
ineditis forte nequirem diſtinguere. ACHMETIS uni *Codici* ſub-
jecta erat *Vita* CHRISTI *puerilis*, a pſeudepigrapho THOMA 3
conſcripta; in quo multa CHRISTI *pueri dicta* ac *facta mira-*
culoſa referebantur. deſcripſiſſem animi gratia, ſi *codex* fuiſſet
integer. In altero itidem *libellus* erat non totus Περὶ Λίθων, 4
neſcio, an THEOPHRASTI: Auctoris enim nomen non erat ad-
ſcriptum: ſingula ut pro ſolita mea atque accurata diligentia ex-
quirerem, ibi tum non licuit.

Dehinc Excellentiſſimum Dominum *Nicolaum Guilielmum*
BECKERUM, Baronem de WALLHORN, Archiatrorum Augu-
ſti IMPERATORIS Comitem & Conſiliarium adii, Virum ad
omnem humanitatem factum, qui me ſingulari complexus eſt,
ſibique æternum devinxit benevolentia. Huic, plurima ſalute
ab ALMELOVENIO meo dicta, cauſſam itineris mei aperui, &,
quam me illius ſuſcepti non pœniteret, teſtatus ſum, laudata,
uti merebatur, plurimis verbis CÆSAREA *Bibliotheca*. dein
multus nobis de *priſca* & *nova Medicina* ſermo, laudabatque
plurimum, arrige aures Pamphile! conatus Tuos *antiquam*
Hippocraticam, & Aliorum Heroum Veterum, *Medendi ra-*
tionem aſſerentis: Cujus ſibi *Inventa Novantiqua* Auguſtus

CÆSAR

Cæsar legenda commendaverat & tradiderat Ipse. Gaudere ego tunc, & prædicare dilectissimi quondam Discipuli, nunc eorundem Studiorum cultoris & socii, fortunas; cujus Scripta non innotuissent modo Tanto Principi, sed & placuissent, placerentque. ajebat porro, & hanc Sibi caussam fuisse, cur prior Tibi scripsisset, hortatusque esset, ut sic porro pergeres. Verum de hoc mihi Viro præstantissimo post plura dicenda erunt. Pergam igitur ad alia.

Deduxerat me Fors Fortuna ad Diversitorem, *Chemicæ* quondam *Arti*, utpote tum *Pharmacopœo*, addictissimo. Inter cæteros, quos jaciebat, sermones, mentio ab Ipso facta est *Antimonii Solaris Mineralis*, cujus mihi statim specimen elegantissimum, uti & quorundam aliorum *Fossilium*, ostendit. Fateor, nec in ipsis *Cremnicensibus Fodinis*, nec usquam alibi pulcrius ullum me vidisse. indicato, unde hujus compos factus esset, Mercatore, postridie ego ejusdem *selectioris*, *duas*; & paullo *deterioris*, ob admistos lapides, libras tres commercatus sum, ut eo in paranda *medicina* quadam *Chemica* post uterer. Est autem hoc *Antimonium* partim *flavo*, partim *rubro Sulfure* intermixtum aut obductum; nonnullæ etiam particulæ totæ sunt *purissimæ*, & admirabili *colorum varietate*, in Sole, *coruscantes*. agnoscis hic iterum morbum meum, & *Ovidianum* illud repetis:

Navita de ventis, de tauris narrat arator:

fateor; sed sic sumus.

Hinc ad Illustrissimum Principem Lobkovitium me confero, *Chemicæ Artis* Amatorem summum, qui mihi mox, inter alia, narrabat: „ *Ter* Sese, accepto, ab Amico, *Pulvere Aurifico*, præsente Illustrissimo Principe Archiepiscopo *Pragensi*, *Saturnum* in *Solem* mutasse: monstrabatque etiam *Mercurii coagulati ac malleabilis* mediocre frustum: „ tum & artem se tenere, *Mercurium ex Antimonio*, intra horæ, ni fallor, unius aut alterius spatium, educendi. Orto deinde productoque sermone, de *vera Lapidis Philosophici Materia*, „ ex *Aëre* illam peti debere, & a se jam acquisitam, affirmabat. in Cujus tamen sententiam pedibus ire non poteram, quem illa *Salis* ex *aëre* petendi ratio minime fugiebat,

giebat, quique *Philoſophorum* dicta aliter accipienda eſſe, exiſtimabam. Verum, ut in omni ſecta, ita & in *Chemia*, quot capita, tot ſenſus. Audivi poſt & alios ejusdem opinionis aſſertores, docuique eos, quanto ipſi in errore verſarentur, qui ne prima quidem initia *Lapidis* conficiendi noſſent, nec vulgaria illa *Mercurii*, *Spiritus Vini*, *Spiritus Aceti*, *Antimonii*, *Vitrioli*, *Sublimationis*, *Præcipitationis*, *Ignis Lampadum*, & reliqua vocabula intelligerent, quo ut illos errore exſolverem, Syntagmation meum, quod *Manuductionem ad Cælum Chemicum* inſcripſi, raptim a me concinnatum, aliquibus oſtendi prælegique.

Poſtea ad Generoſiſſimum Baronem PRESOSOFIUM me contuli, eique literas *Jacobi* BITTNERI mei reddidi. Fuerat is hac hebdomada Auguſto CÆSARI præſto, Cui a cubiculo eſt. ſunt enim ſua *Nobilibus Cubiculariis* attributa tempora. Et CAESAR
quidem, præter quam alii ſolent Principes, ea gravitate eſt, 7
ut nemini ex his, nedum e minorum gentium Cubiculariis, permiſſum ſit, verbum ullum proloqui, niſi quod aut occurrentium rerum, aut ad interrogata CÆSARIS reſpondendi neceſſitas exprimat. de *rebus Politicis*, aut *pro Aliis*, ne gry qui-
dem. Cum nonnulla de *Opere meo Triduano*, cujus illum BIT- 8
TNERUS certiorem fecerat, collocuti eſſemus, omnis mihi favor, omnisque ad CÆSAREM Proceresque alios, inprimis ad Illuſtriſſimum Principem ARCHIEPISCOPUM *Pragenſem*, e gente WALDSTEINIA ortum, commendatio & promiſſa eſt & præſtita. Nam, cum proxime ſecuto die ad illum *Principem* inviſerem, multa ſum cum humanitate admiſſus exceptusque. Offendi vero in Eo admirabilem totius *Naturæ*, & omnium ferme *Scientiarum* cognitionem, inprimis autem *Chemiæ*, *Reique Metallicæ*. Addam & conjungam hic, quæ tum temporis, & dehinc aliis, ex Illuſtriſſimo PRINCIPE didici audivique. Cum de *Fodinis Hungariæ* facta eſſet mentio, quod eas perluſtrandi deſiderio ardere me dixeram, „ hu-
„ jus, ajebat, Seſe eſſe ſententiæ, *Metalla* cuncta, uti 9
„ cætera *Vegetabilia*, creſcere & decreſcere. Cui ut ad-
„ ſtipulabar, „ exemplum referebat *inſulæ Maris Inferi*,
„ *Hetruriæ* objectæ, *Ilvæ*, de qua & Plinius, XXXIV. 14.
„ unde per *tria annorum millia*, & amplius, plus eſſet

„ *Ferri*

" *Ferri* egeſtum, quam tota Inſula contineret terræ. *Metallur-*
" *gos* autem ita illam *Ferri* renaſcentis reparationem machinari:
" occludere illos effoſſas & exinanitas *Ferri* venas quam dili-
" gentiſſime, ne vel *aer*, vel *aqua* intrare valeat, atque ita
" derelinquere in *annos LX.* vel *LXX.* aliquando & *centum.*
" Tum eorum Poſteros, ſeu Succeſſores, easdem rurſus ape-
" rire, *Metallo*que tum deprehendere repletas. Id autem creſcere
" per *appoſitionem partium.* Exiſtimare vero ſe, ajebat, poſ-
" ſe ita & *Aurum* & *Argentum* in exhauſtis *Fodinis* reſtitui.
Ac veram hanc Illuſtriſſimi PRINCIPIS eſſe conjecturam poſt
ipſe in *Aurifodinis Cremnicenſibus* deprehendi, ubi ipſe, ante
annos admodum *LXX.* vel *LXXX.* exinanitos *Ductus* (ipſi
Gånge vocant) redimpletos vidi, ſubſidente monte, non au-
tem *appoſitione partium*, quod *Aurum* non ita copioſe atque
Ferrum proveniat; nec ob puritatem *Sulfuris*, ſeu, ut Alii
malunt, *Terræ Salis*que ac *Mercurii* provenire poſſit. Rena-
tum autem *Aurum* teſtabantur varæ vibiæque, quibus effoſſi
meatus ſubterranei ſolent ſuſtentari, olim illic ſuffulciendo
operi adhibitæ, paſſim inter ſubſidentem terram exſtantes;
quæ terra novo *Solari Spiritu* animata fuerat, & *Auro* im-
prægnata. Suſtuli ipſe inde luculentum fruſtum, in quo ta-
men *Aurum* non apparet, licet contundendo inde ſoleat colli-
gi. & ut hic naſcens vidi atque creſcens, ita & haud pro-
cul inde decreſcens ac fugiens, de quo poſtea pluribus. Ad-
10 debam ego, quæ ex HELMONTII mei didiciſſem *Paradoxis*
Chemicis, ex *Anglico* in *Latinum* ſermonem a me verſis, ubi:
" *Vitalem Solis calorem verum eſſe, ac per ſe ſubſiſtens Ens*
" *Spirituale*, docet; *ab ejuſque ſemine, velut ab univerſa-*
" *li hujus Univerſi parente, omnia vera tactuique obnoxia*
" *corpora progigni, cum inſertus aquæ cum eadem in unum*
" *corpus coaleſcit.* unde colligebam, quo hæc *Aqua* purior
ſit, eo præſtantius inde corpus gigni. non deficiente igitur in
Aurifodinis puriſſima *Aqua* matre, fieri aliter non poſſe, quin
Aurum regeneretur in humida terra, quæ in illum tractum ſub-
ſedit, quem calor ille *Terreni Solis* pervagatur. quod autem
Aurum illud non adeo ibidem copioſum reperiatur, non niſi
inopiæ iſtius purioris *Aquæ* vitio vertendum, in qua *frigidus*,
ſecundum eundem HELMONTIUM, *Lunaris Spiritus* delite-
ſcit,

ſcit, qui cum *Solari calore Spirituali* conjunctus fœtum corporalem producit. Occurrebant tum & illa, quæ in BASILIO legeram: „ *Mercurium*, ut Ille vocat, *Corporum* (ut Alii, „ *Sulfur*; ſed non vulgare hoc noſtrum:) *Semen eſſe Metal-* „ *lorum, eumque natura calidiſſimum: quare, ſi quando Mer-* „ *curius Corporum in opere aliquo ſit, ſufficientemque cibum* „ *habuerit*, (quæ illa *Aqua* eſt HELMONTII *Lunarem Spiri-* „ *tum* continens, quæ vulgo *Mercurius*, ſed non vulgaris, „ dicitur) *ſex ſemper Mercurios in quovis opere conjunctos* „ *corpus aliquod producere, qualecunque illud e ſex Metallis* „ *ſit, prout in adſcenſu ſeu deſcenſu fuerint. Quoniam vero* „ *Mercuriorum iſtorum numerus eſt ſeptenarius, ex parte* „ *dimidia maſculorum, ex altera femineorum, evenire, ut,* „ *ubi Veneris & Martis ſemina præpolleant, virile Solis cor-* „ *pus producant: contra, ubi illa Saturni & Jovis præva-* „ *leant, femineum Lunæ corpus naſcatur. Mercurium vero* „ διφυῆ *eſſe, & utrique auxiliari. Hoc autem Semen in adſcen-* „ *ſu Argentum in Aurum, in deſcenſu vero in Cuprum, Fer-* „ *rum, Stannum, Plumbum, Mercurium mutare, ac tan-* „ *dem penitus evaneſcere: ſicut in aſcenſu Mercurium* (ſive „ illo *Aquæ Lunaris Spiritu* primi gradus) *in Plumbum,* „ *Stannum, Ferrum, Cuprum, Argentum, ac tandem in* „ *Aurum mutaverat. Hoc porro Semen in informi corpore* „ *latere, accepto vero dein cibo formari præpararique.* Quamvis autem hic ita BASILIUS loquatur, ut in confectionem *Lapidis Philoſophici* digitum intendat, eumque parabolice deſignet, tamen ipſa Naturæ operatio in vulgari Auro non alia eſt, quia ea pro exemplo utitur *Philoſophici*. Ajebat porro Illuſtriſſimus PRINCEPS: „ *Vegetationem* illam *Metallorum* vel „ ex enaſcentibus *Aureis Argenteis*que *virgis, culmis, ſpi-* „ *cis*, & *filis* liquere; quorum varia exempla narrabat, & in- „ primis, de *ramo* arboris, forte in ſilva, ſera jam nocte, a „ ruſtico, defracto, in cujus medulla *fila aurea* conſpicieban- „ tur; deque *racemo, Auro* obducto; *aureis*que vinaceis. Multo autem plura doctiſſimus & optimus BALBINUS *Miſcell. Hiſtor. Bohem. lib.* I. *cap.* XVI. recenſet: imo Auguſtus CÆSAR inſignem in *Gazophylacio*, ad Se *Tokaio* miſſam, *virgam Auream viti circumplicitam* diligenter aſſervari jubet.

Decre-

Decrescere vero eadem *Metalla* & idem BALBINUS *ejusdem libri cap.* XVIII. extremo testatur, auctore usus THEOBALDO in *Arcanis Naturæ*. Cum vero a *Natura* ad *Artem* sermo paullatim deflexisset; „ ejusdem, atque me, sententiæ Se „ esse fatebatur Illustrissimus PRINCEPS, *Lapidem Philosophi-* „ *cum*, *volatilem* esse, non *fixum*; & quod *fixum* eum dicant „ *Philosophi*, aliter capiendum; nimirum, *non posse eum ab* „ *igne corrumpi*, sicut nec vulgaris potest *Mercurius*.
12 Reddidi ego jam alibi rationes, quæ me in hanc sententiam induxerunt. Inde ad *Artes* & *Observationes* alias descensum; quarum *utilissimam*, & quidem merito, judicabat illam, qua
13 „ dignoscere tempus *Margaritarum* in *Conchis* proventus didi- „ cisset: item *signa* certissima, quibus *fœtas Margaritis*, ab „ inanibus posset discernere: illas autem absque ulla læsione Se „ aperire, & eximere *uniones*, tum rursus in fontem *Conchas* „ deponere, alio rursus tempore parturas denuo alias *Marga-* „ *ritas*. esse autem Se possessorem *fontis* istiusmodi, ajebat, „ *margaritiferi*; quales plures fontes, rivi, fluvii sint in *Bo-* „ *johæmia*, inprimis *Watava* & *Isera*. Annitebar hic ego summa ope, ut artem eam expiscarer, aut ut eam mecum communicaret, quo Popularibus meis prodessem; sed frustra, cum grandius Sibi a me secretum prius vellet revelari: didici tamen post paullo aliunde, indicaturus Nostris, cum reversus domum fuero. „ Sic & *Aquam* Sibi *Separatoriam* notam, „ asserebat Illustrissimus PRINCEPS, quæ solum *Aurum* dis- „ solveret; intacto etiam *Antimonio*, aliisve Mineralibus, „ quod, quam per *quartam* solet, vel per *Saturnum*, vel per „ *Aquam Regiam*; purius inde rursus colligeretur. posse etiam „ Se *Regulum Antimonii Stellatum*, sine *Luna*, *amalgamare*,
14 „ ut Nostri *Chemici* vocant, nec incognitum sibi *Particulare*; „ unde multum lucri proveniret. Tandem & de *Commercio* cum *Batavis* instituendo, devehendisque ad hos *Marmoribus* & *Lapidibus preciosis* actum: oblataque mihi perhumaniter totius *Bohemiæ* cum cura suo ductu perlustrandæ facultas, rimandique omnes ejus Naturæ dotes, tum & *Gazam* suam *Mineralium*, aliarumque *Rerum Curiosarum* spectandi, tanta comitate, ut non minus hac caperer, quam oblatorum fruendi desiderio accenderer. Sic semper lætior doctiorque, quam accesseram, sum dimissus.

Alio rursus die Excellentissimum BECKERUM adii, qui mihi, inter alia, rogatum Se a CÆSARE, ajebat, „ ecquid de *Chemico Batavo* inaudisset, qui recens in Urbem advenisset? „ Se, & nosse me, respondisse, & a me salutatum nomine „ ALMELOVENII mei. Ad quæ CÆSAR, ab ARCHIEPISCOPO me *Pragensi*, MAJESTATI Suæ CÆSAREÆ indicatum „ commendatumque. Captata ergo hac occasione exemplar *Fortuitorum* meorum, CÆSAREÆ destinandum *Bibliothecæ*, Illi in manus tradidi, rogavique, ut meis illud verbis Augusto CAESARI donare dignaretur: Tum &, quanto spectandæ CÆSAREÆ *Gazæ*, *Fodinarum*que *Hungaricarum* desiderio tenerer, indicavi: quæ Vir ille Optimus pro sua facilitate curaturum respondit.

Vidi deinde, quod & olim videram, verum tum multo spectatu dignius Prætorium, quod Germanice Neu-Gebau/ ceu diceres *Neoctiston*, appellatur. Erant enim ibi tunc olim temporis *Porticus* omnes *cupreis laminis* tectæ, non secus atque etiam nunc *Turres*: Tum & *Aedificia*, quæ *Turcarum* quondam *Viennam* obsidentium *tentoria* assimilant, plurimis e *candido Marmore Statuis* ornatissima, *Hortus*que ipse cultior multo atque speciosior. At nunc omnia neglecta; & ablatæ ante aliquot annos, jussu IMPERATORIS, istæ *laminæ*, nescio an & *Statuæ*. Nam *Turcæ* sane huic uni loco hoc bello ita pepercerunt, tanquam rei sacræ & perpetuo suæ virtutis monumento. Audierant scilicet ibidem SOLYMANNI *Viennam* A. C. N. cIↃ. IↃ. xxIx. obsidentis *Castra* fuisse, cujus *Tentorium*, cum aliis *Vizirii* & *Bassarum* illud cingentium Tentoriis, Conditor hujus Prætorii fertur repræsentasse. Hinc plurimi ex iis, cum huc accederent, manantibus præ gaudio lacrumis, muros osculo adoravere; visusque locus accommodatissimus asservandis commeatibus: fugato deinde Exercitu *Turcico* multi hic, eorum custodiæ destinati, oppressi cæsique sunt, quorum sanguine infecta etiam nunc Tabulata Peregrinis solent ostentari. Alias hic nihil visu dignum, præter unum alterumque *Leonem*, *Tigridem*, & aliquot diversi generis & proceritatis *Ursos*. Cum neglectus tam elegantis quondam Prætorii caussam rogarem; *displicere* CAESARI, responderunt, quod fundus olim *ecclesiastica* fuisset *Possessio*: Alii, quod a Rebellionis damna-

to

to *Comite* exstructum, *Cæsari*que FERDINANDO donatum esset, cui hic delicti gratiam fecerat.

Interea, dum conferendis *Codicibus* tempora mea impendo, distinguere illa invisendis *Patronis* & *Amicis* non negligebam. In his primas semper tenuit Excellentissimus Dominus BECKERUS, cujus erga me benevolentia, totis *tribus mensibus*, quos *Viennæ* fui, præcipua fuit, & eximia. Retulit igitur Ille mihi responsum a CÆSARE exoptatissimum: „ mandatum iri
„ CÆSAREÆ *Gazæ Custodi*, ut eam ostenderet: item Aliis, ut,
„ in perlustrandis *Hungariæ Fodinis*, nihil mihi deesse pate-
„ rentur, quominus animi mei voluptatem explerem. Tum
„ & *Fortuita* mea Eruditissimo PRINCIPI non displicuisse.
Sed illud inprimis me delectavit, quod multa hactenus mihi ignota, & aliis multis incognita narrabat: in quibus & hoc, quam magnifice, & quam pro majestate *Imperii* CÆSAR *Gallorum* REGI respondisset ad eas literas, quibus, *ut illæ viginti annorum induciæ in perpetuam pacem commutarentur*, postulabat; quibus deinde literis a *Gallis* postea modestius fuisset responsum. Cum & de *Poloniæ* REGE JOHANNE incidisset mentio, quod post liberatam *Viennam* nihil egisset dignum priore nominis fama, & illa exspectatione, quam per universum Terrarum orbem commoverat, caussa utrique eadem visa est; verum quæ multis admirationem exprimeret, qui rationem exputare nequibant, cur immortalem jam partam gloriam desereret; &, cum CÆSARIS amicitiam partesque amplexo cer-
15 tissima, non jam spes *Regni stabiliendi*, *Familiæ*que *Regiæ*, sed res adesset; eam cum incerta spe obtinendæ Filio, per pecuniam *Gallicam*, *in Regno Poloniæ*, *successionis* permutaret;
16 cum non unum, sed plura *Regna* Filiis Suis, expugnatis ejectisque, ex *Europa*, *Turcis*, adnitente CÆSARE, parare potuisset, una cum INVICTI ET MAGNI REGIS titulo, in omnem Posteritatem, cum Virtutis admiratione, duraturo. Sed his omissis, quæ, licet quibusdam alta mente reposta sint, odiosa sunt, gratiora referamus; & in his ipsius BECKERI auribus ex ore REGIS, mox ab illa ad *Viennam* pugna, his ipsis verbis *Latinis* excepta: *Nunquam vidi in mea vita melius pugnantem Peditatum.* Erat enim Ipse in equo, cum Suis *dextrum cornu* obtinens, & *Cæsareis Cataphractis* suffultus. neque satis

tis mirari poterat, quo animo, qua virtute, qua constantia, qua peritia militari, *Pedites* & aggressi essent *Turcas* & fudissent. Postea vero, cum in *Hungaria* ad *Barcanum*, temeritate abreptus gentili, non exspectato *Cæsareano Equitatu Cataphracto*, neglectis *Ducis* LOTHARINGI monitis, cum *Polonis* Suis *Equitibus* in *Hostem* invectus, ita ab *Turcis* exceptus fuisset, ut, *Polonorum duobus millibus* cum Comite DENHOFIO desideratis, ita Ipse cum Filio premeretur, ut DUNEWALDUS ad LOTHARINGUM *Ducem* accurrens, festinato opus esse, clamaret, cæsos *Polonos*, REGEM cum *Filio*, ubi essent, ignorari: liberatus tandem prudentioris *Ducis* virtute, his ad Suos verbis usus est ipsis: *Dixi ego ad Viennam, me nunquam melius pugnantem vidisse Peditatum; sed nunc etiam dicere possum, me nunquam melius fortiusque pugnantem vidisse Equitatum.* Memorabat & idem Excellentissimus BECKERUS, nihil illa specie potuisse excogitari pulcrius, quam *sexaginta* ille *quinque millium Exercitus* de monte descendens præbebat, armis orientis Solis repercussu clarissime fulgentibus: eaque ita perturbatum fuisse *magnum Vizirium*, qui, cum adhuc in *Tentorio* de descensu *Christianorum* moneretur, per contemtum eos *colluviem quandam reliquiarum* appellabat; ut egressus *Tentorio*, Hosteque conspecto: *Omnes ego cæsos credo revixisse Christianos, & cum vivis sese adunasse, ut nos oppugnatum eant;* ad Suos, qui hæc ita retulerunt, exclamaret: Neque Illi post illa vacuum fuit, in *Tentorium* suum reverti; REGIque hoc *Polonorum* parta victoria prædæ fuit: Captos autem *Turcas* lacrumas tenere non potuisse, cum viderent, quam parum a capienda Urbe abfuissent; fassosque esse, Divino CÆSAREM adjutum auxilio, quod sibi manifeste in obsidione obstitisset. Finito colloquio, discedenti famulus additus, qui me ad DOORSTIUM, *Gazæ* CÆSAREÆ *Custodem*, deduceret, CÆSARISque voluntatem ei indicaret. Sed jam CÆSAR Ipse, uti Princeps est natura benignissimus, DOORSTIO præceperat, ut mihi omnem Suam CÆSARIS *Gazam* ostenderet. Ita enim mihi DOORSTIUS, statim, ubi me vidit, retulit; cum me, an ego is essem *Chemicus Batavus*, interrogasset, de quo CÆSARIS mandata accepisset. Constituta est huic perlustrandæ *Martis* proximi post meridiem hora *tertia*.

At

At pridie ejus diei rurſus ad Illuſtriſſimum ARCHIEPISCO-
PUM *Pragenſem* adii , qui me nunquam , niſi doctiorem , di-
miſit. Sermo forte de *duriſſimis Lapidibus* & *Saxis perforan-
dis perrumpendis*que ortus erat. Hic Illuſtriſſimus PRINCEPS
“ accidiſſe Sibi duo , ajebat , notatu mihi digna viſa. Cum
“ enim in *Fodina* quadam tam *durum* occurreret *ſaxum* , quod
“ omnem , etiam præſtantiſſimi , *Chalybis* vim reſpueret, nec
“ ulla ratione , vel minima ex parte , penetrari poſſet , inve-
17 “ niſſe Se viam, & *ardens lardum* petræ affixiſſe , quo emolli-
“ ta ferro tandem ceſſerit. Tum & obſervaſſe Se , ac reapſe
“ oſtendiſſe rationem , in jam abruptis pulvere pyrio ſaxis gran-
“ dioribus , qua pauculis ictibus tota maſſa in minuta fruſta
“ abiret. quanquam tamen eam non doceret , facile collegi ,
centrum in ſaxo obſervatum repetitum ictibus , quo vi diſſolu-
to tota neceſſario illius compago corrueret. ſed & multa alia
multo nobiliora audiebam. Aſſerebat enim , “ daturum Se *Per-*
“ *petuum Mobile* , ſi quis Sibi materiam ſuppeditare poſſet ,
18 “ quam uſus tempusque non detererent. *Horologia* vero Se
“ confeciſſe , quæ *annum integrum* , & uno tenore tempus ,
“ absque ulla in errorem declinatione , indicarent , perſtanti-
“ bus machinulis , nec deficiente tympano ; verum contra ea ro-
“ tulis ſemet ipſis ſemper circumagentibus , ejecto in deſcenſu
“ in altum pondere , quod aſcenſui promovendo ſufficeret.

Tandem exſpectata dies aderat , introductusque ſum in *Porticum* , in qua precioſiſſima illa *Gaza* adſervabatur. De *Dreſdenſi* nihil volui dicere, quod me illi enarrandæ ſuffecturum non putavi : jam vero iterum tacendum erit , ſi meam ingenii infirmitatem voluero conſulere. neque tamen tacere amplius poſſum. Quid faciam ? deteramne ejus magnitudinem , quam explicare verbis pro merito non poſſum ? hoc potius , quam ut nihil Tibi ea de re ſcribam. Illa namque ſua ſe magnitudine tutabitur. Erat in ea , ut , quod verum eſt , dicam , tanta vis *Auri* & *Argenti facti* & *elaborati* , ut percellerer ſtupenda ejus copia ; tanta vero *Artis* excellentia , ut ipſius *Auri* precium longiſſime ſuperaret. *Gemmarum* vero *rudium* & *politarum* ea multitudo , ut earum ſplendore perſtricti oculi hebeſcerent. Vidi hic celebrem illam RUDOLFI II. *Coronam Bohemicam* : vidi *Hungaricam* BOTZKAJI : vidi & IMPERATORIAM cum

 Sce-

Sceptro, cujus *baculum* ex *Unicornu*, & *Pomo*, quod vocant: in his tantus est numerus *Adamantum* & *Unionum*, tantaque quorundam magnitudo, ut instar miraculi sit, ad eorum conspectum non obstupescere. quid ego de admirabilibus illis dicam *Unionibus*, qui in RUDOLFINA *Corona* sunt? quid de *Margaritis* cæteris, quas illic admirabundus conspexi? quid de *Ensibus*, *Acinacibus*, & inprimis illo inclusis insignitissimo; aliisque *Armis*, preciosissimis tota vagina lapillis, exornatis? nam *Aurum* mihi jam vile, & in his ne commemorandum quidem. Ut verbo dicam, INÆSTIMABILIS THESAURUS est, cujus recordatione etiam nunc perturbor. Vidi vero & TOECKOLII ibidem preciosissimum *Acinacem*, cum omni *Militari instrumento*, Ei hoc bello ereptum: &, qui, ob Virtutis admirationem, instar preciosissimi cimelii, asservatur, GUSTAVI ADOLFI *Thoracem*, ex *Alcis corio*, in quo vitam Victor exhalavit. Quid de *Patina* dicam, cujus LAMBECIUS effigiem 19
dedit? Quid de *Gemma* a RUBENIO exposita? Quid de *Vasis* 20
integris ex unico lapide precioso exsculptis, aut elaboratis? Quid de *Venere* illa cum *Filio* & *Urna* ex *uno Achate*? Fieri nequit, ut quis, in tanta copia, omnia retineat, quæ semel tantum viderit. Memorabo igitur ea tantum, quæ succurrunt recordationi. *Fossilia* illic mihi ostensa *Auri* aliquot, partim *totum saxum pervagantis*, partim *obryzi* & *puri frusta* perquam eximia; ut & *Argenti*, quod, eleganti Naturæ lusu, in *ramorum frondiumque* speciem excreverat. Sed nihil me magis cepit, quam illa *Virga*, cujus jam memini, *Aurea*, quæ *Tokaji* inter *Vineas* excrevisse fertur, atque inde CÆSARI dono missa est, extremitatibus instar *clavicularum*, quibus se involverat, inflexis. Vidi & *Aurum arte factum*; idque duplex. Nummus alter est *Aureus*, cujus nobis imagininem BECHERUS 21
dedit, *Pragæ* a quodam *Chemico* injecta *Tinctura*, *Argento* in *Aurum* mutato: Altera est *Lamina grandis* & *crassa*, figura rotunda, in qua omnium *Domus Austriacæ* IMPERATORUM expressæ imagines. Hanc ex *Metallo Factitio* fusam *Wenceslaus* REINERSBERG, Monachus *Augustinianus*, in *Aurum* mutavit, præsente Augusto LEOPOLDO; cujus rei argumentum, omnem incredulitatem refutans & convincens, pars *Laminæ* est, adhuc intacta a *Tinctura*, & qualis tota prior fuit, reliqua

qua *Aurea*, quam *Tinctura* pervaſit. Neque hic illa fraus animadverti poteſt, quæ in *Clavo Gazæ* Mediceæ, *Ferruminationis*; quia prius tota cum *imaginibus* Augustorum fuſa fuit, quam tingeretur: tum & utrimque particula quædam *lima* exemta eſt, ut de veritate ſinceritateque utriuſque *Metalli* conſtaret.

Poſſem de hoc Wenceslao totas paginas implere: qui absque ullo dubio poſſeſſor *Tincturæ* fuit, a *Priore Ordinis ſui* acceptæ, ad quem a Comite Schlickio, *Pragæ* mortuo, devenerat. Duo tamen a Viris bonæ fidei accepta referam. Erat ei *Pila*, *Magica*, ut ipſi putabant, *Arte* adornata, quæ ſtatim, ubicunque *Aurum Argentum*ve eſſet occultatum, indicaret: Cæsarem igitur; Sit penes Auctores fides! experiri voluiſſe,
22 & apud *Favoritas*, in *Horto* Suo, per unum e Suis, *Arbori* inſeri *Aureum* curaſſe *Nummum*; deinde arceſſito Wenceslao, deque ea *Pila*, de qua inaudiſſe ſe dixerat, interrogato, mandaſſe, ut auditæ rei daret experimentum. Illum con-
23 tinuo depoſuiſſe *Pilam*, eamque ſuapte ad *Arborem*, cui concreditus *Nummus* fuerat, perrexiſſe. Audi & aliam fabulam: Invitaverat quosdam ex Aulicis, una cum Feminei Sexus, qui hic Primam Parentem æmulatur, præcipuis. His ut rem gratam, ſimul & ſe magnificum faceret, *Arcam* in Cubiculo aperuit, multo *Auri Gemmarum*que theſauro divitem. Forte Nobilis quidam Vir primarius, ſive tentandi gratia, ſive alia de cauſſa, monile, vel quid aliud, inde ſuſtulit. Cum jam aſſediſſent, ecce in Cubiculo ingens oriri ſtrepitus, ipſe Wenceslaus æſtuare, ingredi in Cubiculum, redire, rurſus aſſidere. Sed augebatur eo magis ille ſtrepitus, multoque etiam magis noſtri Wenceslai æſtus accreſcebat: ita ut coactus tandem, gravioris mali metu, ad convivas accederet, rogans & obſecrans, quandoquidem iſtius omnes conditionis eſſent, ut nulla in quemquam furti ſuſpicio poſſet cadere, redderent, quod tentandi gratia ex *Arca* ſuſtuliſſent. Hiſce motus ille Nobilis, profeſſus, experiundæ veritatis gratia id a ſe factum, *verum*ne an *fictum* id *Aurum* eſſet, monile reddidit. ſic parta quies, & hilare peractum convivium. Bonus tamen ille Wenceslaus xx. *millibus Florenorum Rhenanorum* conſtitit Cæsari, & Principi cuidam *Moravio* mul-

to

to pluribus. *Adamas* vero ejus, quem eximiæ & notabilis habebat magnitudinis, post obitum ejus, falsus esse deprehensus est, munitis statim reculis ejus CÆSAREO *Sigillo*. Sic Impostor ille, qui *Cœnobium* suum vanæ gloriæ gratia deseruerat, deceptis pluribus ad plures abiit: qui cum ipse *Tincturam* in *Plumbum Mercurium*ve projiceret, *verissimum* & *purissimum* e catillo effundebatur *Aurum*; cum Alii dedisset, nihil minus. 24

Redeo post hunc excursum in viam, & ad *Gazam* CÆSAREAM. Ostensa illic mihi spectatu dignissima *Matrix Smaragdorum* cum nascentibus *Gemmis*, aliaque id genus plurima. nullus enim *Preciosus Lapis* hic desiderabatur. quin &, quæ me delectabant mirifice, veteres istic *Gemmæ* erant magna copia, tam cum *insculptis*, quam cum *exstantibus* omnis generis *imaginibus*, Deorum, Dearumque, Heroum, Heroidum, Cæsarum, Augustarum, Symbolorum & similium. Erant etiam illic capsulæ plures omnis generis *Lapillis* instructæ repletæque. item *Lapides Bezoar* incredibili magnitudine: tum *Rhinocerotis Cornua*; elaborataque, ex *Ebore*, *Crystallo*, *Rhinocerotis Cornibus*, innumera *Vasa* artis admirandæ. Sicuti jam sæpius dixi, omnia referri nequeunt. paucula tantum dicuntur, dicenturque. passim *Armaria*, quibus hæc recondebantur, *selectissimis* vestita erant *picturis*. *Horologia preciosa* ne nominare quidem velim, uti nec Capsulas minoribus *Gemmis* & *Cimeliis* refertas. Si cui ludere animus erat, parati erant *Ludi Calculorum* ex *Auro*, materiaque preciosissima: tum vero defesso, sed CÆSARI *Solium* paratum adstabat ex *Ambra flava*, sive *Succino*, donum Serenissimi ELECTORIS *Brandeburgici*. Imo, ne solis oculis voluptas quæsita videretur, ex *Ambra Grisea* MATTHIAS *Imperator* in *equo*: atque hinc conjecturam facere licet, an & in *Armariis* defuerit *Ambra*; quæ quod *Unicornua* non caperent, suus illic locus assignatus erat *Ambræ*. vis plura? *Vasa Crystallina* illic vidi, *arte* & *materia* admiranda, *Auro* & *Gemmis* undique exornata, ac si sua ipsis amœnissima perspicuitas non sufficeret. Hæc & talia innumera considerantem cogitatio illa subiit, quanti animi quondam SOCRATES fuerit, qui, in mercatu *Græciæ* publico celeberrimo res preciosissimas spectans, *quod his carere posset æquo animo*, sibi gratulabatur. Fateor, hic me SOCRATE fuisse pauxillulo inferiorem.

„ſeriorem. Acri enim cupidine tactus ſum, *Veteres* illas *Gemmas* in *cera* exprimendi: ſi quid inde forte commodi in *Remp.* redundaret *Literariam.* Sed *Præfectus Gazæ* paullo moroſior ne intuitum quidem accuratum permittebat, veritus forte, quod Cæsar eam imperaſſet, me nihil ſibi pro opera hac donaturum. Ita nihil hic ſperare licet, absque certa ſpe præmii ſeu doni, quæ Suada eſt ubique præſtantiſſima. Ergo, *quidvis nummis præſentibus opta;* & fiet: contra, *ſi nihil attuleris, ibis Homere foras.* quare, cum diſceſſurus munuſculum darem, hilarius dimiſſus ſum, quam receptus.

Proximo deinde Solis die accidit mihi quiddam omnino ſingulare & inexſpectatum. neſciebam enim, ſeu potius, ut ſum ſtupidior & *Batavus*, animum non advertebam, me in proximo *Italiæ*, & *Italis* moribus jam aſſueta Urbe verſari. Intererat Imperator *proceſſioni*, ut vocant, ſive pompæ ſacræ, & *Precibus* XL. *horarum*, ad impetrandum Cœli favorem adverſus *Turcas* inſtitutis: quia vero Cœlum erat pluvium, curru vehebatur. ſic a me necdum viſus cupidinem propius in Templo contuendi ſui excitabat. Hic autem ab affluente turba interclusus, dum occaſionem luculentiorem exſpecto, *Puellam* e regione, medioque Templo conſpicor, forma, mi Theodore, & vultu adeo modeſto, adeo venuſto, ut nihil ſupra. Quemadmodum vero, uti noſti, formarum elegans ſpectator ſum, oculis eam paullo, quam fieri ſolet, contentioribus conſiderare cœpi. Ætas erat annorum circiter *ſeptendecim;* unde *Virginem* conjeci, majoreque, quod jam id viduo mihi licitum putabam, in ea intuenda, libertate uſus ſum. nec illa, cum animadvertiſſet, ægre ferre viſa eſt. Ergo *Mars videt hanc, viſamque cupit.* Mutua fit illa, qualis a Musæo deſcribitur *Herus* & *Leandri*, conjectus oculorum viciſſitudo. Tandem, neſcio quo, bono meo fato certe, vultum ab illo amoris illice vultu ad veſtes dejicio: & ecce, totæ *Adamantibus* & *Unionibus* collucebant, quorum ſplendore illuſtrata excitataque ratio in locum ſucceſſit inconſultæ cupidinis, meque, ut digrederer, impulit. quid fit? explorato Diverſorio, ubi plerumque prandere ſolebam, altero abhinc die, quidam honeſte veſtitus paullo me antevorterat, prandensque exſpectabat. cum vero ne verbum quidem ego proloquerer, homo meus prior lingua uti cœ-

P pit,

pit, *Batavicæ* proxima, *ſeque Dominum quærere*, ait; (& ego quærebam tum forte famulum:) *multum ſeſe in Medicina profeciſſe, & Gradum brevi ſperare, ſed deeſſe opes & ſubſidia.* ex his ego Exploratorem eſſe, ſubolfaciens, quos jam plures mihi ſubmiſſos noram, ut ab inſtituto eum ſermone joco aliquo averterem; *deeſſe tali Juveni* (neque enim illaudata corporis ſpecie erat:) *Fortunam non poſſe*, reſpondeo, *præſertim* Viennæ, *ubi hæc merx in deliciis.* Ille contra, *periculoſæ plenum opus aleæ*, dictitare; *incedi per ignes ſuppoſitos cineri doloſo; & ut uni hoc conſilium proſpere cedat, plures Maritorum inſidias non effugere, neque ſe cuiquam iſtiuſmodi conſilii auctorem eſſe velle.* Ex hoc tam ſerio ſeveroque vultu prolato reſponſo facile id, quod res erat, conjiciens, proximo ſcilicet Solis die animadverſam meam illam fuiſſe ab Aliis Puellæ iſtius formoſæ attentiorem conſiderationem, aperte ago; narro, *quod viduus eſſem, me non omnino ab alterius conjugii cogitatione alienum eſſe; ideoque nonnullas, quæ mihi impenſe placeant, cum cura adſpectare. ſic & pauculis ante diebus Virginem a me in Templo conſpectam, forma honeſta ac liberali: ſed, quod altioris eam eſſe conditionis e veſtitu poſtea collegiſſem, receſſiſſe, amorique forſan intraturo aditum præcluſiſſe.* Hic ille ſtatim; *non Virginem eam, ſed uxorem eam eſſe Magnatis primi ordinis;* ſubjicit, quem & nominabat: *hunc, quamvis juvenem, quod nihil poſſet, inſigni laborare zelotypia, accurateque cuncta circumſpicere, omneſque homines ſuſpectos habere.* Rogo hic ego hominem, *unde eandem eſſe ſciret, quam ego vidiſſem:* ibi tum ille ſtatim locum, tempus, & alia omnia indicat. Conſultum igitur duxi, præcidere omnes malæ ſuſpicionis anſas, cum ab ipſo facto liber eſſem; eaſque addidi rationes, cur nihil tale a me eſſet metuendum, ut contentiſſimus inde videretur diſcedere. nec poſthac ille unquam, quod ſciam, a me viſus eſt; neque ego bellulam illam videre deſideravi. Sed hoc nec *Gallus* credat, nec *Italus*, ſibique tale quid accidiſſe malit, quam mihi: totum ego illis concedam argumentum, caveboque mihi in poſterum, & hic, & multo magis in *Italia.*

Spectaculum mox aliud mihi oblatum, ſed minus periculoſum. *Moſcovitarum* Legati, quos aliquot ante diebus ad *Con-*

ſilium

filium CÆSAREUM in *Palatium* venientes videram, valedicturi, solenni cum pompa, a *cerimoniis* hisce *Præfecto* ad Augustum IMPERATOREM, & inde ad AUGUSTAM deducebantur. Miles in armis aream totam occupaverat, tympanaque bombis aera continuis percellebant. Nobilitas omnis & ingens Spectatorum multitudo confluxerat. Primum igitur honoratior Familia, quæ numerosissima *quatuor Legatorum* erat, quorum duo *Principes* erant, & duo *Bojari*, in curribus sejugis adventabant, & post longissimam moram ipsi *Legati*, cum primi *Principis* Filio: quos ego cum Familia proxime subsecutus, dum ad CÆSAREM intrant, vidi ritum omnem; at, præ strepitu confluentium, verba intelligere non potui. Salutato igitur, more Gentis, CÆSARE, *Legationis* Caput sive *Princeps* verba fecit; quibus ubi responsum, ad *osculum* omnes CÆSAREÆ *manus* admissi sunt; eratque ea res mihi, nedum CÆSARI, molesta; tantus eorum erat numerus. Affecit ea res animum meum, & dolui, hunc honorem adeo vulgari, ita ut me cupido deinceps defecerit, eundem appetendi, qui mihi cum tam impuris magna ex parte hominibus, quibuscum, qua sum arrogantia ac superbia, comparari dedignarer, communis esset. Hinc ad AUGUSTAM itum, cui munera oblata *Pelles Murinæ* ac *Ferinæ*, *Serica*que *auro intertexta*. Hic iterum idem *osculi* fastidium. Cum discederent, ut iis eram proximus, *Legationis Princeps*, Vir gravis & senex, per Interpretem *Latine* utrique AUGUSTORUM *Curopalatæ*, *Principi* primum DITRICHSTEINIO, dein *Comiti* WALDSTEINIO, gratias egit pro omnibus *Sibi* & *Legationi* præstitis officiis, *Sua* rursus & *Collegarum* ubicunque offerens: tum & SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATI, Ipsisque longam felicemque vitam apprecatus; *sperare Se*, ajebat, *pluries se Illos visurum;* rogat atque, *ut apud* SACRAM CÆSAREAM MAJESTATEM *Sibi jam profectis & absentibus; tum maxime* MAGNIS DUCIBUS Moscoviæ, *Dominis suis, eadem porro præstare, quæ præstitissent, officia dignarentur, Suique, & optimorum Amicorum, memoriam colere: Contra, Se nulla in parte huic inito Fœderi & Amicitiæ defuturos.* Responsum ab his; *nihil a Se præstitum, nisi quod officii ratio exegisset; optasse, majore aliquo potuisse ipsos* Legatos *officio meritove devincire: pergratum tamen*

men Sibi accidere , quod , qualecunque illud præstitissent , in bonam partem Legati *accepissent : quod ad Fœdus initum, omni Se sua opera , quantum in Ipsis esset , apud* CÆSAREM *adnisuros , ut id sartum tectum sit , Amicitiaque inter Utrosque* PRINCIPES *sarta tecta conservetur. tandem apprecari Se Dominus* Legatis *felix & faustum iter , utque salvi salvos Suos* PRINCIPES *domi offendant , ex animo vovere.* Ita discessum. Hic mihi splendidum , non *Legatorum* , nam is modestus erat, sed Filii adolescentis , *viginti* circiter *annorum* , vestitum curiosius contemplandi facultas fuit. Tunica erat ex veste *argento* intertexta , quæ nodis , e consertis *margaritis* , constringebatur. *Torques aureus* , & *Pileus* refulgens *Adamantibus* , *Amethystis* , *Rubinis* ac *Unionibus* , paucorum aliorum magnifico cultui admirationem auferebat. *Pallium coccineum*, exornatis *Gemmarum* splendore *aureis fibulis* constrictum , sinistro humero dependebat. Vultus ipse animi suæ dignitatis conscii luculentus index, nunc huc, nunc illuc flexus, omnium rursus oculos in se convertebat. Sed & *Pater Ejus* ab illa Sui ostentatione non alienus; cujus, quod cæteris *Legatis* dignitate antistabat , elatior & acrior vultus , vestisque splendidior , ac superbior ingressus , ipsam dignitatis Principalis magnitudinem præ se ferebant. Domum reversis præbita CÆSARIS impensis eo die *Prandium* & *Cœna Valedictoria ;* reliquis vero diebus vivendum Illis erat suis sibi sumtibus , quos alias hactenus CÆSAR toleraverat. Vidi & *Munera* , quæ CÆSAR illis pro more dedit. & *Principi* quidem illi *Legato* data *grandis Aquila argentea* , cujus *pectori* insertum *Horologium* , undique *Gemmis* refulgens *Bohemicis ;* tum *grande Malluvium ex argento exstantibus signis* , cum *instrumento Culinario* , aliisque nonnullis *Vasis* , & *Poculis* , ex *argento* , quorum quædam erant *inaurata* : *Secundo* eadem, nisi quod *Aquila* deerat: *Tertio Quarto*que eadem *Vasa* ferme , sed minora : *Filio Principis* , præter aliquot *Vascula* , & *Pocula* duo ex *argento*, donati *Equi* artis haud contemnendæ : sic & *Interpreti* , & *Secretario* , ac Præcipuis ex *Familia* sua tributa *munuscula* ; illis *Patinæ* & *Pocula* , his autem singulis singulæ *Obbæ* & *Cyathi* majores , ex parte deaurati.

Sed jam tempus equis fumantia solvere colla. Ergo paucu-

la

la tantum addam, ne tam ex abrupto in *Hungariam* discedam. Comes Waldsteinius, cujus paullo ante memini, Augustæ *Curopalata*, Frater Illustrissimi Archiepiscopi *Pragensis*, uti forte Colloquio nostro intervenerat, ita mihi tum primum cognito omnem benevolentiam exhibuerat, officiaque, quæ præstare posset, obtulerat. Usus ego eo favore literas petii in *Hungariam* ad *Cameræ Comitem* commendatitias, quas & perbenigne statim promisit, & aliquot post diebus dedit. Ad hæc & Reverendus ac doctissimus Pater Wolfius, de quo supra dixi; Perillustri *Comiti* Rosembergio, *Cameræ* Cæsareæ *Præsidi* accuratissime me commendaverat, atque item perquam Reverendus Doctor Spenerus, cujus a me antea item laudata est humanitas. Cum ergo *Comitem* illum, Virum ingenio, prudentia, comitate, plurimos Sui ordinis ac dignitatis longo intervallo præeuntem, adiissem, ipsius quoque ad *Camergravium* commendatitias petiturus: *Ecquonam modo factum, aut quomodo capiam*, inquit composito in hilaritatem vultu, *diversæ Te religionis hominem a Duobus inter se quoque diversæ sectæ Theologis commendari?* Cum utriusque rei casum caussasque exposuissem, plurima me humanitate prosecutus est, suaque, altero tertiove ab hoc die, manu scriptas Commendatitias tradidit, omnique deinceps favore fovit atque tutatus est. His literis instructus, convasatis, & apud Perillustrem Dankelmannum, Serenissimi Electoris *Brandeburgici* Legatum *Viennæ* Residentem depositis rebus meis, iter in *Hungariam* cras ingrediar, postquam cunctis, quibus id officii debetur, amicum *Vale* dixero; quod & Tibi nunc dicam, ne Te præter Alios neglectum putes: Vale igitur Suavissime Almeloveni & Tollium Tuum amare perge! dabam *Viennæ Austriorum*, A. D. pridie *Idus Majas*, anni a N. C. cIↃ. IↃc. lxxxvII.

HENR. CHR. HENNINI

Annotationes & Obſervationes ad Epiſtolam IIII.

1. ACHMETIS *Onirocriticων.*] Id opus nunc exſtat apud TOLLII ex Fratre Filios, forſan aliquando edendum: apud eosdem & SALLUSTIUS ex GRUTERI recenſione, cum *mss.* collatus & a TOLLIO paſſim emendatus exſtat. de LUCRETIO Vide ad *Epiſt. III. num.* 1.

2. ALCIPHRONIS.] Hujus Magneſii Philoſophi *Epiſtolæ Amatoriæ, Piſcatoriæ, Ruſticæ* in editione *Aldina Epiſtolarum Græcarum*, quamvis poſtremas titulus non promittat, habentur: at *Paraſiticas* nondum editas alicubi in *Italia* exſtare, invenit, in *Bibliotheca Corn.* GESNERUS *h. v.*

3. THOMA.] Certe THOMÆ Apoſtoli *Euangelium* ψευδεπίγραφον circumferri jam olim notavit NICEPHORUS *Hiſt. Eccl.* II. 12. de hoc THOMÆ ISRAELITÆ, ſic enim vocatur in ms. illo. Vide LAMBEC. *Comm. de B. Vind. lib.* VII. *p.* 270. 271. ubi ex LABBEO notat ſimile ms. in Regia Bibl. *Pariſiis* exſtare. Vid. *Tentzelii* Mon. Unterred. 1697. *p.* 539. *& ſeqq.*

4. Περὶ Λίθων.] THEOPHRASTI opus, exſtat in ejus Operibus a *Joh.* OPORINO excuſis *Baſil.* 1541. cum doctiſſima *Joach.* CAMERARII præfatione. at verſu idem argumentum perſecutus eſt ORPHEUS, ſive vero, ſive adſcito nomine; quod opus primus edidit ALDUS *Venet.* 1517. Sed antequam *Bibliothecam* relinquamus CÆSAREAM, luſtrabimus geminam ejus inſcriptionem. prior eſt hæc; qua *Hugo* BLOTIUS *Januam Bibliothecæ* ſic loquentem facit:

Clauſa malis, ſed aperta bonis, ego Janua, donec,
Quid Te velim, ſcias, rogo;
Siſte pedem; quisquis tanto Tu dignus honore es,
Ut CÆSARIS *Librariam*
Ingrediare Domum; dignum Te judico multa
Fide: ergo greſſum promove,
Atque ex CÆSAREIS *cape delectamina libris!*
Sed heus relinque ſervulos
A tergo! veniamque mihi da tale petenti.
Invita, at experta, id peto,
Quod peto. Literulis Tu paſcas lumina, quisquis
Es dignus Domo CÆSARIS!

Servis

Servis mens brevis est; sunt pallia longa, manusque
Longa malis, breves bonis.
Sic ego non servis, Dominis sed servio doctis;
Sed Doctis, qui simul boni.
Sic Domini secura mei, sic servio Famæ,
Ne ipsum petat Calumnia.
Serve mane! Domine ingredere, & quod CÆSARIS *est, id*
Memento sanctum CÆSARI.

Dixi Interpres BLOTII.

Altera Recentior ita sonat:

Quod Bonum, Felix & Faustum sit! BIBLIOTHECAM CÆSAREAM VINDOBONENSEM a Gloriosissimo ROMANORUM IMPERATORE MAXIMILIANO I. partim quidem ex Majorum Suorum Libraria supellectile; partim vero ex pecunia sua & sacro fisco, circa annum Æræ CHRISTIANÆ cIↃ. CCCC. XCV. fundatam: Deinde autem non tantum subsequentium IMPERATORUM diligentia & impensis; verum etiam magna parte librorum Serenissimi REGIS *Hungariæ* MATTHIÆ CORVINI; nec non Clarissimorum Virorum *Conradi* CELTIS, *Johannis* CUSPINIANI, *Johannis* FABRI, *Episcopi Vindobonensis; Johannis* DERNSCHAMII, *Wolfgangi* LAZII, *Johannis* SAMBUCI, *Augerii* BUSBEQUII, *Richardi* STREINNII, *Hugonis* BLOTII, *Tychonis* BRAHE, *Sebastiani* TENGNAGELII, & *Philippi Everardi* FUGGERI, præstantissimis *Bibliothecis*, aliisque variis maximi precii accessoribus adeo locupletatam, ut nunc minimum *octoginta millibus* selectissimorum, tam *manuscriptorum*, quam *impressorum voluminum*, in omnium *Facultatum, Scientiarum* & *Artium* genere constans, nulli totius Terrarum Orbis *Bibliothecæ*, vel *numero*, vel *præstantia Librorum*, & *varietate Linguarum* cedat. Sacratissimus ROMANORUM IMPERATOR ac DOMINUS Noster, LEOPOLDUS I. Divi FERDINANDI III. *Filius*, CÆSAR AUGUSTUS, ne prius situ ac squalore interiret, quam in novum ac commodius ædificium transferretur, Ipse proprio motu curavit repurgari, instaurari, & in eum statum restitui, ut & DEO OPT. MAX. & Ævo nostro, & Posteritati, omnimoda & prorsus incredibili utilitate, possit inservire. Anno Æræ CHRISTIANÆ cIↃ. IↃC. LXIII.

Exhi-

Exhibeo has Inſcriptiones ex fide *Ottonis* AICHERI, *Benedictini*, *Hiſtoriar. & Phil. Moral. in Acad. Salisburg. Prof. Ord.* qui eas publicavit in *Horto Inſcription.* edito *Salisb.* 1676. *p. m.* 147. *& ſeqq.* Addo, ante non multos annos, eidem CÆSAREÆ BIBLIOTHECÆ acceſſiſſe quoque lectiſſimam *Bibliothecam* illuſtris *Petri* LAMBECII.

5. *Ex Aëre illam peti debere.*] Monſtra ſæpe opinionum fovent hujus Artis Aurificæ Candidati. Memini, HELBIGIUM, notiſſimum inter *Alchemiſtas* Virum, *Amſtelædami*, olim OMPHALIUM, Medicum nobis amicum, at magna, Artis illius potiundæ cauſſa, veri auri jactura nobilem, cui tum aderam, & quidem dedita opera invitatus, HELBIGIUM inquam, profeſſum, *ex corpore humano materiam lapidis petendam*: cum ipſe mox regererem, hanc illi ſententiam ex *Joh.* RISTII *Colloquio menſtruo Martii* 1664 *p.* 242. & *p.* 252. hauſtam, Germanice edito, quo *triadem Nobiliſſimarum Stultitiarum* depingit, illum erubuiſſe; ne tamen, nihil dixiſſe videretur, jactabat, ſe ex *hominis vivi umbilico Mercurium* poſſe extrahere, citato teſte OMPHALIO oculato, qui tamen negabat mihi privatim poſtea, ſe quicquam hujus rei vidiſſe. adeo libenter volumus decipi! adeo indulgemus vanis conjecturis?

6. *Salis* ex *aëre.*] Neſcio, quid hic velit Noſter TOLLIUS. Oedipo opus eſt *Chemico.* *Salem* aëri innatare, eum exinde multis in locis hoc ſalino effluvio impraegnatis colligi poſſe, ſcimus. at hic ſal quid ad *Aurificium*? *Sal* itaque myſticus erit profanis ignotus. *Mercurium ex aëre* dicitur *Stephanus* ATZMANNUS, *Hungarus*, extraxiſſe, cujus modum novi, ſed, ne quid fallam, cujus periculum nondum feci, ut verum affirmare non poſſim.

7. CÆSAR *& ſeqq.*] Gravitas ſane tanto MONARCHA & tam laudabili digniſſima, atque omnibus PRINCIPIBUS imitanda! Certe ſi infimæ quandoque ſortis humuncionibus & ſterquilinio ſæpe effoſſis, & Fortunæ ludibrio ad Aulas, & *Magnas Domus*, ut ibi a Cubiculo, a Janua, a Pedibus ſint, delatis & ſubinde apud Dominos plus juſto gratioſis, PRINCIPUM & *Magnatum* ac *Purpuratorum* non paterent aures, non tot quiritationes, & cum noverca Fortuna expoſtulationes paſſim, per regiones nonnullas, audirentur Virorum optime meritorum, ſed qui per ſupercilia & faſtidia ſuperborum ſervorum, qui ſe ita a ſordium ſuarum contemtu vindicant, poſtponuntur, negliguntur, ſubmoventur, prohibentur. Neque ſola hæc *Auguſtæ Gravitatis* laus eſt; verum etiam PIETATE excellit Optimus IMPERATOR; cum qua miſturam fecit *Eruditio* non *Tralatitia*; & *Amor* erga *Studia*, *Literas* & harum *Cultores* ſummus. Vera loquor, certa loquor; non adulor ſummo PRINCIPI. Doctiſſimus eſt, &, cum per bella licet, etiam Munificentiſſimus Reip. Literariæ ſtator. Nolite mei Germani noſtro nomini, noſtro CAPITI, invidioſa comparatione alie-

nos

nos *Auguſtos* nimis opponere! quin hoc habete, LEOPOLDUM AUGUSTUM, non adorantium Ejus purpuram adulatione, non Imperialis diadematis fulgore, non Fortunæ blandimentis; ſed ſuis Ipſius Virtutibus, Pietate, Doctrina variarumque Rerum & Linguarum peritia, Clementia, Conſilio, Induſtria, Amore Eruditorum & Provehendæ Utilitatis Humani Generis, Regnatrice Prudentia, eſſe Optimum, eſſe Maximum; eſſe hinc Dei faventis auſpiciis, inter tot adverſæ Sortis procellas, Feliciſſimum. Sed ne *Gravitatem* ſeveriorem quis putet, eandem data occaſione eleganti apophthegmatum acumine temperare novit. Annotavit MONCONISIUS, *Gallus*, *Voyag. d'Allemagne T.* III. *p. m.* 123. nonnulla: inter ea, quod *Equiti Ordinis Teutonici* affirmanti, *ſui Ordinis Equites Melitenſibus quaſi ex oppoſito conditos eſſe; hos, ut Mari; illos, ut Terra gerant cum Infidelibus bella*; regeſſerit IMPERATOR tum adhuc Juvenis: *non tam in eo differre Teutonicos & Melitenſes, quam in hoc, quod hi per Aquas, illi Vino ſint potentes:* cumque argutum hoc reſponſum *Melitenſis Eques* in ſui *Ordinis* laudem rapiens, jactaret *tria*, quæ vocant, *Vota* ab his nuncupari ſolita; mox eadem ingenii argutia huic in promtu ſubjecerit IMPERATOR: *Sed quarti voti obliviſceris, quo nuncupatis, nullum ex tribus vobis ſervatum iri.* In veſtigia Paternarum Laudum cum maxime ſuccreſcit *Magnæ Spes altera Romæ* REX JOSEPHUS, Cui primo *Hungarorum* Hereditario, adeoque *ſex Regnorum*, quibus tanquam *Hungariæ* Rex inauguratur, REGI, inter reportatos a Barbaris Triumphos, teneris adhuc annis, coronato ſic privatim domi meæ acclamavi quondam hoc Epigrammate:

Cum Tibi tam tenero dederint tot Regna Triumphi;
Quantum Fata Viro, REX IOSEPHE, *dabunt*?

Verum hæc obiter.

8. *Opere meo Triduano.*] quod ipſe TOLLIUS exponet Lectoribus *in Manuduct. ad Cœlum Chemic. pag.* 5.

9. *Metalla* cuncta, ut cætera *Vegetabilia* creſcere & decreſcere.] Certiſſima hæc & veriſſima Sententia eſt, & cum *Rerum experimentis*, tum *Rationibus* confirmatur. lubet paullo altius rem repetere, ac primum per *exempla* ire. I. AURUM. " Circa *Philippos* in *Macedonia* ferunt, Metalla inveniri, quorum ramenta creſcant disjecta, *aurum*que manifeſto producant. In *Pieria Macedoniæ* fertur *Aurum* non ſignatum in quatuor Terræ hiatus defoſſum eſſe a Regibus priſcis, ex quorum *Auri lamina* palmi magnitudine excreverit. ARISTOTELES περὶ θαυμασ. ἀκουσμ. ſive *de Mirabil. paullo poſt pr. p. m.* 1087. 1088. *ed. Læmarianæ* 1597. *Aurum* obryzum, inſtar *fili* contortum, ex Terra prognatum, longitudine ulnæ, pondere drachmarum ſex, in fluvio *Tartza*, prope pagum *Tartza*, a quo *Eperies*, *ſuperioris Hungariæ* urbs diſtat IV. milliaribus,

inventum, adservat *Augustissimum* CÆSARIS *Gazophylacium. Phil. Jac.* SACHSIUS a LEWENHEIM, *in Eph. N. C. Dec.* I. *An.* 1 *Obs.* 131. *p. m.* 254. Apud *Sirmium*, *Pannoniæ* urbem, interdum in Vitibus *Capreolos* esse repertos vere *Aureos*, & ex his monetam *Auream* cusam, testimonio FULGOSI narrat *Fort.* LICETUS *de Spont. Viv. ort.* IV. 72. In *Hispaniola*, *Americæ* insula, *Auri* feracissima, in montibus quibusdam sunt Arbores, habentes *vivam Auri venam*, quæ, quacunque patet iter, e radice, per apertas mollesque scatebras, ad superna montis supercilia ramos emittunt, nec unquam quiescunt, donec cœli auram assequantur; ubi, viso aëris fulgore, pro fructu formant *bracteas* & *grumos Auri*: ita Petr. MARTYR *Rer. Oceanic. Decad* III. *l.* VIII *p. m.* 269. In *Gallia* an. 1602. in *Lugdunensi* Territorio, prope pagum *S. Martini la Plaine*, in vinea cujusdam Rustici cum ditissimæ *Auri* Mineræ inventæ essent, ex erutis particulis una *Auri* hujus Virginei, tam artificiose *palmitem* exhibuit *Aureum* gemmas protrudentem, ut magnum hoc Naturæ miraculum *Regi* HENRICO *Magno* fuerit oblatum: *Pier.* MATTHIEU *Hist. de la France T. II. l.* V. *narrat.* 1. *p. m.* 209. Fuit in *Germania*, cum in vineis, circa *Dresdam*, *Albi* adjacentibus, vinitor ex terra fertilissimæ vineæ prominentem videret funiculum, quem dum lente extrahit ad aliquot ulnarum longitudinem, disrupto tandem funiculo, *Aurum* obryzum esse, Lapis Lydius testatus est. SACHS *Ampelograph. Curios.* I. 5 *p. m.* 41. In citeriore *Germania*, etiam in toto *Mœni Nicri*que tractu, item in *Alsatia*, Vites mirifice germinare, frondes geniculatas emittere; ac inter eas esse quasdam, quæ claviculas & plerumque candicantia folia ex *puro Auro* germinantia, & simul coalescentia habeant, ex oculatis testibus narrant ALEX. ab ALEX. *D. G* IV 9 G. MERULA *Cosmogr.* X. 27. *Anton.* MIZALD. *Memorabil. Cent.* II. §. 1. J. B. PORTA *Phytognom.* II 6. Anno 1651. in Arce *Batack* prope *Toccavium*, assidente cum PRINCIPIBUS ad mensam Archiatro, *Matthæo* HELDIO, Sereniss. *Principi* RAGOZIO dono apportabantur *botri*, acinis, compactis *Auri atomis*, mire splendentibus, adeo ut folliculi seu membranulæ exteriores *Auro* quasi obductæ fuerint, quos racemos, de his judicium rogatus, ipse HELDIUS manibus tractavit. SACHSIUS *l. l.* ex ore HELDII. In *Hungaria* vitem supra *Auri* venam prognatam, cujus truncus non solum totus *Aureis* velut *filis* fuit, sed & in quibusdam granis seu acinis *Auri* obryzi granula invenit *Joh. Joach.* BECHERUS *Metallurg.* I. 1. *p.* 2. *Mart. Henr.* de FRANKENSTEIN, Poliater *Eperiensis*, possedit aliquos botros & acinos, circa *Toccavium* inventos, *Auri* granis impraegnatos, & circumvestitos. idem ait, in *Toccaviensi* tractu præcipue, ubi generosissima nascuntur vina, videri non raro, *Aurum* ex terra simul, instar funiculi, modo rotundi, modo angularis, cum trunco enasci, adeo arte, ut videatur simul progerminasse, imo, instar convolvuli, bonam trunci partem amplecti, cujus se sæpius testem

ocula-

oculatum fuiſſe affirmat: & hoc ibi maxime accidere, ubi *Terra Toccavienſis Alexipharmaca*, quæ in ſe *Auri ſulfur* copioſum continet, eruitur. Idem narrat, Nobili *Hungaro*, WALPATAKY nomine, fuiſſe Vinitorem, qui, dum aliquando laſſus a labore in vinea ſederet, forte conſpexerit ex terra *exſurgentem materiam* quandam *flavam*; eandem dum amovere tentarit, viderit, altius humi radices egiſſe, & ſolo firmiſſime adhærere; donec tandem, ligonis ope perculſa & excuſſa immobili hac materia, *dentem* quaſi *Aureum* extraheret, quem, ubi Aurifabro monſtrarit, audiverit eſſe optimum *Aurum*. Locum hunc dum Vinitor probe obſervarit, eoque redierit, viderit rurſus alium *Auri dentem* denuo progerminaſſe, quo rurſus vi decuſſo, iterum poſtea aliquoties lucroſum hunc fructum repetierit, donec cum *Nobili*, & tandem cum PRINCIPE, ſuper jure poſſidendæ vineæ lis exoreretur. Item aliquando Ruſtico, dum aratro terram vertit, ſimul aliquot ulnas *Aurei fili* extractas ex terra fuiſſe; quibus, dum ligna in Urbem *Eperienſem* veheret, jugum bubus hoc funiculo annectere voluerit. dum autem prope Aurifabri ædes ligna venditaret, & hic *Aurum* cognoſceret, exquiſita origine, parvo precio a Ruſtico redemtum fuiſſe, facta, ſed vana, promiſſorum ſpe, ſe Ruſticum plures ejus notæ funiculos adferre velle. Idem Vir Nobiliſſimus annotat, *Procopium* BONANUM, CÆSAREÆ *Cameræ in Fodinis Regiis Hungariæ Archiatrum*, plura talia exempla *Auri Vegetabilis* allaturum, libro de *Admirandis Hungariæ*. SACHS. *ll. ll.* ex literis FRANCKENSTEINII. De BONANO notes, an. 1661. rumorem fuiſſe, quod doctiſſimus ille Ejus liber, ornatus pluribus, quam *ducentis tabulis æneis*, ſumtibus *Archiepiſcopi*, PALATINI *Hungariæ*, & *Comitis* NADASTI fauſtam Lucinam exſpectaret; ſed morte BONANI ſpes decollaſſe videtur. obiit in *Auſtria*. quare publice hic Ejus Heredes rogantur, ne doctiſſima illa Collectanea tineis blattisque donent, ſed cum Orbe erudito communicent. ſed ad propoſitum redeo. *Johannes* PATERSONUS HAINIUS, Poliater *Eperienſis*, *Eph. N. C. Dec.* . *An.* 2. *Obſ.* 113. *p. m.* 187. 188. iſta narrat per literas SACHSIO: " Generoſus, *ait*, Dominus ZEMERE LASKO, *ViceComes Comitatus Zemlinenſis* invenerat *an.* 1670. in vinea ſua *Uvam*, in qua omnes *acini* erant *Aurei*; cuticulam uvæ attriverat metallum; acini erant per parva foraminula conſpicui, eleganti ſpectaculo: uva hæc mihi deſtinata in barbari militis direptione una cum aliis bonis periit. Dn. LERYFELNER, hujus Civitatis Judex, etiam talem *Uvam* habuit *Auriferam*. *Filum Aureum* mitto, quod in ſcaturiginis arena Ruſticus invenit. Celſiſſimus Dominus FRANCISCUS REDAI, electus *Tranſylvaniæ Princeps*, dono mihi dedit *Auri drachmas tres*, quod dum in Fodina fuiſſet, *Butyri inſtar pingue, fuiſſe*, dixit; *at, cum ſuperas evaſiſſet ad auras, ſtatim ad inſtar* Auri ſolidi *induruiſſe*; habet vero idem *Aurum* ejus rei indicia. *Acinum* habui, quem a me Illuſtriſſimus Dominus ALEXANDER LU-

,, TOMAWSKY, *Palatinus Cracovienſis*, accepit, ex uva extractum, quem ,, Aurifaber in Lapide Lydio examinans invenit XXVII. *carattorum*. Do- ,, minus *Petrus* WAI, *Nobilis Hungarus*, granum mihi dedit, quod ,, manu ſua ex uva exemit, pendens XL. grana optimi *Auri*, ſed informe ,, eſt. Dominus *Paullus* GÖCI promiſerat mihi *foliolum* parvum *Aureum*, ,, adnatum *Capreolo Aureo* naturali plane figura. Generoſa Domina ZE- ,, MERINA, *Paulli* ZEMERE *Conjux*, in digito geſtabat *filum Aureum*, ,, Annuli inſtar contortum, quod ex *rapa* enatum affirmavit, & particu- ,, lam mihi dono obtulerat, quam Perilluſtri *Tito Livio* BORRATINI *War-* ,, *ſoviam* transmiſi. Sic Ruſticus Aurifabro noſtrati vendidit *circulos quin-* ,, *que Aureos* exacte formatos, in rivuli ſabulo prope *Bartpham* inventos; ,, *filum* erat ſatis craſſum, pendens Aureos XXX. quod *Aurum* ipſe mani- ,, bus meis, præſente Illuſtriſſima *Comite* FORGACIANA, tetigi. Ita PA- TERSONUS. *In Muſeo* SPENERIANO *p. m.* 132. 133. lego: *Aurum purum* figura *arbuſtorum*, ex *Hungaria*: & *Fruſtulum ligni* vitis, cum *Auro adnato*, ex vinetis *Hungariæ*. Cæterum hic notatu dignum puto, quod *Aurum* maxime *vitem* amet, qua de re videndus *Joh.* TACKIUS, *Ph. & M. D. & Eloq. P. P. Giſſanus*, libro, *de conſanguinitate Vini, Auri & Sacchari.* Sed tamen etiam alias *Arbores Metalliferas* enarrat in *Monomotapa*, *Auri ramentis* inſignes, juxta *Aurifodinas*, *Joh. Chryſoſt.* MAGNENUS *Democr. Rediviv. p.* 295. SACHSIUS *laud. Obſ.* 131. *An.* I. notat porro, in *Sileſia*, ad fines *Moraviæ*, circa *Oppaviam*, *Filum Aureum* cum propria radice, a Ruſtico, e terra progerminans, inventum fuiſſe, non contemnendi ponderis, qui, dum agros foderet, inter ſulcandum, ob duritiam quandam in terra repertam, aratrum vertere coactus fuit: poſtmodum aliquoties ſimilia *fila* inveniſſe, eaque *Aurifabris* divendiſſe; quale fruſtum ſe vidiſſe, narrarit ſibi SACHSIO *Henr.* STURMIUS, Medicus *Oppolienſis*: Tale *Filum Aureum* in *Sileſia* effoſſum, *Ratiborii* poſſediſſe Generoſum *Baronem*, *Wenceſlaum* de REISEWIZ. Vide etiam TENTZEL. *Colloq.* anni 1691. *p.* 437. 488. *& ſeqq.* & *Sylv.* BOCCON. Curieuſ. Anmerk. *c.* 19. Per Artem quoque *Aurum Germinans* producitur, ſi fides eſt *Nicol. Nigro* HAPPELIO *Cheirag. Heliac. de Aur. Philoſ. p. m.* 38. ubi ait: " Notum eſſe, ex Minera quadam fertili, & liquore aliquo, ,, ejusdem appoſitionis menſtruo, perpetuum *Solis* augmen Feminæ cui- ,, dam Nobili ſuccreviſſe: *Auro* ſurgente primum inſtar graminis viridi co- ,, lore, poſtea ſenſim apicibus in *Solem* vergentibus, qui forfice demeti ,, poterant. ita quidem Ille, qui tamen plus ex libris, quam ex rerum ipſis periculis videtur ſapuiſſe. Hæc de Auro ſufficiant; ſequitur II. ARGENTUM. Hoc in *Mineris* ſæpe præ ſe ferre *capillorum* ſpeciem teſtatur, *Oſwald.* GREMBS *Arbor. Homin.* I. 7. *ſect.* 5. §. 18. ſed & ipſe ego ſæpius in Metallophylaciis hiſce meis oculis vidi: quin & in mea, exigua licet, *Metallotheca*, poſſum ſpectatoribus oſtentare elegans fruſtillum *Argenti*, e

minera

minera sua capillorum forma progerminantis, quod ex *Potosina Americæ Peruvianæ fodina* ad me pervenit. In Museo *Ferdinandi* IMPERATI Neapoli monstratur *Naturalis Arbuscula Argentea*, quæ in *Minera Argenti* fuit effossa, vide IMPERAT. *Disc. Nat.* II. *p.* 16. adde *Joh.* GERHARDUM in *Medicin. Univers. Assert. & Defens. p.* 23. Monstratur *Dresdæ* in *Technophylacio* & *Cimeliotheca Electorali*, *Crux Naturalis Argentea*, quæ instar Vegetabilis ex minera aut rupe enata est, & infra eidem quibusdam ramulis, quasi radicibus, annectitur; de qua Testes oculati MONCONYS *Voyag. T.* III. *p. m.* 105. qui & depingit: & *Christian. Adolf.* BALDUIN. *in Append.* 5. ad An. IV. &. V. *Dec.* I. *p. m.* 29. Cl. PATERSONUS *Dec.* I. *An.* 2. *p. m* 28. SACHSIO mittit *Mineram Argenteam*, in cujus una parte eminet *Argenti* aliquantum *solidi*; separatim altera parte *Filum Argenteum* elegantissimum, ex silice prodiens, & silici intermistum, & in silicem desinens, raro & curioso spectaculo. Talis etiam *Argenti Minera Hungarica*, *fila Argentea* ostendens, quorum unum ex silice enatum, iterum in silicem inseritur, fuit *Lucæ* SCHRÖCKIO, L. F. Medici ordinis Ornamento, *in Eph. N. C. Dec.* II. *An.* 3. *in Scholio ad Obs.* 39. *Dantisci* in *Museo* Domini de NOYERS, Primarii quondam Reginæ *Poloniæ* Secretarii, fuit *Massa Argenti* cum puris putis nativis *Argenti* ramusculis: item notabilis *Minera Argentea Vegetabilis*, pondere ad aliquot *libras* accedens, tota pura, gediegen vocant, elegantissime arbusculis, plantis, & multis signaturis a polydædala Natura exornata, a REGE *Hispaniarum* Possessori dono data: testis oculatus vidit *Christian.* a PAULIZ, Archiater JOHANNIS CASIMIRI, Regis *Poloniæ*, *in Eph. N. C. Dec.* II. *An.* 3. *in Scholio ad Obs.* 113. *Olaus* WORMIUS possedit *Massam Argenti*, unciarum XII. pondere, quæ vitem ramis suis varie diffusam æmulabatur, ut videatur Natura hic lusu vegetabilem vim exseruisse, quæ vitem varie sarmentis suis intricatam effingeret; narrante ipso WORMIO *Musei lib. I. sect.* 3. *c.* 2. *p.* 116 sic in *Museo* REGIS *Daniæ* ap. *Olig.* JACOBÆUM I. 7. *p.* 32. *visitur Argentum* purum *Capillare*, quod ductibus plurimis & anfractibus *capillos intortos* æmulatur: *Argentum Ramosum ex Fodinis Norwegiæ*, quod *ramos surculos*que plexibus variis luxuriantes figura refert: Massa *Argenti puri* & statim sui, quod ex basi latiore varios *ramos surculos*que juxta truncum crassiores emittit, in extremitate plexibus variis sibi implicatos & sensim gracilescentes: *Argentum Crispatum*, quod fruticem *ramusculis* densis *virgulis*que sibi invicem incumbentibus refert: item variæ *Argenti particulæ* æmulantes *cirros capillorum* intortos, *ramos*que fruticum. In *Museo Joh. Jac.* SPENERI, (quod præclarum ingenium, olimque *Germaniæ* ingens decus & incrementum, Fata, eheu! patriæ tantum ostenderunt; in ipso adolescentiæ flore, sed qui jam senilis ætatis maturos fructus ostentabat reapse, *Academiæ Halensi*, imo *Rei Literariæ* & Scientiarum augmentis, ereptum!) *p. m.* 134. *& seqq.* recensentur *Argenti fruticescentis*, *capillaris*-

que plurima specimina; uti: *Argentum purum fruticescens* egregium, lapidi albo innatum, undiquaque *ramusculis abietinis* vel *pennis* simile, ex *Hungaria*: *Argentum purum fruticescens* figura *abietis*, ex *Misnia*: *Argentum purum arborescens* undiquaque, quasi *ramusculis* præditum: *Argentum purum* quarzo albicanti ad instar *graminis* innatum: *Argentum purum* ad instar *arbusti* innatum lapidi albo, duritia vix lithomargam superanti: *Argentum arborescens* in figuram *abietis* enatum album: *Argentum statim suum* in figuram *arbusti* concretum. prætereo hic plurima specimina *Argenti Capillaris*. Sed & per Artem fieri *Arbor crescens Argentea*, sive *Philosophica* fieri poterit. scilicet *Solve Argenti q. s.* sive unciam dimidiam, in *spiritu nitri*, affunde *aquæ fontanæ* uncias quatuor, injice dein *Mercurii communis* unciam unam vel alteram: sic mista, diligenter cura, ne turbes, & videbis Metallum *ramusculos* ac *frutices* jucundos sursum emittere cavitatem vitri occupantes: quod expertus testatur BALDUIN. *l. l. p.* 29. hanc vero *Arborem Philosophicam*, si immotam serves annum integrum, *crevisse Argentum* videbis. augmenti caussa *Mercurius*, qui, quantum *Argento* accrescit, tantum naturæ suæ deperdit, in *Argentum* mutatæ; uti hoc de experimento ex arte agit *Joh. Hisk.* CARDILUCIUS in *Laz.* ERKERI *Aul. Subterr. lib.* I. *p. m.* 89. alium modum tradit hujus germinationis Artificiosæ BALDUINUS *l. l. p.* 84. sed non docet, quo incipi modo rite debeat, quo igne regi, ostendendus verius, quam docendus modus: audi verba Ejus: „*Communi sulfure calcinatas Argenti cupellati* in pul-„ verem redigo *laminas*, vel *nummos* pure *Argenteos*; quibus deinde, „ injectis *Crucibulo* ac subditis prunis, nonnullas subinde *sulfuris* remitto „ particulas: quo perusto, non destiti idem facere, quoad, quod calci-„ nassem, *Argentum* tantum *acidi* illius, quantum satis esset, *sulfuris* im-„ bibisset. Jam, contenta in Crucibulo, *Argentea* Massa horæ fere „ unius, quadrante minus, *Rotæ* ignem tolerarat, cum, surgentibus, ec-„ ce, paullatim minutis compluribus *Argenteis*, iisque durioribus *Arbus-„ culis ramis*que, altitudine ea, quæ latum pollicem parum, vel non „ excedit, *Regerminationis* auspicia capio feliciter. addit, deinde se non „ sine admiratione deprehendisse, prodiisse purum putum *Argentum* tum „ *Arbuscularum*, tum *Graminis* specie, nec non *Frondium Capillorum*-„ que pullulans, quæ naturales alias in Fodinis, *Vegetabilis Metalli* spe-„ cies gemello modo per omnia pariter exhiberet. Sed de *Argento* satis; lustremus III. ÆS sive CUPRUM: Sic *Herm. Nicol.* GRIMMIUS, cum *Promontorium Bonæ Spei* transiret, elegantem invenit *Marcasitam Veneris*, extus *rubram & flavam*, intus vero pulcre *viridescentibus cœruleis*que *floribus* consitam, ortam in loco limoso, pingui & humido, ulnæ unius cum dimidia longitudine æquantem, forma *arbusculæ*, quæ depingitur *figura* 13. *ad pag.* 139. in *Eph. N. C. Dec.* II. *Ann.* 3. *Obs.* 39. *p.* 110. In *Museo* SPENERI *p.* 162. video Frustum *Æris nativi statim sui* egre-

egregium, colore viridi & figura *arbusti*, ex *Moravia*: item *p.* 173. *Cuprum nativum* in modum *Argenti Capillaris.* Accedamus IV. ad FERRUM. Hoc in Minera *butyri* instar molle fuisse refert *Petr.* GIURIUS in *Arcano Acidular. c.* 3. tum *Joh. Petr* ALBRECHTUS *Eph. N. C. Dec.* II *Ann* 9. *Obs* 89 *p.* 155. figura æreæ tabellæ exhibet duo *Ferramenta*, cui adhæret *efflorescens materia metallica*, manifesta ad oculum palingenesia. Hanc autem plane probant *Ilva*, olim Græcis *Æthalia*, hodie *Elba*, jam PLINII ætate *H. N.* III. 16. XXXIV. 14. *Ferrifodinis* & hodie adhuc nobilis; imo vero & STRABONIS, qui *lib.* V. *Geogr. p. m.* 407. *edit. Lat. Amst.* 1652. hæc notat αὐτοψία duce: Ferrum *quoque laborari vidimus, quod ex ipsa devehebatur* Æthalia: *quod si in ejus Insulæ fornacibus concoquatur, in massam compingi non potest: mox igitur ab effossoribus defertur in continentem. hoc admiratione dignum habet Insula, ut exhausta effossionibus loca, temporibus rursus repleta cernantur.* Hæc Geographus. hinc VIRGILIO *Æn.* X. 174. *Ilva* est

Insula inexhaustis Chalybum generosa Metallis.

porro *Bern.* CÆSAR *Mineralog. lib.* V. *part.* II. *cap.* 5. *p.* 620. refert, „ in vicina *Ilvæ* insula *Sardinia* esse locum, ubi *Ferrum* foditur, qui ta„ metsi valde excavetur, nihilominus idem tempore repleatur *Ferrea sca„ turigine*, perinde ac si nunquam fuisset defossum: &, quanquam profun„ dissimum in modum excavatæ sint foveæ, post annos tamen iterum re„ pleantur. Magnus ARISTOTELES *l. l. p. m.* 1088. scribit: *Ajunt in* Cypro, *circa* Tyrrhiam, *quam vocant*, Ferrum *natura æque miranda* incrementi *provenire: quod in minuta frusta concisum seritur, deinde aqua perfusum augetur, surgitque, ut colligi queat.* Lustremus nunc V. PLUMBUM CANDIDUM sive STANNUM. Hujus palingenesiam, &, ut sic dicam, vegetabilem naturam evincit *Fodina Schlackewaldæ*, ubi *Stannum*, dum infra fodiunt, supra iterum recrescit; item *terrea* illa *crusta* semper *Stanni* ferax, quotiescunque revolvatur, apud Pagum, Gottes-Gab dictum; de quibus jam dixit GREISELIUS testis oculatus supra ad *Epist.* III. *num.* 31. *in fine.* VI. PLUMBUM tandem, quod NIGRUM cognominant, etiam progerminare, videntur comprobare ejus frequentes in Minera protuberantiæ. sic in SPENERI *Museo p.* 144. exstat, *Minera Saturni flava & viridescens*, longioribus extremitatibus constans, quibus hinc inde parum *Ochræ* adnatum. item *p.* 145. *Saturni Minera viridis protuberans* egregia in lapide albo, hinc inde pellucido. Ex his experimentis colligimus, omnia *Metalla* germinare; ubi *Mercurium* cum BALDUINO *l. l.* excipere licebit; qui addit: α. „ *Terram Philosophicam*, in qua *Metal„ lum* germinare debet, esse *Stellatum Antimonii Regulum.* β. *Calorem „ Ignis*, tanquam Caussam Efficientem, cum actualis, tum potentialis.

„ γ. Hu-

,, γ. Humidum, *Mercurium*, quo medio, fiat imbibitio. Si *Rationem* consulamus, dicet ea duce ALBRECHTUS *l. l.* " probabile esse, *seminale Principium Metallicum* contineri a particulis *Sulfureis*, *Salinis* & *Mercurialibus*, ex profundo terræ, *fumorum unctuosorum* instar, *Germani* vocant die Witterung / beneficio *Ignis subterranei* elevatis, qui successu temporis *humidum viscosum* constituant, postea a materia quadam terrestri aut lapidosa intercepti, in verum abeant Metallum. Hæc Ille non absurde. jam enim vidimus *Aurum Ferrum*que in minera *butyri* instar molle. confer illustrem Naturæ Interpretem *Rob.* BOYLEUM *Chymist. Sceptic. Paradox. Chymic. p. m.* 239. *Experim. Physic. Mech.* 22. *p.* 201. At *Joh. Rud.* GLAUBER. *Furn. Philosoph.* I. 85. item *de Sale Art. p.* 63. affirmat, *Metallorum* incrementum fieri per *liquorem silicum.* Eum vero facile sic parat *l. l.* BALDUINUS: accipit *Cinerum clavell. purg.* p. iiij. *silic. calcinat. in crucib.* p. iij. in unam massam conflata in cella *liquescere* facit. at si plures *Rationes* desideres, præter illos a Nobis in hoc argumento jam sparsim laudatos, consule G. AGRIC. *de ort. & causs. Subterr. lib.* V. *p. m.* 61. *& seqq. Dan.* SENNERT. *de Chymic. consens. & dissens. c.* 9. *Joh.* MATTHES. *Sarept. Conc.* 3. LÖHNEYSEN Bericht von den Berg-wercken *p.* 20. CARDAN *de Mistis lib.* V. *Jul. Cæs.* SCALIGER. *Exerc.* 102. *Petr.* RIBOLAM, *Monach. Ord. Bened. de Facult. Metallorum Germinatrice*, qui liber impressus est *Francofurti* 1630. 8. cum *Biolychnio* BURGGRAVII: *Albar. Alons.* BARBAM *de Arte Metallica*, Hispanice edita *Cordubæ* 1675. Germanice *Hamb.* 1676. I. 18. 19. 20. BALDUIN. *l. l.* ubi agit speciatim *de Argenti regerminatione: Marc.* MARCI *in Idear. Operatric. idea c.* 1. *p.* 27. ubi PARACELSI opinionem, *omnia Metalla esse velut partes heterogeneas ejusdem Naturæ Metallicæ* recensens, hæc opponit: " Si hoc verum esset, ut omnia *Metalla* & *res Minerales* essent ,, de perfectione & natura ejusdem *Metalliferæ Plantæ*, necessarium, ut ,, omnia *Metalla* singulis locis etiam provenirent: & si omnia Metalla partes essent heterogeneæ unius plantæ, inutilis esset ars, quæ docet trans- ,, mutare *Metalla.* acute sane Ille! certe, nulla arte poteris eandem specie ac numero malum, ferentem mala vinosi saporis, commutare ita, ut ferat mala dulcia. Tandem notavit *Joh.* FABER, *Lynceus*, in *Not. ad* RECCHI *Histor. Mexic. p.* 573. Illustrissimum *Principem* CÆSIUM primum invenisse & observasse *mediam naturam inter Plantas & Mineralia*, qui ex professo de his acturus sit in libris, *de Metallophytis*, a se cognominatis, quorum specimen & species diversas ad Eminentissimum Principem *Franciscum* Cardinalem BARBERINUM *Aquasparta* transmiserit *Romam.* meminit hujus libri & SACHSIUS *E. N. C. l. Obs.* 131. *p.* 258. qui *laudato* quoque *Scholio Obs.* 113. *p.* 190. meminit mittendæ sibi Illustrissimi Comitis *Philippi* TALDUCCI a DOMO, Generalis Architecturæ Militaris per *Bohemiæ* Regnum Præfecti, Viri in faciendis Experimentis & feliciter


citer perficiendis incomparabilis, *Observationis Physico-Metallurgicæ*, qua *Vegetabilium* in *Mineralia* transmutatio, nec non jam *Vegetabilium*, jam *Mineralium* ab uno eodemque fermentali principio, pro diversa dispositione tantum, productio, sat evidenter demonstranda esset, & experimentis necessariis confirmanda. Verum an ista bina cedro digna Illustrium Virorum opera lucem viderint publicam, equidem hactenus nescio; nec enim quæsita reperire potui.

10. HELMONTII *Paradoxis Chemicis.*] Hæc ex *Anglico* a TOLLIO versa exstant hodie ἀνέκδοτα apud *Philippi* TOLLII *Filios*, qui aliquando publico non invidebunt Patrui sui laborem.

11. In BASILIO legeram, *&cc.*] Confer his TOLLII *Sap. Insanient.* præcipue *p.* 28. *& seqq.*

12. Reddidi ego jam alibi, *&cc.*] scilicet *Epist.* II. circa *num.* 17.

13. Dignoscere tempus *Margaritarum*, & seqq.] In Curiosorum gratiam, præcipue popularium meorum, item avitæ *Belgicæ*, lubet paullo accuratius hæc, quæ Noster TOLLIUS de *Margaritis* ex ore tanti PRINCIPIS accepit, enarrare, & arcana mysteria cum Bono Publico communicare. *Margaritæ* sunt *Gemmæ* in Testaceis ex humore eodem, quo testa conchæ concrescit, corticatim contextæ. generantur in α. *Conchis*, PLIN. *N. H.* IX. 35. ibique JUBA; ISIDOR. *Orig.* XVI. 10. AMMIAN. *lib.* XIII. *sub finem*: MARBOD. *de Lapid. c.* 60. SOLIN. *Polyhist. c.* 56. ÆLIAN. *Hist. An.* X. 13. ATHENÆUS *Deipnosoph.* III. 4. *p. m.* 47. ibique laudati THEOPHRASTUS *de Lapid.* ANDROSTHENES in *Periplo Indiæ*, ISIDORUS *Characenus in Descript. Parthiæ*, CHARES *Mitylenæus Hist. Alex. lib.* VII. item in β. *Ostreis*, aspectu pectini similibus, concha non striata, sed plana, spissa; non utrimque aurita, Pectinis modo; sed una tantum parte; qualia in *Bavaria* sunt *Margaritifera*, exhibente *Malachia* GEIGERO in libro minus obvio *Margaritologiæ Bavaricæ* descrptionem & figuram *c.* 2. *p.* 8. quæ *Conchæ* iterum sunt *Pentadactylæ*, *Melicembates*, *Echinophoræ*, & similes: *Germanice*: Völkerin / Krumschnäbel / Bämerin. item in γ. *Cochleis* nascuntur *Margaritæ*, quas *Cochleas Margaritiferas l. l.* depingit GEIGERUS, & quas tam *Ostrea*, quam *Cochleas* ob raritatem libri inde mutuabimur. δ. in *Chamis Glycymeridibus*; ε. in *Mytulis lacustribus*; horum & illorum picturam nobis exhibente *Georg. Hier.* VELSCHIO, Magno Medicinæ Incremento, in *Eph. N. C. Dec. I. An.* 3. *Obs.* 36. p. 51. ζ. in *Mytulis fluviorum*, passim, ut mox videbimus. η. in *Mytulis marinis*, apud *Olig.* JACOBÆUM *Mus. Dan* I. 7. *p.* 34. θ. in *Patellis Majoribus* BELLONII; quæ vulgo dicuntur *Aures marinæ*, & testam concavam habent, colore Margaritis æmulo; partem vero gibbam cinericio: in linea quadam spirali circa extremos limbos foramina quædam conspiciuntur, quæ quo



magis ab initio tendunt, eo amplius sensim augentur. Habeo in mea *Conchotheca Curiosa* tales, in quibus evidenter adnatum cernitur *Margaritarum* rudimentum. ι. in *Testaceis* quibusdam, nescio cujus formæ; in *Cornwallia* & *Scotia*; ut mox videbimus. κ. in *Piscibus* quibusdam *Sinicis*, statim post lustrandis. λ. in *Pinnis* & *Pinnophylace*: μ. *Strombis*, ν. *Choeriis*, ο. *Purpuris*, ϱ. *Pectinibus*, ap. ATHENÆUM *l. l.* & PLIN. *l. l.* *Loca Natalia Margaritarum* generatim reperio *Maria*; *Flumina*, præcipue limpida & nullo limo turbida; *Lacus*, *Fontes*. Speciatim κατ' Ἀλφάβητον hæc mihi loca cum lecta, tum visa:

ACARNANIA, conchas fert, in quibus *uniones* minus laudati, enormes fere, colorisque marmorei. PLIN. *l. l.* at.

Circa *ACTIUM* sunt paullo meliores, sed parvi. Id.

AINAN, sive *AYNAN*, Insula *Maris Indici*, ubi piscis quatuor oculis, & sex pedibus instructus *Margaritas* evomit; credibile est, una cum ipsis *ostreis* deglutitas prius esse, hinc evomi. *Histor. secundæ Legationis Batavor. in Sinam*, *edit. Belg. Amst.* an. 1663. *p.* ... grandiores ibi sunt *Margaritæ*, formæ tamen elegantia a *Persicis* vincuntur. BOETIUS *de Lap. & Gemm.* II. 37. *p.* 169.

AME-

AMERICÆ uniones ex ostreis maximi & preciossimi. *Ferd. Gonsal.* de OVIEDO, *Novi Orb.* XIX. 8. Aliique *Novi Orbis* Descriptores: passim enim *Margaritifera* est.

ANGLIA. de *Margaritis Anglicis* videndus est *Guil.* CAMDEN. *Hist. Brit.* hinc inde.

ARABIA Felix, circa *Catyssam* ad litus *Maris rubri;* CHAPEZEAU *des Joyaux*, in OLDENBURG. *Transact. Angl. T.* II. *n.* 23. *p.*429. hodie nobilissimæ ibi *Margaritæ*; sed & olim præcipue laudabantur. PLIN. *l. l.* earum concha similis pectini insecto, hirsuta echinorum modo, ipse *unio* in carne, grandini similis, narrante JUBA ap. PLIN. *l. l.*

ARMENIA etiam *Margaritifera.* CHARES *Mitylenæus* ap. ATHEN. *l. l.*

AUGUSTÆ Vindelicorum, ad lacum quendam non valde magnum, plurima *Chamarum glycymeridum* copia: in his dissectis non immaturas tantum, sed & maturas margaritas haud paucas, quarum pars valvis suis fixa, pars sponte exciderat, & in carne latebat, coloris tamen non albi, sed subflavi & subobscuri, quem splendor quidam argenteus illustrabat, exemit VELSCHIUS *l. l.*

BABYLONIA habet *Ostrea Margaritifera.* CHARES *l. l.* apud ATHEN.

BAHAR, Insula ad *sinum Persicum*, nobilissimas *Margaritas* profert. CHAPEZEAU *l. l.*

BAROYNA ad *Sinum Persicum*, item præstantissimas *Margaritas* habet. *Idem:* & BOET. *l. l.*

circa BASSORAM ad *sinum eundem* item egregiæ: Iidem *ll. ll.*

BAVARIÆ fluvios *Margaritiferos* & ipsas *Margaritas* eleganti libello recenset GEIGERUS jam laudatus, qui impressus *Monachii* 1637. 8. plerumque pisi majoris & fabæ minoris magnitudinem æquant: colore vario modo argenteo & splendido, modo suffusco atque livente. adde *Caspar.* BIERLING. *Advers. Med. Cur. c.* 100.

BOHEMIA, de hac plurimi Auctores tradunt, oculati testes, esse *Gemmiferam*, & *Margaritiferam.* BOET. *l. l.* Aliique plures.

BORNEO, Insula *Maris Indici*, grandiores *Margaritas* fert, ita ut CLX. grana tritici ponderent, verum non tam elegantes, atque sunt *Persicæ.* BOET. *l. l.*

BRITANNIA. " parvos ibi atque decolores uniones nasci, certum ,, est; quoniam D. JULIUS thoracem, quem *Veneri Genitrici* in Templo ,, ejus dicavit, ex *Britannicis margaritis* factum voluerit intelligi. PLIN. *l. l.* " quidam artem abesse legentibus, arbitrantur; nam in *Rubro mari* viva ac spirantia saxis avelli; in *Britannia*, prout expulsa sunt, colligi in Oceano *Margarita.* TACIT. in *vit. AGRICOLÆ c.* 12. Ex his autem, & hoc in argumento a nobis porro laudandis testibus, apparet,

recte SUETONIUM notasse, JULIUM CÆSAREM *Britanniam* petisse spe *Margaritarum*, quarum ille magnitudinem conferens, sua exegerit manu pondus. scilicet a vicinis Gallis acceperat opinionem *Margaritarum Britannicarum.*

CAMARON, ad *Sinum Persicum*, egregias & nobiles *Margaritas* profert. BOET. *l. l.* CHAPEZEAU *l. l.*

CARALCO, Promontorium *Indiæ*, ferax *Margaritarum*: BOET. *l. l.* illud generatim notandum, quod *Margaritæ* in *Indiis* versus *Occidentem*, minorem habeant splendorem, nec tantam polituram, ad instar speculi.

In *CARNARVANIA*, *Walliæ* provincia, Testacea quædam rore nutriuntur, & *Margaritas* producunt. D. *de* CHILDREY *Hist. Nat. Angl.* in *Cornwall. p.* 248.

CATYFFA. Vide supra *ARABIAM Felicem.* adde BOET. *l. l.* BENJAMIN *Tutelensis Itin.*

circa *COMANAM* in *Oceano Septentrionali*, versus continentem *Americæ*, sunt *Margaritæ.* CHAPEZEAU *l. l.* uti & circa

COMANAGOTEN, ibidem loci, *l. l.* adde Scriptores *Novi Orbis.*

COMORIN, Promontorium, in Australi angulo peninsulæ magnæ, *oræ Malabaricæ*; CHAPEZEAU *l. l. Phil.* BALDÆUS *in Descr. Oræ Malab. & Corom. edit. Belg. Amst.* 1672. *c.* 22. BOET. *l. l.* ait magnas generari, & quandoque centum frumenti grana pendere ibi *Margaritas.*

CORNWALLIÆ ad provinciam, circa *Angliæ* litus, in *Ostreis Margaritæ* inveniuntur, sed quæ bonitate & rotunditate multum cedunt *Orientalibus.* CHILDREY *l. l.*

CUBAGUA, Insula *Americæ*, *Margaritifera.* CHAPEZEAU *l. l.* Auctores *Novi Orbis.* uniones ibi raro excedunt quinque siliquas: attamen Rex Insulæ *Caspari* MORALI unum dederat pendentem XXXI. siliquas. OVETANUS. *l. l.*

CYNTHIUS, *Wetteraviæ* meæ fluvius, vulgo KINZIGA, civi meo *Petro* LOTICHIO *Secundo*, Principi Poetarum e Germanis Latinorum, vel ipsis Veteribus ad invidiam opponendo, celebratus amnis, habet *mytulos*, qui subinde ostentant aliquot *Margaritarum* rudimentum, æmulosque harum minutos globulos aut particulas, quod ipse, ad confluentes *Cynthii Mœnique*, olim *Hanoviæ*, non tantum literarum, sed & Naturæ omnipatentis Arcanorum studiis incensus ineunte ab ætate amator sæpius periculis factis didici.

DEE &

DOONE, fluvii *Scotiæ*, *Margaritiferi*, quas *Margaritas* aliquando rotunditate, magnitudine & splendore Orientalibus vix cedere ait Auctor libri Gallici, nuper editi, titulo *Memorabilium Britanniæ*, sub voce *Scotiæ.* sed & CHILDREY *l. l. p.* 304. affirmat in fluvio *Doone* esse Testaceum quod-

quoddam, quod appellant *Cheval-moule*, in quo crescant Margaritæ non cedentes nobilissimis inter Orientales.

ELSTRIA, celebris *Voitlandiæ* fluvius prope *Voitbergam*, *Elsnizium*, & pagum *Rascha*, dimidio lapide a *Plavia*, urbe celebri satis, *conchas* alit *Margaritiferas*. *Guern.* ROLFINC. *Diss. Chym.* num. III. quæ est tota de *Margaritis*, *c.* 2. *p.* 4. BOET. *l. l.* satis elegantes ait esse. affirmatque ROLFINC. *l. l. fin.* se quasdam ex his *Margaritas* vidisse, quæ Indicas splendore exaluminato, magnitudine & tornatili rotunditate provocarent.

FINLANDIAM Margaritiferis regionibus accenset GEIGERUS *l. l. c.* 1. *p.* 2.

FRISIA in nonnullis *conchis marinis ostreisque* vulgaribus ostendit *Margaritas*, sed minutas admodum. BOET. *l. l.*

GOTHIA Margaritarum ferax. GEIGER. *l. l.*

HORASDOVIZII, in *Bohemia*, repertas *Margaritas* cæteris *Occidentalibus* nostratibus præfert BOET. *l. l. p.* 170. ubi ait " Quæ in *Bohemia* ,, prope *Horasdovizium*, *Straconizium*, & *Rabi Arcem* colliguntur, mi- ,, hi cæteris præferri posse videntur. vidi enim nonnullas, quæ vix ab ,, *Orientalibus* discerni potuerant. Id in illis reprehenditur, quod *albiores* ,, sint *Orientalibus*, quæ *argenteum* quendam *candorem*, ut illæ *lacteum* ,, præ se ferunt. Collegi in prædictis locis aliquot *Margaritas* præstantis- ,, simas, verum ex *quingentis conchis*, quas aperui, vix *decem* absque vi- ,, tio habere potui. nam maxima pars vel nigrescit, vel flavescit, ita ut ex ,, argilla factæ videantur. deinde eæ *Conchæ*, quæ *Margaritas* fuscis colo- ,, ribus præditas proferunt, etiam interiorem testam eodem colore tinctam ,, habent. quin etiam & humor, unde diximus testam, quasi lamellis aut ,, cuticulis invicem superadditis augeri, eodem colore plerumque est: ita ,, ut dubium non sit, quin inde, & non ex rore, ut vulgo hactenus cre- ,, ditum fuit, *Margaritæ* nascantur.

ISEFIORDÆ, qui est Sinus *Daniæ*, juxta *Roschildiam*, in *ostreis* & *Mytulis*, copia insigni quandoque reperiuntur *Margaritæ*, sed minores & impuriores *Norvagicis*. JACOBÆUS *l. l.* 1. 7. *p.* 34.

ISARA. Vide hic TOLLIUM.

Circa *JAPONIAM Margaritæ* nobiles nascuntur, teste CHAPEZEAU *l. l.*

JULFÆ, vel *JULFAR*, qui Portus est *Sinus Persici*, egregiæ sunt & nobiles *Margaritæ*, *Lusitanis* hinc *Perlæ Aljofar* dictæ. BOET. *l. l. c.* 36. *p.* 167 & CHAPEZEAU *l. l.*

KINZIGA; Vide supra *CYNTHIUM*.

KUCHENTEICHA; Vide infra *VINARIAM*.

LAPPONIAM non destitui suis *Margaritis* narrat *Joh.* SCHEFFER. *Lappon. c.* 33.

LOTHARINGIA ad *Vogesum* montem etiam *Margaritifera* dicitur BOET. *l. l. p.* 170. *c.* 37.

In *LUHÆ* rivo, ad *Winsam* urbem Ducatus *Luneburgici*, sæpe *Margaritas* repertas, quæ *Orientalibus* vix cederent; multas tamen esse immaturas; testis est oculatus speciminum possessor *Joh.* RIST. in der Alleredelsten Zeitverkürtzung / sive *Colloq. mens. Junii*, quo sibi sua, instar *Cygni*, fata canit extremo labore, *p. m.* 303. *ed. Francof.* 1668.

MANAAR, Insula non procul a *Zeylon*, celebris *Margaritarum* piscatura, quam describit *Herm. Nic.* GRIMMIUS *E. N. C. Dec. II. A.* 3. *Obs.* 36. *p.* 99. *& seqq.*

S. MARGARETÆ Insula *Oceani Septentrionalis* ad *Americam*: ut & ibidem.

S. MARTHÆ Insulæ alunt conchas *Margaritigenas*; teste CHAPEZEAU *l. l.*

MAURITANIÆ in *Maritimis* reperiri *uniones* non spernendos, sed parvos, testis est *l. l.* PLIN. ni fallor ex JUBA, ALEXANDRO *Polyhistore*, & SUDINE.

MEDITERRANEO in MARI, quod, *nostrum*, *l. l.* PLIN. vocat reperiri solitos *uniones* Idem ait.

NIDER, *Wetteraviæ* meæ amnis, *mytulos* habet, quos ipse quondam observavi, immaturo *Margaritarum* fœtu repletos. quærant porro, quibus idem ardor est, & commoda viciniæ occasio, & me indice discant sua bona nosse mei populares.

NILUS Ægypti fluvius Nutricius, etiam est *Margaritifer*. VELSCIUS *l. l.*

NORVAGIA Margaritas fert, quarum nonnullas magnitudo insignis, quandoque etiam splendor illustris ita commendat, ut *Orientalibus* vix cedere videantur. Pleræque autem lactescunt, aut splendorem argenteum habent. JACOBÆUS *Mus. Dan. l. l.* conf. *Olaum* WORMIUM *Mus.* I. 19.

ORMUZIA, Insula Sinus Persici, ubi omnium nobilissimæ & præstantissimæ Margaritæ habentur. BOET. *l l.* Ludovicus ROMANUS *Rer. Pers.* III. 2. *Joh. Hug.* LINSCHOTANUS *Navig. Ind. Or. c.* 84.

PANAMAM versus, in *Oceano Australi Americano*, capiuntur *conchæ Margaritigenæ*, quarum singulæ sæpe habent *quinque* vel *sex Margaritas.* CHAPEZEAU *l. l.*

PALANE, Promontorium *Indiæ*, *Margaritarum* feracissimum; sed parvarum, ideoque viliorum. BOET. *l. l.*

PERIMULA, Promontorium *Indiæ*, fertilissimum *Margaritis* est PLINIO *l. l.*

QUANTUNG, *Sinica* provincia, piscem habet quatuor oculis & sexpedibus instructum, ex quo *Margaritæ* habentur. *Joh.* NEUHOFF *Descr.*

Regni Sinic. c. 16. *Belgicæ edit. Amstelæd.* 1669. vide supra *AINAN*.

QVISSVS, Fluvius, vulgo Queiß / circa oppidum *Marglissæ*, tertio a *Gorlizio* lapide, generat *Margaritas*, candore, lævore, rotunditate & magnitudine singulari & laudabili. *Sam.* LEDELIUS *E. N. C. Dec. II. A.* 8. *Obs.* 150.

RABI ARX. vide supra *HORASDOVIZIVM*.

REGENVS, *Bavariæ* fluvius, quem describit GEIGER. *l. l. p.* 3. & cujus *Margaritas* idem late describit.

SCANIA inter Margaritiferas regiones WORMIO *l. l.*

SCOTIÆ plures fluvios esse *Margaritigenos* dixit *Auctor Memorabilium Britanniæ*, supra laudatus *l. l.*

SILESIA etiam *Margaritifera* est. *Nic.* HENELIUS *Silesiograph. c.* 2. *p. m.* 18. " *Quissi* arenosa littora *conchulas* alunt, e quibus *Margaritæ*, si-
„ ve, ut cum Poeta loquar, *baccæ concheæ* eruuntur: quæ extra *conchas*
„ etiam elegantissimæ ac pulcerrimæ in arena sæpe leguntur.

SINA. vide *QVANTVNG*.

STRACONIZIVM. vide *HORASDOVIZIVM*.

SVMATRA, quam TAPROBANEN credit BOET. *l. l.* feracissima est *Margaritarum*, sed parvarum ac viliorum.

SVECIA accensetur *Margaritiferis* regionibus a GEIGERO *l. l. p.* 2. &

SVSIANA a CHARETE apud ATHEN. *l. l.*

TAPROBANE fertilissima *Margaritis* Insula PLINIO *l. l.* & quidem *grandioribus*, quam *India*. Id. VI. 22.

THRACIVM circa *BOSPORVM* crebrius rufi ac parvi *uniones* reperiri solebant, in *Conchis*, quas *Myas* appellant; narrante PLINIO *l. l.* IX. 35.

TOIDIS Insula *Margaritis* fertilissima. PLIN. *l. l.*

TVTECORINI Indorum, celebris est *Margaritarum* Piscatura, de qua vide *Servat.* CLAVIUM, V. D. M. *Bataviæ Javanorum*, *Eph. N. C. Dec. A.* 3. *in Addend. ad Observ.* 36. *p.* 417.

VINARIÆ, in proximo Stagno, Kuchenteich dicto, *Carolus Georg.* EYBEN, *Med. Cand.* invenit *Conchas Margaritiferas*, inque earum una *quinque Margaritas*, milii granum exæquantes, mire splendidas, & *sextam*, quæ pisi magnitudinem attingeret, referens colore suo coctum carpionis oculum, ut suam nondum assecuta videretur maturitatem. *E. N. C. Dec. I. An.* 2. *Obs.* 228 *p.* 329.

VOITLANDIA. vide supra *ELSTRIAM*.

WATAVA, *Bohemiæ* fluvius. vide hic TOLLIUM.

YLISSVS, aliis *ILISSVS*, item *ILCIVS*, *ILSA*, *Bavariæ* fluvius ad *Passavium* in *Danubium* influens, de quo GEIGERUS *l. l. p.* 4. qui ejus *Margaritas* late describit. *Joh.* FABER, *Lynceus*, *l. l. p.* 758. *uniones* in hoc fluvio inventos narrat, & ex ore *Joh. Car.* L. B. a KIRCHBERG, *Canonici & Officialis Ecclesiæ Cathedralis Passaviensis* addit, "quod in flu-

„ violo


„ violo *Ilſa*, ob ſubjectum ſolum nigricante ſemper aqua conſpicuo, ad
„ determinatum ac trium ſolummodo milliarium ſpatium, *Conchæ Marga-*
„ *ritiferæ* naſcantur, quæ *uniones* in candore, lævore, magnitudine & orbe
„ aliquando etiam Orientalibus vix inferiores, producant. Cum ante com-
„ pluſculos annos ſedem ibi exercitus quidam fixiſſet, tam nobilis prædæ
„ avidiſſimi milites *Conchas* per totum illum fluvii tractum ſunt expiſcati,
„ ut vix paucæ ſuperfuerint: nunc tamen fluviolum earundem *Concharum*
„ copia abundare denuo; quod a ſeminio relicto & temporis progreſſu ad
„ maturitatem perducto eveniſſe, probabile. Locus tam religioſe cuſto-
„ ditur, ut nemini hic ſit licitum piſcari, præterquam *Epiſcopo* aut *Admi-*
„ *niſtratori.*

ZEELANDIÆ Belgicæ Mytulos marinos grandiores & pleniores habere ſecum margaritulas miliares, plus minus majores ac maturiores ipſe affirmo, qui non ſemel præſentibus Amicis eas exemi, & Curioſis ſpecimina inter mea Curioſa poſſum oſtentare.

ZEYLON, *Inſula* item *Margaritis* ſuis nobilis. BOET. *l. l.* ſed quæ tamen cum *Perſicis* comparari nequeunt.

Tantum, ſpeciminis loco, de Parentibus locisque natalibus *Margaritarum*; de quibus præter laudatos optime egerunt BOETIUS *l. l.* II. 36-41. *p.* 166-183. TAVERNERIUS *Itin. Indic. Gallice edit.* II. 21. 22. *Joh. Aur.* AUGURELLUS de *Chryſopœia* III. *vſ.* 209. *& ſeqq.* ubi elegantiſſimis verſibus PLINII & Veterum mentem exponit: *Petr. Andr.* MATTHIOL. *in* DIOSCORID. II. 4. ubi PLINIUM refutat. RONDELET. *de Teſtac.* I. 51. & paſſim *Medici*, qui de *Materia Medica* diſputaverunt. Modos *piſcandarum Concharum Margaritiferarum* apud *Perimudenſes*, *Indos*, *Ormuzianos*, *Scotos*, tabella ænea depingit GEIGERUS *c.* 5. *p.* 43. Egregius exſtat in *Bibliotheca Leidenſi* ACHMEDI cujusdam *Arabis* libellus de *Margaritis ex rore genitis*, dignus utique, quem Medicorum quispiam linguæ *Arabicæ* peritus in publicum *Latina* veſte indutum producat, optante mecum VELSCHIO. Pro Medicis adnoto, *Perlas*, quas vocant, *Orientales*, *Occidentales*, *Matrem Perlarum*, *Conchas præparatas* eſſe fere ἰσοδύναμα, experto fidem habeant. Sic cordatiores ubique etiam teſtantur Medici. ſed nempe alia ſupellex eſt ad uſum, alia ad ornatum & pompam.

Ex hiſce autem colligimus I. Paſſim in Orbe Terrarum generari *Margaritas:* II. easque in teſtaceis, maxime *conchis*, *mytulis*, *chamis*, *cochleis.* III. Eſſe tamen diverſas maturitate, lævore, candore, orbe, magnitudine, precio: *Tympania*, *Elenchos*, *Phyſemata*, & ſimilia. Sed pergimus. TOLLIUS Noſter magno molimine exquirere conatus eſt, rationem *dignoſcendi tempus proventus Margaritarum in Conchis.* Laborare noli: quando *Margaritiferæ Conchæ* hiant, id ſignum eſt *Margaritarum* maturitatis. *Sam.* LEDELIUS *l. l.* Porro TOLLIUS ſumma ope anniſus eſt, ſed fruſtra, ut *ſigna* certiſſima, quibus *fœtas Margaritis Conchas*, ab *inanibus*


Pag. 137.
Speculum clausum
A
B
D

nibus posset distinguere, sciret: verum hanc observationem gratis Idem LEDELIUS nobiscum *l. l.* communicavit: nam Testæ, quæ *Margaritis* sunt fœtæ, *signatæ sunt velut linea exaltata, in externa valva. Germani* dicunt: Sie zeigen auswarts einen erhobenen strich. Tandem ratio aperiendi *Conchas bivalvias* scilicet, absque ulla læsione, & eximendorum *unionum*, ac rursus *Concharum* in suas aquas, ad novum partum, immittendarum, quam artem adeo studiose TOLLIUS perquisivit; eam jam olim GEIGERUS generose cum Bono Publico communicavit. Ne Curiosi Lectores diu quærant librum vix obvium, ecce ipsius verba & *icones*: „ Diximus, ait, in *Conchis Margaritiferis*, *unionibus*, sine læsione *Concharum*, exemtis, iterumque in aquas dimissis, posse regenerari novas *Margaritas*. ad quod munus dexterius obeundum varia excogitavi ferramenta, quæ in addita icone videri possunt. Litera *A.* est *Culter*, quo juncturæ *Concharum* modeste aperiendæ: apertæ, ferramento litera *B.* nominato *Speculo*, quod *clausum* & *apertum* exhibetur, labia extendi in tantum possunt, quantum magnitudo unionis requirit. habes denique litera *C. Tenaculum*, & literis *D. D. D. Uncinos*, quibus commodissime *Margaritas*, ni promte exciderint, eximere poteris, ad imitationem calculi vesica extrahendi. Tantum de *Margaritis*, quas cum severioribus Patribus appelles *Concharum pustulas*, *duras* & *rotundas Verrucas*; cum Aliis, *Rubri maris grana* sive *baccas*; detesteris, ut *Concharum excrementum* aut *morbum*; æstimes *Concharum nucleos*, *partum*, *grandinem*, *callum*; nos putamus tamen, & hic Deos esse.

14. *Particulare.*] Quoniam hæ Epistolæ venient in manus plurium, qui *Sacrorum Chemicorum* sunt expertes, lubet in horum gratiam ex ipso TOLLIO hujus vocis expositionem petere *Manud. ad Cœl. Chem. p. 26.* ubi ait: „ Notandum, *Particulare appellari* Chemicis, non, quod *Pseudochemici* venditant ex *Cinnabari* vel *Sulfure Rubro montano*, vel *Lapide Lazuli*, vel *Mercurio*, & similibus: (Tale enim nullum verum *Particulare* datur; quia sine trunco, ut ait SENDIVOGIUS, rami frustra quæruntur:) verum cum *Mercurius* in *Saturnum*, *Saturnus* in *Jovem*, *Jupiter* in *Martem*, hic in *Lunam*, illa in *Venerem*, hæc in *Solem* convertitur, quæ Metamorphosis *sex prioribus* BASILII *Clavibus* docetur; tum vero opus hoc *Particulare* est. Nam cum *Sol Philosophicus* fermentatus, & ad augmentum multiplicationemque perductus est, *Universale* hoc appellatur.

15. Spes *Regni* &cc.] Abundat hic TOLLIUS suo judicio. notum est, quantopere hoc ævo ab omni *Successione Regia* ejusdem Gentis aut Familiæ abhorreant *Poloni*, vicinorum exemplis non tam territi, quam admoniti.

16. Plura *Regna*, & seqq.] Desidero hic aliqua ex parte acumen judicii

cii TOLLIANI. nam etiamsi *Poloniæ* REX *Turcas* in *Utopiam* usque debellatos ex *Europa Asia*que exegisset, etiamsi *sexcenta Regna* victricibus armis subegisset; tamen ea ipsa, non Sibi privatim, nec Filiis suis parasset; sed *Regno Poloniæ*, sed *Reip.* acquisivisset, transitura ad electum successorem. Sic *Borussia*, sic *Livonia*, sic aliæ regiones a *Regibus* prioribus devictæ non Gentis Regiæ, sed *Regni* fuerunt.

17. *Ardens Lardum.*] Didicit hoc a BASILIO VALENTINO, *Oper.* II. *p.* 152. ubi plura talia.

18. *Horologia.*] Tale, ni fallor, est, quod in Curiæ *Pragæ Veteris* turri spectatur, machina non minus arte, quam sumtu commendabili. Continet quippe revolutionem totius *Anni*, cum recto cursu *Solis* & *Lunæ*, numeroque certo *Mensium*, *Dierum* & *Horarum*. Indicat idem quoque *Ortus* & *Occasus Siderum*, *Solis* & *Lunæ Cursus*, *Solstitia*, *Æquationes*, quantitates *Dierum* & *Noctium*, *oppositiones situs*que varios *Lunæ*, cum discrimine *horarum* triplici. BERT. *Rer. Germ. lib.* III. *p. m.* 233. Porro *Francofurti ad Mœnum*, sub introitum in Templo *D. Bartholomæi*, simile sæpius spectavi *Horologium*.

19. *Patina*, cujus LAMBECIUS effigiem dedit.] Preciosa illa *Vindobonensis Bibliotheca* mihi ad manum non est: quærant itaque beatiori otio affluentes.

20. *Gemma* a RUBENIO exposita.] innuit *Alberti* RUBENII *Dissertationes de Gemma Tiberiana & Augustea. Antverp.* 1665. 4.

21. Nummus alter est *Aureus*, cujus nobis imaginem BECHERUS dedit.] scilicet *Oedipi Chemici*, *tit.* 7. §. 6. ubi addit; „ circa annum 1653. „ eundem *Adeptum*, qui *Pragæ* exhibuerat *Chrysopœiæ* spectaculum, „ etiam *Moguntiæ* in præsentia Eminentissimi Principis ELECTORIS, A- „ liorumque *Magnatum*, in sat magna quantitate præstitisse, cujus *Au-* „ *rum* etiam nunc reservetur: *Moguntinæ Monetæ Præfectum* testem es- „ se posse, qui ex tali *Auro* excuderit *Ducatos*. Hæc *Joh. Joach.* BECHERUS, cum omni sua *Chrysopœia*, qua Summos, Imos, Medioxumos inescarat, lactaverat, fascinarat, emunxerat, ne quid gravius dicam, quia nonnullis aliis meritis Illius nonnihil debetur, in *Pandocheo* sive *Xenodochio Londini* miser, squalidus, pauper mortuus, indigno fato. At quid vetat ipsum hic rarissimi divinique Spectaculi indicem *Nummum* in effigie expressa ære spectari?

22. *Arbori* inseri *Aureum* curasse *Nummum* &cc.] Mirum ergo *Pilam* non ascendisse in ipsam Arborem, si tanta fuit Sympathia *Auri* & *Pilæ*!


23. Suapte ad *Arborem* &cc.] Quæro igitur, qua ratione *Pilam* istam WENCESLAUS secum retinuerit? sane Alii Comites aut plus aut minus

Auri,

Nummi craſſities



In altera nummi facie ſequentia, eo quo poſita ſunt ordine, legebantur.



Auri, quam WENCESLAUS, secum habebant: si *plus*; cur *Pila* ad eos ultro non perrexit? si *minus*; cur ad *Nummum* in Arbore insertum perrexit, nec apud Dominum ditiorem remansit? scio, nugarum patronos dicturos; in *Arbore* fuisse *occultatum*, *absconditum Aurum*; at *Aurum*, quod quis in sacculis secum fert & habet, proprie *occultum* dici non posse. tanti scilicet est, bene distinguere! sic *Pila* animatur, & inter *Aurum*, quod homo secum fert, & quod in loco abdito reconditur, accurate distinguet! Effluvia Alii & Atmosphæram hominis hic opponent; quibus regero, hæc de *Pila* in fabellarum censu narrari a TOLLIO.

24. Cum ipse *Tincturam* in *Plumbum* &cc.] Facile quis regeret, veram *Tincturam* nunquam ab eo Alii datam. Certe de *Auro Philosophico*

Chrysophili certant, & adhuc sub Judice lis est.

Ego judicium suspendo. Video enim utrimque robustas acies: quas elegantissime committit SACHSIUS, *Medicinæ* decus, *E. N. C. Dec.* I. *A.* 1. *Obs.* 17. cui adde *Append.* in *Analect. ad A.* 4. *&* 5. *p.* 279. Strophæ & Imposturæ hic plurimæ fiunt. exempli caussa: 1. Quidam *bacillos ligneos*, quibus *Metalla* circumagitant, prius in Solutiones *Auri* & *Argenti* intingunt, & iis impraegnant. 2. Alii *Carbones* pulveratos solutionis *Solis* & *Lunæ* cum metallis miscent. 3. Alii *Atramentum* ex *Sole* & *Luna* temperant, quo *Chartæ* inscribunt materiam reducendam. 4. Alii in *Chartæ* scriptas *Literas* loco *arenæ* cum calce *Auri* Argentive aspergunt. 5. Alii *catillos*, habent, duplici *interstitio*, quorum inferius *Auro* vel *Argento* repletum, illudque in operatione dirumpunt. 6. Alii *baculis* utuntur intus cavis, *Auro Argento*ve plenis. 7. Alii *Carbones* implent *Auro Argento*ve, iisque *catillos* replent. 8. Alii clam summa celeritate *manibus* operi *Aurum* vel *Argentum* injiciunt. 9. Alii loco *Mercurii communis* sumunt *Amalgama Auri.* Sed plurimas alias, ultra XXIX. technas similes describit *Mich.* MEJER. in *Exam. Fucor. Pseudochym. p.* 32--37. CRUGNER. *Informator. Chymic. p.* 53.

25. *Veteres* illas *Gemmas* &cc.] Liceat hic, Sacratissime IMPERATOR, Augustissime LEOPOLDE! publicis votis ab *Augusta Tua Liberalitate* id contendere, ut totius Orbis admirationi publico libro, sed quem erudita manus componat, artifex dextra cælo exaret, exhibeantur *Gazæ* Tuæ *Augustæ* tot Curiosa, tot Rara, tot Spectabilia cum *Naturæ*, tum *Artis* Miracula! Sic Imperatoria *Austriacæ Domus* Gloria purpuram suam ubique terrarum venerabilem & hoc ingentis meriti nomine ostentaret!

JACOBI TOLLII

Epistola Itineraria V.

ITER HUNGARICUM:


A D

Perillustrem, Excellentissimum & Generosissimum Dominum

DOMINUM

DODONEM *BARONEM*

DE INN- ET KNIPHAUSEN, &c.



dus erant *Majæ*, cum conscensa navicula, prono *Danubio*, inter amœnissimas silvas *Posonium* profectus sum. Auctores erant nonnulli ex Amicis, uti terrestre iter eligerem: sed quod hoc ante hos duodetriginta annos confeceram, tractum potius lustrare riparum *Danubii* visum, fruique ea prospectuum voluptate, quæ ab adjacentibus pagis oppidisve præberetur. Nec pœnituit incepti. Siquidem ea viroris undique circumfusi, vernique temporis tepore efflorescentis tam læta amœnitas erat, eaque suavissimo cantu aures nostras demulcentium lusciniarum copia, ut mihi inter *Beatorum Insulas* vagari viderer, nec id *iter* esse, sed *exspatiationem voluptuariam* mihi imaginarer. Ac primum quidem recedentis *Viennæ* intuitus, tum ad latus alterum aperientis semet insulæ *Braderæ* longior procursus; ad alterum deinde *Ebersdorfii*, CÆSAREI Prætorii, atque illac prætervectæ tum forte, quinquaginta navibus, SCHERFFEMBERGIÆ *Cohortis* conspectus; post & *pagorum* quorundam, tandem & *Petronellæ*, & *Hamiburgi*, nonnullis *Antiquitatis Romanæ* Monumentis nobilium oppidorum notatus situs, delicias mihi qualescunque superabant. Dolebamque

tam



A. MAROS *oppidum, a Christianis ante sub tributo inhabitatum.*

B. *urbs* VICEGRADIA.

C. PLINDEBURGI *Castrum.*

D. *Mons, ex quo Anno 1595.* CHRISTIANI *Castrum oppugnarunt et expugnarunt, quod* TURCÆ *ceperant Anno 1543.*

E. DANUBIUS.

m cito abſolutum *decem milliarium* ſpatium, quod mihi plus iam dimidii diei moram meruiſſe videbatur. quanquam enim avicularii *Ebersdorfii* horarum aliquot traxerant moram, tamen ante *quartam pomeridianam* appulimus *Poſonii* navem. adeo hic rapaci curſu *Danubius* ſemet ipſe præcipitat. In his *Hungariæ* Urbibus deſcribendis prolixior paullo ero, quam fui in *Germanicis*, quod hæ notiores ſint.

2 Eſt igitur *Poſonium*, vulgo *Presburg*, nobilis *Hungariæ* civitas, non ampla tamen, quippe quæ meorum *paſſuum* circiter *duum millium quingentorum* circuitu contineatur. *Situs* ferme *triangularis* eſt, ſed inæqualis. Quod autem Urbis deeſt amplitudini, id ipſum a *Suburbiis* ſuppletur, quibus tantum non tota ambitur, iisque tam ſpatioſis, ut tres univerſæ magnitudinis partes facillime abſolvant. Oſtentabant illa etiamnunc triſtia atque deformia *Töckoliani incendii* veſtigia, necdum ex omni parte novorum ædificiorum ſubſtructionibus deleta. *Forum* pro Civitatis dignitate magnificum ſatis & amplum, *duobus*que, ſi contiguam proximi *Templi* aream adjunxeris, *Fontibus* exornatum, ædibusque pro copia *Hungarorum* nitidis ac ſplendidis circumdatum. *Templa* in Urbe *tria* tantum numeravi, nec plures *Portas*, excepta, quæ inter *Laurentianam* & *Suedericam*, parvula & militaribus eruptionibus deſtinata, quotidianis Civium uſibus patent: Abeſt *Laurentii Porta* a *Suederica* paſſus admodum IↃCC. *Tertiæ*, *Sancti Michaelis*, aureis inſcriptum literis: OMNE REGNUM IN SE IPSUM DIVISUM DESOLABITUR. Dolebam, cum hæc legerem, infelicium *Hungarorum* ſortem, qui ne ſic quidem moniti potuerint poſſintve reſipiſcere; verum etiamnunc pernicioſa ſeque Regnumque univerſum diſcordia peſſumdent. *Foſſis* eſt circumdata anguſtioribus, ab altera parte plane ſiccis; ab altera uliginoſis potius, quam profundis, in quibus *Ranas* alio modo coaxare audivi, atque apud Nos. ſonus erat, ut ſi ex cornu ſonuiſſes *Corroûk*. Nec munimenta ſunt arcendis hoſtibus. viſa eſt *Arx* ſufficere, quæ contiguo colli impoſita ſubjectam Urbem tuetur. *quadrangularis* ea & elegans, quod ad ædificium, quatuorque *Turriculis* ornata, quarum quæ *Viennæ* objecta, reliquis aliquantulo major eſt, & aſſervandæ *Coronæ* deſtinata,
3 poſtquam *Arx Plindeburgum* cum *Vicegradia* ab *Turcis* capta

 eſt.

eſt. & hanc quidem *Turrim* ſeptem ſeræ muniunt, quarum claves penes totidem *Hungariæ* Primates aſſervantur. Alias ipſius *Coronæ*, ut & *Arcis* Cuſtodia, jure Gentilitio, ad PALFIUM *Comitem* attinet, qui & *Burggravius* eſt, & in *Arce* commoratur: ſed quod hoc bello ſuſpecta *Hungarorum* fides fuit, *Arcis* ipſius cuſtodia *Præfecto* eſt commiſſa *Germano*, cui & *Germanicum* quinquaginta *Militum* paret præſidium. Tantundem ſub Se *Militum Hungarorum* habet *Burggravius*; videasque ad Portam excubantes *Germanum* ſimul & *Hungarum*. *Arcem* dixi *quadrangulam*, quod iſtius modi mihi in initio videbatur; ſed poſtea *longior* aliquantum, quam *latior*, viſa. Latus illud, quod *Meridiei* obverſum, præfluentem *Danubium* proſpicit, ipſoque aditu cæteris ſpecioſius eſt, dimenſus ſum; eratque ſupremum illius tabulatum LXXXIV. meos *paſſus* longum, ſi murum annumeraveris in vicinum occidentalem collem obverſum, *ſex paſſuum* craſſitie, totidemque æneis Tormentis bellicis munitum. Huc uſque ex ipſa *Arcis* area CXV. admodum *gradibus* eſcenditur *ſemipedalibus*. Cingitur *Arx* verſus *Urbem* duplici *Vallo*, tribusque rotundis, nec altis *Turribus*, *Foſſa*que modica: tum ipſe aditus ab eo, id eſt orientali, latere, *arte* ac *natura* ſatis munitus eſt: Verum, quod maximopere miratus ſum, qua Occidentem verſus *altiores* multo *colles* reſpicit, nec *foſſa* alicujus momenti, nec *vallum*, niſi peranguſtum, eſt, quodque ſolis *ſudibus* ab incurſu hoſtili defenditur: cum ipſe proximi *collis* ſitus in *munimenti Lunaris* formam a natura effictus ſit, levique opere *Arcem* ab hoc latere reddere queat munitiſſimam, ſi ſepiatur modo illique adjungatur. ſed nec priora illa munimenta ad præſcriptum Artis efformata ſunt, nec ſe invicem, ut militaris ratio exigit, reſpiciunt ac defendunt. In interiore area puteus eſt profundiſſimus, *Danubio*, ex quo ſcaturiginem accipit, æqua altitudine par. *Collis*, cui *Arx* impoſita, *petroſus* lapide ſciſſili eſt, intercurrentibus paſſim perelegantibus *Talci* aut *glaciei*, quam vocant, *Mariæ* venis, ad *duorum triumve digitorum* latitudinem, cujus penes me ſpecimen videre licet. Occidentem & Septentrionem verſus *Vitiferi Colles* nobile *Vinum* ferunt: in reliquas Mundi plagas amœniſſimus ex *Arce* in longe lateque patentes *campos*, pluribus *Danubii* interfluentis alveis diviſos, *proſpectus*

ctus & oculos & animum exhilarat. *Quatuor* enim ipſi mox Urbi ſubjectæ apparent *Inſulæ* , quarum *dextra* & *ſiniſtra* Palfii *Comitis* , *mediæ duæ* peculiares ſunt Civitati *Poſonienſi.* *Siniſtra* , cui *Wolſtruſſelæ* nomen , in *duo Germanica Milliaria* porrigitur : *Dextræ* , *Haberæ* minor amplitudo eſt : Priorem magnitudine *Civica major* , illis Grosburgereyland dicta, adæquat : altera , *Civitatis ſolum* , aut vernaculo ſermone Statts-Grund/ appellata, aliquanto minor eſt. Sunt autem hæ *Inſulæ* incultæ, ſicut & *Cæſaravia* , quæ vernacule eſt Kayſers-auw/ prioribus major multis partibus; pars, ut aliqui volunt , ſed fluvio ſejuncta , inſulæ *Schutæ ;* quæ, ſat culta ante hoc bellum , etiam nunc pagos nonnullos habet, fertilitateque ſpectabilis eſt. E prioribus omnibus *ligna* tantum petuntur , quorum uberrimam copiam lætiſſime creſcentes *Arbores* ſuppeditant. Sæpe & immiſſa *Armenta* , ſi quid in his
4 agri paſcui eſt , depaſcuntur. Munire has Inſulas *Aggeribus* , & ab inundante , verno tempore , *Danubio* vindicare , ignorentne , an ob vim fluminis nimis exiſtiment oneroſum , exquirere non potui. Induſtria certe *Hungaris* Militaris potius , quam Ruſtica aut Familiaris , ſuppetit. Sed ut *Poſonium* revertar , caput ea eſt *Poſonienſis Comitatus* , ſedes ha-
5 ctenus Archiepiscopi , & Palatini *Hungariæ.* Hinc & Civium hic multo cultiores mores , ædiumque & vivendi rationis major nitor ; quin & humanitas erga Hoſpites prolixior in *Diverſoriis* , quam *Viennæ.* Luſtravi ibidem , ſed raptim , inſignem *veterum Numiſmatum* congeriem , a Beerio, præclaro Viro , qui , dum vixit, Urbi *a ſecretis* fuit, ſumma cura collectam. In his animadverſi mihi multi *Græci Gothicique* , hactenus non viſi. Inter *Gothicos* quidam *duplici vultu* inſignes , quibus inſcriptum Biateg ; item Unno. Hos , ut & alios multos Maritum *Petronella* urbe accepiſſe Vidua aſſerebat. Inter *Græcos* erant *Syrorum* aliquot *Reges* notabili venuſtate. In *Latinis* vero Pertinax , Didius Julianus , Pescennius , Gordianus Afer, Julia Titi , Plotina , Pvpienvs , Balbinvs , Diadvmenianvs , Macrinvs , aliique rariores conſpiciebantur. Æſtimabatur tota *Collectio ;* in qua *undequinquaginta Aurei* , ſed vulgares ; *duobus Germanorum* ſive *Rhenanorum Florenorum millibus* , ſive *mil-*

le

le circiter nostratis Monetæ *Ducatonibus*. Vix Urbem relinquere potui, situs amœnitate, multisque, quibus eam Natura exornavit, dotibus illectus. Vidi hic primum eximium illud *Hungaricorum Arietum* genus, specioso ac decoro cornuum in multos gyros flexorum, inque longitudinem extensorum gestamine, tum & corporis mole nostratibus longe præferendum. post & *Hircos* vidi, pari cornuum elegantia & robore corporis spectabiles. nam de *Bubus Hungaricis* nihil dicere, necesse est, quod eorum proceritas & pulcritudo jamdudum sit celebratissima. At horum omnium tanta olim, sive ante hoc civile bellum, in *Hungaria* copia erat, ut ab ipso sæpe Patrefamilias Agricola *numerus* ignoraretur. Nec fabulas refero, aut *Vasconum* more cuncta in majus extollo: unanimis hæc omnium est confessio; & hinc tanta tum *Carnis vilitas*, tanta *Frumen-* 6
ti, *Panis*que, & *Vini*, ut vix fidem inventurus sim, si retulero. Est enim *Hungaria* ea fœcunditate fertilitateque, ut 7
nulla cum ipsa regio tota *Europa*, forsan & toto *Orbe*, possit comparari. Fidem habebis, Perillustris Domine, ubi rationem reddidero, siquidem totum fere *calce viva* substratum est ejus *solum*, quod subinde tam molle est, ut unico vertatur & exaretur equo. cum igitur crusta superior pluvia permaduerit, atque hæc ad *calcem vivam* penetrarit, tum exæstuans illa calidissimos exspirat halitus, qui subtus frugiferam istam crustam excalfaciunt, Sole, qui hic fervidus, desuper eandem fovente. Ex hoc igitur *humoris pluvialis*, qui in Terræ gremium descendit, *calore*, tanta oritur *fertilitas*, ut, semel leviter vertisse terram, sufficiat, quo luculentissimas *fruges* ferat: *Agrorum* vero *Pascuorum* tanta ubertas, imo luxuries est, ut ipse per *herbas* ac *gramina*, ad umbilicum usque meum ascendentia, non semel iter fecerim. Habet tamen, vel adfert potius, illa *calx viva* nonnihil etiam incommodi; corrumpit enim *aquas*, ita ut *Puteales* ferme omnes sint insalubres; so- 8
læ *Fontanæ*, vel *Fluviales*, nec hæ tamen omnes, tuto bibantur: *Vina* etiam *calculum* generant, & Podagricis infesta sunt. nec est, ut de eorum *fervore* quid dicam: multa eum millia experti sunt *Germanorum*; & hinc *Hungarica Febris* infamis est. *Græca* igitur hic consuetudo optima, qua ego multum usus sum, uti nempe *Bacchicus* fervor *Nympharum* frigore temperetur.

Posonio

Posonio susceptum iter *Jaurinum* versus. nam *Tirnaviam Trenschinumque* abire cupienti latrocinantium *Hussarorum* metus obstabat, quorum occursus ipsa *Turcarum* barbarie funestior est. cum enim hi spoliis & servitute captorum contenti sint, vitam relinquant; illi vitam simul & viaticum peregrinantibus eripiunt; estque eorum tanta immanitas, ut ne *Cursoribus* quidem CÆSARIS parcant, quorum interea, cum *Budæ* & in proximo essem, jam duos ab illis spoliatos interfectosque, accepi. Sub vesperam *Cohortem* SCHERFFEMBERGIAM assecutus, non sine quadam animi voluptate vitam rationemque iter faciendi militarem adspectabam. Ducebat eam *Marchio* BAGNIUS, *Mantuanus*, pro Tribuno. ergo mane & vesperi servatis omnes ordinibus, canentibusque signis adscendebant naves exscendebantque. Tum sub noctem accensi ignes, ciborumque & rerum necessariarum præparatio, castrorum metationis quandam speciem referebant: Mane vero *Classem* mihi videre videbar; erat autem hæc *quinquaginta navium*; ad pugnam proficiscentem. Navibus & his, & cæteris, deductioni Militum inservientibus, *decem Nauarchi* præsunt, quorum quisque *senos* sub se habet *Classiarios*, cum singulis *Proretis*. *Nauarchis* menstruum stipendium constitutum XVI. *Thalerorum Imperialium*, seu XXIV. *Florenorum Germanicorum*; Proretis XVIII. *Florenorum*, sive XII. *Thalerorum*; *Classiariis* vero XV. *Florenorum*, sive X. *Imperialium*. Præbebatur hoc, uti militibus, in *octo menses*, quod hibernis reliquis eorum nullus usus sit. hi sunt *December*, *Januarius*, *Februarius*, & *Martius*, quibus ipsis stipendia non procedunt: neque tamen, uti *Classiariis* Nostratibus solet, victus illis e publico præbetur; verum de suo victitare necesse habent. atque ita quidem *Posonio Budam* versus Copiæ transportantur: verum *Lintzio Viennam* venientes *duo* devehunt *Nauarchi*, quibus *centeni* singulis *Classiarii* additi; *naulum* vero pro singulis navibus in singula locorum spatia, non autem certum aliquod hisce stipendium persolvitur. Serenissimus ELECTOR *Bavariæ* ejusmodi *triginta* utitur *Nauarchorum* opera, quales illos esse *Posonienses* diximus. Horum omnium officium est, *Ornatum Bellicum*, *Militesque* & *Arma* a *Quæstore* descripta proximo *Quæstori* tradere, a quo syngrapham, testem perlatorum, ad priorem

T referunt.

referunt. Horum *Quæſtorum* in *Hungaria* quatuor ſunt: *Poſonienſis*, *Comaronienſis*, *Strigonienſis* & *Budenſis*. Ut autem de noſtris iſtis *Militibus* adhuc aliqua addam, didici etiam, non ita tamen, ut amplecterer, eorum religionem. Dies erat *Pentecoſtes*, cum Sacris, a *Monachis*, more ſolenni primo mane peractis, iterum conſcenſæ naves ſunt, ſuccinentibus notum illud, quod mirabar, *Lutheranum canticum matutinum Germanicum*, quod incipit: Auß meines hertzen grunde / Tibicinibus ac Cornicinibus; & ecce! cum hi, qui, in noſtra navicula, *Mantuani* illius *Marchionis Annonarii* erant, ut feſto die factum oportuit, Amicorum more cum Ruſticis egerunt, *omnia Amicorum*, ut vetus dictum fert, *communia* exiſtimantes: cæſa primum ligna, quod ea *Strigonii* percara erant; mox & pullos, tandem & juvencam cum Dominis diviſere, verum uti in Fabulis Leo prædam, inita cum ove, bove & capra ſocietate. nec alia Ruſticorum, quam horum animalium patientia ac taciturnitas; imo, quod vix credibile, tanquam in aula, non in caula, nati altique eſſent, læto vultu injuriam diſſimulabant, tantum non gratias agentes, quod pejora metuebant. TACITUM legiſſe eos, diceres, aut in HERODOTO hiſtorias *Harpagi* & *Prexaſpis*. tantum terror poteſt, formidoque fuſtis, cujusmodi pro merce pecuniam Miles hic Ruſticis liberaliſſime & cumulatiſſime plerumque, etiam nolentibus repræſentat. Aliquando tamen nova quædam Noſtros religio inceſſebat, ſic ut præſentibus nummis pullos emerent piſceſque, ubi turba major & fortior erat Ruſticorum, aut metus in proximo patrocinantis Domini. Hic ego *Carpionem* mihi *quinque groſſis* præſtinavi, qui 9
totidem convivis in cœnam ſuffecit; unde vilitatem conjicere licet annonæ Pacis tempore, florente Regno.

Jaurinum ſive *Arrabonem* appellentibus gratum objectum 10
ſpectaculum præcipuæ utriusque ſexus Incolarum partis, pleriſque Civium in Vallum, aut ad ripam, ſpectatum confluentibus: idque erat eo amœnius, quod, uti tam feſto die ſolet, veſtitu omnes erant cultiſſimo. In ipſo oppido, cui perluſtrando horam tribuiſſe ſatis viſum, omnia læto cantu, choreisque atque compotationibus perſtrepebant; ſpectabamque in *Diverſorio*, in quod levandæ ſitis gratia conceſſeramus, non ſine riſu, ſuaviſſimam humi deſidentium, cum vini poculo, Vetuli

Vetulæ-

Vetulæque e Gente *Slavica* procationem. Crede mihi Perillustris Domine, doluisse me, quod non esset mihi manus pingendi perita, quæ mihi par illud scitissimum, quicum nec *Satyri Silenive* comparandi forent, in tabella describeret, vivisque exhiberet coloribus. Vix, puto, OSTANIUS Pictor nostras suaviorem unquam dedisse imaginem diceretur. Certe videre mihi videbar HORATIUM cum LYDIA sua, aut cum CHLOE DAPHNIN de amore dulcissime garrientes: quin & Vetulæ iste *vultus nimium lubricus aspici*, ebriique Senis ocelli etiam nunc mihi ante oculos obversantur. Adsidebat in proximo sedili non ille Montium Custos, Silenisque familiare Numen, sed illo non multo formosior ejusdem gentis rusticus, qui Cyclopia arundine populare carmen stridebat. Abrumpebant, quam hinc capiebam voluptatem, temporis angustiæ, quod sibi oppidum ipsum vindicabat, modicum quidem illud, sed percommodo situ inter *Arrabonem*, *Rebnicium* & *Danubium* confluentes. hunc natura munitissimum ars adjuvit ita, ut, præter *Comaronium*, vix aliud firmius adversus *Turcarum* vim sit munimentum. Nec deest amœnitas, cum ex fluviis, tum ex agrorum late patentium, vicinarumque in *Danubio* Insularum, ac præcipue *Schutæ* prospectu. Figura oppidi *quadrangularis* mihi visa, intersecantibus sese decussatim Viis. *Arx* haud magni momenti: huic *Cathedralis Ecclesia* contigua est, & præter hanc in oppido, proxime *Arrabonem* est *Franciscanorum Templum* & *Cœnobium*: ad *Forum*, quod amplum est & spatiosum, judiciosissimi Ecclesiasticorum Pontificiorum *Jesuitæ* suum habent elegans plane & magnificum, uti solent, *Collegium Templum*que, e cujus regione *Columna*, qualis *Viennæ*, erecta in honorem *Divæ Virginis*, cujus in illa est statua. Proximus huic est *Carcer Subterraneus*, sive, ut *Mauri* appellant, *Mazmorra*, custodiæ *Turcarum* inserviens; in hac abjectioris; in altero, qui in platea quadam versus *Rebnicium* tendente, honestioris conditionis *Turcæ* captivi asservantur, quorum nonnullos & vidi & allocutus sum, homines ipso vultu dignitatem pristinam præ se ferentes. *Domus* oppidi nec splendidæ, nec sordidæ. *Viæ* ipsæ inelegantiores, quia non stratæ: *Suburbium* ultra *Rebnicium* fluvium est peramplum.

Hinc diſcedentibus in prææalto monte conditum oppidum apparuit, *Mons Sancti Martini*, ita enim appellatur, quod quatuor *Jaurino* milliaribus diſtare dicebant. ferebat quidem animus, & hoc luſtrare, ſed huic moderari, intuta itinera cogebant. Ergo prono flumine, per deſertos incultoſque campos, ſecundum Inſulam *Schutam*, *Comaronium* devecti invenimus, ad quod obſtupeſceremus; oppidum ſcilicet ab ipſis incolis initio hujus belli, cum *Vienna* obſideretur, & illam brevi captum iri, *Rebellibus* ſpes eſſet, incenſum deſtructumque. tantus illos invaſerat furor, ut ne ſuis quidem ſedibus parcerent, quo acrius Præſidium *Arci* inſidens oppugnarent. vix igitur ex illis flammis pernicioſis reſurgens triſtia tantum priſtini decoris oſtentat veſtigia. fuit enim, eſtque adhuc peramplum, ſpectatuque non indignum. *Quatuor* in Oppido *Templa*, *Turres*que his additæ ſpecioſæ, inprimis *Hungarico*, quod quondam *Lutheranorum*, adjuncta, cujus pro horum locorum ratione pulcerrimam ſtructuram ſummopere admiratus ſum: Alterum Templum *Germanorum*; Tertium *Franciſcanorum* eſt: nec *Patribus Societatis* JESU ſuum hic deeſt *Collegium*, quorum 11
hic *ſepteni* ſunt: Quartum *Raſcianorum* eſt, in quo *gemmis* & *auro* precioſiſſimus & vetuſtiſſimus *Sacræ Scripturæ Codex Græcus* adſervatur, cujus antiquitatem, falſo licet, ad ipſa *Apoſtolorum* tempora referunt. Incolæ plerique *Hungari*, & *Raſciani*, id eſt, qui *Græcorum* in Sacris & Cerimoniis dogmata & ritus ſequuntur ac amplectuntur; atque hi quidem prædivites ſunt: *Germani* perpauci. Vita illic vivitur, qualem nuſquam alibi animadverti, hilariſſima lætiſſimaque. ſinguli hic dies feſti videntur, & una per totum annum Encœnia. cauſſa eſt, Militum militariumque Ducum frequentia, agri vicini fertilitas, rerumque omnium abundantia. *Forum Viæ*que præcipuæ omni genere commeatuum obſitæ ſunt, quos ſequior tantum ſexus vendit, totus in *candidis veſtibus*. Hic autem loci velatum *Feminis maritatis* eſt caput, quod *Virginibus* tectum non eſt, ſed nudum capillitium, idque circulo quodam, duos digitos lato, & *coralliis* plerumque; in Ditioribus autem, *margaritis* diſtincto deſuper revinctum. Sed *Virginum* hic mihi perexiguus obſervatus eſt numerus: raro enim *tertium quartum*ve *decimum* ætatis *annum* attingunt, quin nubant. in his

enim



A. Templum vetus, et Hungarorum Cæmiterium prope vineas.
B. Oppidum Comorra.
C. Turris ſive ſpecula Hungarorum.
D. Templum Hungarorum.
E. Calcariæ Fornaces.
F. Comorræ Munimentum ſive Arx.
G. Templum Germanorum.
H. Turris Arcis.
I. Pons navalis.
K. Propugnaculum Pontis.



A. Templum Germanorum.

B. Turris Urbis.

C. Porta Aquatica.

D. Templum Hungarorum.

E. Arx.

F. Porta Weissenburgensis.

G. Suburbium.

H. Insula Schutta, in qua item Suburbium.

I. Danubius.

K. Rabus fluvius.

enim terris hoc genus fructuum citius, quam apud Nos, aut in *Germania* matureſcit, ita ut quæ ad *duodevigeſimum* ætatis *annum* pertulerint *Virginitatem*, jam in deſperatarum numero habeantur. Eſt namque *Hungarorum* natio *Virginum* amantiſſima; hinc ut integritatis illarum certi ſint, *duodecennes tredecennes*ve ducuntur: nec *Vidua* fere ulla, licet & juvenis & bella, attingitur. ita enim exiſtimant, ſemel Genialis expertam lecti voluptates, vix poſſe viduas jacere noctes, ſed amiſſi mariti ſolatium ab obſequio petere famulorum: unde infelices illæ plerumque *Germanis* in manum conveniunt, cum vix ulla ſuæ Gentis conjugii ſpes ſuperſit. Infeliciſſima ergo, in his oris, *Viduarum* ſors eſt, quæ cum Conjugibus ſimul & alterius matrimonii ſpe privantur. Vidi ego ex his, quæ nobili ortæ proſapia, nobilibusque junctæ Maritis, poſt eorum obitum, melioris conditionis deſperatione, *Balneatori* altera, altera *Cauponi* in manus convenerant. Oppido perluſtrato, *Arcem* ſpectatum abii, cui cuſtodiendæ *ſexcentorum* tantum nunc *Militum* Præſidium ſufficere viſum. Condita illa eſt ad confluentes *Wagæ* & *Danubii*, contrario, ſed non diſſimili alias ſitu, quod *Munimentum Schenckii* apud Nos, ad divergia *Rheni* & *Vahalis*, ad caput Inſulæ *Bataviæ*. Circumdedit prius Munimentum altero, quod multo amplius eſt, Comes PUCHAIMIUS priore bello anno C. N. CIↃ. IↃC. LXIV. nec ullum hoc firmius eſt, & hactenus invictum. Deducebar perhumaniter a *Vigiliarum Præfecto* per omnem *Arcis* circuitum, *quatuor*que ab Eo hujus *Arcis* memorabilia referebantur: „ I.
12 „ Milites Præſidiarios hic *panem* accipere ad *Teſſeram*: " II.
„ *Vigilias* agi ſuper *Virgine*: III. *Liberos* a Militibus procrea-
„ ri ſuper *Templo*: ac tandem IV. ſed præfandus honos eſt,
„ *onus naturæ* deponi in *Libram*. Et in hoc ſibi ænigmate mire placent, quod, Perilluſtris Domine, Ipſis Aliisque explicandum tantisper relinquemus, ne ſua Eos voluptate defrau-
13 demus. In *Arcis* area *Monumenta* illa *Antiqua* vidi cum *Inſcriptionibus*, quarum exempla *Eduardus* BROUNIUS, *Anglus*, in *Itinerario* ſuo publicavit: unam alteramque ex his ab Amico acceptam in meis Ego ad AUSONIUM *Notis poſteriori-bus* jam olim vulgavi; nunc autem accuratius cum ipſis *Lapidibus* contuli & correxi.

Hinc *Iwarinum*, ſive *Neuheuſelam*, adverſo *Waga* flumine, profectus, miſerandum in modum deformatum incendiis & ruinis oppidum, paullo poſt meridiem, ingreſſus ſum. Hic mihi eadem, quæ BUSBEQUIO, fortuna obtigit. Narrabat 14
Diverſitor meus, qui expugnationi interfuerat, plures quam *quadringentos* ſe, una cum Manipularibus, *Turcicos Libros*, quos in *Bibliotheca Morabodi*, ſeu *Sacerdotis*, cujuſdam, hominis, præter quam *Turcarum* fert conſuetudo, literatiſſimi repererat, in ignem conjeciſſe. pro hoc ego ingratiſſimo mihi facto dictoque vicem reddidi, repoſuique, me ſingulos ſingulis minimum *Thaleris* fuiſſe redemturum, ſi ſervaſſet. ſic ego hominis illius protervam militaremque malitiam ſera nimis pœnitentia caſtigavi: nil enim magis doluit, quam quod tantum pecuniæ tam levi opera potuiſſet lucrifacere. Cum igitur *Librorum Turcicorum* coemundorum hic nulla eſſet copia, *Templorum duorum* ruinas perveſtigavi, ibidemque has *Inſcriptiones*, au- 15
reis literis, parietibus inſcriptas deſcripſi: quarum altera erat extus ſupra januam unius *Templi*; altera intus in parte quadam adhuc integra *chori* alterius *Templi*, cætera diruti. Aſcendi & integriorem *Turrim*, oculosque in quaquaverſum late patentes 16
campos multa cum jocunditate dimiſi. *Templum* alterum, ut dixi, totum erat dejectum; alterum *quadratum* non ita corruptum eſt, quin paucis impenſis reſtitui poſſit. in lateribus feneſtræ erant amplæ & rotundæ, intus fornices a columnis ſuſtentati Porticus ſuffulciebant peranguſtos a duobus lateribus. Cætera non ita cognoſcere licuit, quod obturatæ fores introitum negabant, niſi quod tectum fornicatum fuiſſe animadvertebam: Quadro *Templi*, verſus orientem Solem, *Chorus* adjunctus erat, forma rotunda: *Turris*, ad introitum, meridionalem angulum occupabat, nonnihil a Tormentis læſa. *Oppidum* ipſum parvum, in quo nulla domus integra: *Portæ* tantum *duæ*. Cæterum non ita illud munitum offendi, ut illam famam, quam obtinet, mereri videretur. *Sex* enim *propugnaculis* tantum includitur, &, præter illa, nihil amplius habet, quo ſe tueatur. Fluvius enim *Nitria*, rivus potius, quam flumen, nullo tutamini eſt, & aliquantulum a Foſſis remotus. aditus ad oppidum undique opportunus eſt. Mirabar necdum redimpletos æquatosve oppugnantium *Cuniculos*, *Aggeres*que

Tormen-

Neuheuſelæ ad Templum Turcarum ſupra Januam; aureis literis ſcripta.

Iſta literis aureis inſcripta erant ibidem.

Neuheuſelæ in choro alterius Templi Turcici.



Tormentarios; multoque etiam magis perruptum *Vallum*, vixdum leviſſimo opere clauſum potius, quam redintegratum; ita ut ne triduum quidem revertentibus ad oppugnandum *Turcis*, quod Deus avertat! reſiſteret. Atque hinc & aliunde deprehendi animadvertique in *Cæſareanis* tantum, tamque inſo-
17 lentem, *Turcarum* contemtum, ut nullum ſibi ab his periculum metuant: cujus ego temeritatis, in bello peſſimæ, metuo, ne citius opinione pœnas dent; adnitentibus præſertim clandeſtinis Cæsaris hoſtibus, quorum fraudes utinam Auguſtus & optimus Imperator evitare ſemper poſſit! mirificæ enim convellendæ ejus magnitudini inſidiæ ſtruuntur. Prædixi ego, & cum adhuc *Budæ* eſſem, & *Viennæ*, nonnullis Amicorum, bene actum iri cum *Cæſareanis*, ſi non inſigni quodam detrimento afficiantur: tantum abeſſe, ut quid dignum ſpe vel exſpectatione univerſi *Chriſtiani Orbis*, dignumque proximæ æſtatis victoriis ac ſucceſſibus patretur. verum ne ſutor ultra crepidam. *Iwarinum* repetam, quod *Turcis* perquam lucroſum erat, uſque ad ipſa *Poſonii Suburbia*, ad exigenda tributa militaria excurrentibus. hinc nata Præſidiariorum pervicax pertinacia, ut ſe concidi maluerint, quam oppidum dedere. Regio circum omnis feraciſſima eſt, & *trecentis*, aut amplius, ut mihi narrabant, *pagis vicis*que frequentata, qui ante annum C. N. cIↃ. IↃC. LXIV. una cum oppido *Hungarici Archiepiſcopi* poſſeſſionibus annumerabantur. Reſtitutos quidem Illi a benignitate Cæsaris agros, ajebant; verum quod oppidum attinet, necdum quid certi a Cæsare decretum.

Proxima *Iwarino*, ad Montana tendenti, *Nitria* fuit, *Epiſcopi* ſedes, capta cum *Arce* & recepta priore bello *Turcico*. etiam hic animum immanem *Rebelles* expleverant, oppidumque incendio fere totum deleverant: quod nunc vix ac ne vix quidem reſurgit. Præterlabitur eam, qui & nomen dedit, fluvius *Nitria*, qui ſecundum *Iwarinum* fluens, *ſexto* abhinc, *uno* ab *Iwarino* milliari *Wagæ* flumini miſcetur. *Arx* præruptæ celſæque rupi impoſita, quo oppidum proſpectat, latere, leniter acclivi faſtigio aditur, hinc arte, illinc natura munita: niſi quod mons proximus nocere poſſe videbatur. Iter porro non ſuſpectum modo, ſed & infame latrociniis, tutum comitatus reddidit, proſequente uxorem ſuam *Trenſchinum*

diſce-

discedentem Primo Vigilum Præfecto *Comite* MORAVITZIO. Inde per uberrimam frugum vallem, inter fertiles colles in quinque & amplius milliaria porrectam lætissimum iter fuit, hinc & illinc ad singula passuum millia *Pagis* occurrentibus, ut & *Castello* non contemnendo ad vicum *Lutanicium*, *prædio*que *Patrum Societatis Jesu*, quod mihi procul intuenti solennem istorum Sacerdotum elegantiam videbatur indicare. Soli autem uberrimi tanta est lætitia, ut ibi sine ulla annua lætificatione, aut stercoratione, aut interposita quiete, injiciant frumenta Secalis, & alia. Solum Triticum aliquam stercorationem poscit.

Topolschani, modico oppidulo, percommodum aliquod incommodum mihi accidit. Habebam comites duos tum temporis, *lixam* alterum, alterum *Præcursorem Militarem*. Hos de præstantissimis quibusque *Hungariæ* Urbibus interrogans, *Caschavia*, *Zathmaria*, *Tokajo*, *Eperia*, & cæteris, rogo tandem, quot *milliaribus* ab *Eperia* remotum esset *Mongazium*: audito, *quatuor*; dolendum, subjicio, non licere mihi & illud propter bellum visere. alias enim illius spectandi lustrandique percupidum me esse. quid quæris? forte dum ibi me ex via *trium Hungaricorum milliarium* reficio, quam pedibus confeceram, quod Rustici equos bovesque, præ metu ad exercitum coeuntium militum in silvas abdiderant, *nongenti* circiter istuc *Milites* veniunt *Trenschino Strigonium* petentes. Meus ille *Præcursor*, quod videret me ad *Veredarium Publicum* euntem, ut *equo* reliquum viæ *Trenschinum* versus isto hoc die absolverem, defert me ad *Minorem Vigilum Præfectum*, tanquam *Speculatorem Tæckolianum*, quasi dixissem, me quavis arte ac modo *Mongazium* penetraturum. rogor, *cujas sim*, *unde*, *quo eam?* similesque quæstiones militares. respondeo accurate, nihil adhuc suspectans mali. jubeor tamen exspectare *Majorem Vigilum Præfectum*, additusque custos *Miles*. queri ego de injuria, ostendereque meas a *Curopalata* AUGUSTÆ, *Comite* WALDSTEINIO; & inprimis a *Comite* ROSEMBERGIO, *Cameræ* CÆSAREÆ *Præside* commendatitias. plus tamen mala suspicio, quam bona caussa valuit. post paullo tamen inter colloquendum intellecto meo *Medicinæ* & *Chemiæ* studio, quod & ipse *Chemiæ* operam dedisset, ejusque esset admirator & amator egregius, discussa hæc nubecula est vini

poculis

poculis aliquot; & mox adventu *Majoris Præfecti*, qui mihi statim cœptum iter persequendi facultatem concessit. Irritatus tamen ego, quod plures eadem via adventare *Milites* audieram, nec *Trenschinum*, nisi animi gratia, tenderem, mutavi iter, prioreque instituto omisso aliam viam ingredior, quæ *Schemnizium* ducebat.

Hic mihi Divinæ Providentiæ meique curæ, quam toto itinere infinitam expertus sum, narrare exemplum lubet. Assumo *Topolschani* ducem itineris in proximum pagum *Boschanum;* quod via & æstu, qui eo die insignis, defatigatus, ulterius haud possem: ac erat mihi prima domus ob spem levandæ sitis gratissima. Dominus ædium, *Sutor Crepidarius*, duci meo amicus erat familiaris; ergo recipior hospes & comiter habeor. Huic forte famulus erat, opifex, *Michael* RIEGEL, natione *Sclavus*, patria *Schemnizensis*, & in *Fodinis Metallicis* per *annos tredecim* exercitatus, qui, præter *vernaculam linguam*, *Hungaricam* perfecte, *Germanicam* & *Latinam* hactenus tenebat, ut intelligi posset & intelligere. hunc mihi ita commode, & quasi divinitus, oblatum, per *Hungariam*, ducem assumo; nec pœnituit. Nam absque Illo multis ob imperitiam *linguæ* incommodis, fortean & periculis fuissem expositus. sed hoc nihil est, præ illo altero. *Trenschinum* visenti proximum deinde *Montanorum oppidorum*, quæ ob *Metallifodinas* adire constitueram, fuisset *Cremnizium*. & ecce! nunc *Schernovizii* mihi *Cameræ Comes*, sive *Camergravius*, ut vocant, occurrit generosissimus Baro VIECHTERUS, cui meæ commendatitiæ tradendæ erant, *Viennam* tendens. Sic injuria iter mutare cogens effecit, ut in Illum Ipsum inciderem, sine quo non multum sane totum mihi iter profuisset.

Sed redeundum est *Topolschanum*. Evenit hic *Præfecto* Illi *Vigilum Minori*, me præsente, res perquam ridicula. Accedebant ad Eum *duo Mendici*, qui *tutelarem militem*, *Salvam Guardiam* vulgo vocant, petebant, idque gratis, sive, ut loquebantur, *pro Deo*. *Præfectus* animi primum gratia suique exhilarandi id fieri ratus, ubi serio rem geri videt, mirari primo, rogareque, *num Se ludibrio habeant?* mox suaviter una mecum ridere cœpit. atque sane risu res erat dignissima. quid

V enim

enim *Mendicis* a *Milite* eriperetur? quis nudis veſtimenta detraheret? *rarus*, inquit Ille, *venit in cœnacula Miles*: at quantum a *cœnaculis* abeſt *Mendicorum caſa*? ſed latebat dolus. In eorum namque *caſulam*, velut in *adytum* quoddam ἄσυλον, nonnulli Incolarum res precioſas abdiderant: juſſi igitur ſunt, abire in malam rem, aut pro *tutelari Milite*, quod deberetur, perſolvere.

Boſchani ſpectaculum mihi oblatum non viſum hactenus, nec ingratum tamen. Deſcenderam circa *nonam Veſpertinam* in *Nitriam* fluvium, collectas ex itinere ſordes abluturus. vixdum egreſſo obviæ veniunt *Puellæ* & *Feminæ juvenculæ* complures in induſiis & ſubuculis interioribus, quæ conſpectum meum nil veritæ, omnes ſeſe in flumen conjiciunt, natatuque ſe exercent ſtrenue. credo ego, ſi quæ veſtem mihi cuſtodiendam tradidiſſet, ut Illa apud ARISTÆNETUM *Epiſt.* I. 7. totam illam me *cantilenam Græcam* e veſtigio fuiſſe recitaturum: non enim minus ſtupebam; & erant ex his aliquæ venuſtulæ, quæ vel *Priamum* aut *Neſtora* commovere potuiſſent, nedum me ætate viridi vigentem.

Poſtridie, non tam venuſto, quam Dominis utili, ſpectaculo ruſtico memet oblectavi. *Pagus* erat cum *Caſtello*: *Pago* autem *Novæ Weſæ* nomen. in ejus conſpectu tanta per agros agricolarum utriusque ſexus opus facientium frequentia erat, ut cauſſam rogare non puderet. Erat in agrorum quaſi carceribus arbitra operis Domina. Hanc ſalutare officii mei exiſtimans, cum juxta viam carpento vecta opus urgeret, rogor ab ea, poſt aliquantuli temporis colloquium, ut, quoniam hunc ſibi honorem habuiſſem, ne eundem & Filio ſuo denegarem; monſtrabatque *Caſtellum*, ubi commoraretur. Ego, ne inofficioſus viderer, & promiſi, & præſtiti. Nomen huic Viro Nobili erat *Stephano* GORWATO, ſive, ut more *Hungarico* loquamur, GORWAT *Iſtvan*: ſolent enim *Hungari* poſtponere *prænomina*, gentis ſive familiæ ſuæ nominibus. uti *Mater*, ita & *Filius* humaniſſime me excepit, &, quod tempus *prandii* inſtabat, nihil tale cogitanti amicam vim intulit, coegitque, Sibi eſſe convivam. *Carpiones*, *Truttæ*, *Cancri* ponebantur, cibi etiam ſatiato non ingrati. *Vinum* vero non *Hungaricum* modo optimum, ſed &, de quo merito dici potuiſſet notum illud:

illud: EST, EST, EST: liberaliter propinabatur. Rogabat me Nobilis Hospes, *Linguæ Latinæ* ad sermonis facilitatem peritus; *cujas illud censerem?* ego vero, quod ne dubitandum quidem existimarem; *Tokaji*, inquam, *natum. Imo vero*, ait Ille, *ne quid felicitati* CÆSARIS *deesse existimes, etiamsi quando* Hungaria *forte nullum suppeditet Vinum*, Croatia *huic mater est.* mirabar ego, qui & *Lutebergense* non semel bibissem, quod de eo nihil in *Croatiæ* confiniis inaudissem. dum ita Nos *Vinum* hoc bibendo laudamus; nullus enim *Bono Vino* melior veriorve haberi honos potest; *mensa secunda* infertur. Hic meus Hospes, *Domine*, inquit, *Vinum bonum e Croatia dedi, dabo & aliquid, quod in Tua patria natum est:* dixeram enim me *Batavum;* & simul ostentat *Butyrum.* Jovem ego lapidem jurare ausim, suavius aut melius me nunquam apud nos degustasse. Ergo damnare tacite mecum humanam consuetudinem cœpi, huic vel illi tantum rei notam aliquam bonitatis adscribentium. nam ut *Vinum optimum* appellari solet vulgata voce *Vinum* Cos; ita & *Butyrum* hoc merito idem sibi cognomen vindicabat. Erat enim *Colore*, *Odore*, *Sapore* optimo: neque fictitius factitiusve hic color e *succo florum Calendulæ*, sed naturalis, flavescentis metalli non dissimilis.

19 Tandem per montes & valles *Schernovizium* veni. sed antequam eo pervenirem, quoties ego *Milliarium Hungaricorum* damnavi, ne quid sequius dicam, longitudinem! credo ego illos, qui primi *Hungarica Milliaria* dimensi sunt, apprime bene potos fuisse, & quod, *Milliare Germanicum* a bono Viatore *sesquihora* absolvi posse, audissent, in *equis* maluisse dimetiri, quod pedes officium non facerent: ita, dum *equis* insuper calcaria subdunt, ad ejusdem temporis mensuram, Viæ spatium duplicarunt. *Schernovizii*, uti supra memoravi, obvium habui *Camergravium* VIECHTERUM, Cui commendatitias mei ad Ipsum literas tradidi. Hic non modo perblande &
20 liberaliter me excepit, convivioque adhibuit, sed & singulas ad singularum *Fodinarum Curatores* literas dedit efficacissimas. Cum enim *Schemnizium* venissem, patuere mihi, lectis illis, omnia, quæ desiderabam.

Medio vero itinere, *Hoderizii*, Tabernis tribus distinctam

Officinam CÆSAREAM *Fuſoriam* perluſtravi, ubi varia *Metalli* genera, prout *Argenti* ditia erant, uti VIII. X. XII. XVI. & plurium *Unciarum* in ſingulos *Centenarios*, ſuis digeſta locis, cætera apprime bene diſpoſita erant. hic multa, quæ ad *Argenti Foſſilis fuſionem* pertinebant, didici, nonnullisque fruſtis donatus ſum, ſic ſatis ditibus, ita ut e *centenario Mineræ* elicerentur *ſeptuaginta Argenti puri Semunciæ*. Oſtenſa illic mihi *materia foſſilis Sulfurea*, itemque alia *Martialis*, quarum additamento *Minera* facilius liqueſcit, *Argentum*que a fæcibus ſecernitur: quod ſi vero in *proportione*, vel *ignis adminiſtratione*, peccetur, multum ſæpe damni faciunt. Vidi enim illic *ingentes* jam *moles*, non tantum *fruſta*, *confuſæ* cum *Minera materiæ*, in qua plurimum *Argenti*, nonnihil & *Auri*, latere, ipſi fatebantur, quæ omnem Ipſorum induſtriam eluderent. Sumſi mihi inde *fragmenta* quædam quovis ferro 21
duriora, ut & ipſe aliquando domi experiar, ecquid mea ars inde poſſit extrahere. In proximo *Caſulæ* erant, pauperiori *Mineræ* ſudibus in *pulverem*, aquarum ope molas vertentium contundendæ, unde *Argentum* deinde lotione excernitur.

Schemnizium ipſum quod attinet, præaltis illud montibus incingitur, inæqualique ſitu nunc valles occupat, nunc montium radicibus ſenſim aſſurgit: modicum oppidum, & pro Incolarum numero ſatis opulentum, ſuppeditantibus *Metallifodinis*, 22
quæ hic plurimæ, & quidem *Argenti* quædam prædivites, reditus haud contemnendos ſuis poſſeſſoribus, inprimis autem CÆSARI, ut mox oſtendemus. Verum multum ſanguinis iſtius Crumenarii *Pater* Ipſis JOSUA, nobilis ille *Rebellium Hungarorum Dux*, ante annos pauculos detraxit. Hic enim explorato die, quo CÆSAREUM *Argentum* ſolet *Cremnizium* ad *Monetam* devehi, cujus tum forte copia ad *mille ducentas trecentas*ve *Marcas* congeſta erat, per cognitas ſibi ſemitas, aut ab hujus conſilii auctoribus & fautoribus commonſtratas, cum *ſexcentis*, aut amplius, *Militibus* repente advolavit, & perterritis, ac in fugam diſſipatis *Cæſareanis Procuratoribus*, non modo *Argentum* illud omne abſtulit; ſed & omnes CÆSARIS *Officinas*, & ipſorum Civium ædes facultatesque incendit ac diripuit, ad quas facilem aditum Panicus Ipſi *Cæſareanorum* terror patefecerat. Potuerat illud damnum facile averti, ſi Ruſtico

stico *adventum Hostium* nuncianti fides habita fuisset: at hic quidem miserrimus mortalium, quod res ea videbatur incredibilis, & ad perturbandos Oppidanos conficta in carcerem conjectus, mox aufugientibus *Procuratoribus Cæsareanis*, una cum carcere incendio absumtus est, eripiente illis miseri hominis memoriam, qui & mentem eripuerat, terrore. nam si ea integra ipsis constitisset, quod nec diffiteri jam ipsi ausint, repelli facillime *Pater* JOSUA potuerat, adnitentibus præsertim *Præsidiariis quinquaginta Militibus*; quorum *Dux*, ut Virum fortem decuit, in *vetus Castellum* se subduxerat, permissa *Hostibus* impune cuncta diripiendi facultate: sed nec *Argento* CÆSAREO, quod in alterum, seu *Novum Castellum* jam delatum erat, ullum fuisset periculum, nisi id ipsum ad CÆSAREAM *Metallifodinam* retulissent, in cujus latebras nonnulli *Metallicæ rei Præfectorum* reculas suas abdiderant; sed hoc frustra, prodentibus eas ipsis, quibus utebantur operis. Ita Ille cum præda incolumis abiit, tristemque plurimis Sui & *Curuzzorum* nominis memoriam reliquit. *Rebelles* autem *Curuzzi*, imo nec alio per *Hungariam* nomine, vocantur, indita Sibi ipsis a *Cruce* appellatione, qua, injuste se a CÆSAREANIS omni *cruciatuum* & *persecutionum* diritate affici, denotare voluerunt; indito CÆSAREANIS cognomine *Labanicorum*, a temeratæ multoties datæ fidei exemplo, ex historia LABANIS & JACOBI *Patriarchæ* petito. Situs igitur, uti dixi, oppidi inæqualis est, sed non inamœnus: aer frigidior, sed saluber; ingenia Incolarum ad omnem humanitatem proclivia, plurimaque optimis Artibus & Literis exculta: inter quæ primis auspiciis visus mihi est *Doctor Medicus* HELMBACHIUS, qui *Argenti mineras* ostendit mihi longe ditissimas: Porro mihi *Johannis Christophori* RAUSCHERI, *Juris Utriusque Licentiati* & *Civitati a Secretis*, Viri ad omnem comitatem facti, inexspectata & elegantissima Eruditio plurimum voluptatis ob Studiorum attulit similitudinem: jam vero si *Michaelis* GLANSCHICKII immortalem transeam humanitatem, & injurius in eum merito videri queam, & ingratus. Hic enim CÆSAREANORUM a *Metallis Proventuum Dispensator*, sive *Quæstor*, quem Ipsi vernacula *Germanica* vocant lingua Einnehmer, adeo me omni officiorum genere devinxit, ut iis digne commemorandis, nedum repen-

pendendis, vix sufficiam. Erit tamen, spero, tempus, cum, si non pares, certe debitas gratias referam; nunc, quid humanitatis præstiterit atque benevolentiæ, explicabo. Acceptis is literis, quas VIECHTERUS, Vir Generosissimus ad Eum, ut supra dixisse memini, Commendatitias dederat, non modo omnia mihi officia prolixe promisit, sed & cumulatissime præstitit, misso, qui sibi a Secretis, cum equis, uti ad Fodinam me deduceret, *dimidiæ* circiter *horæ* spatio ab Oppido disjunctam. Deduxisset Ipse, ni valetudo obstitisset, quæ curam corporis imperabat attentiorem. priore die; nam *biduum* considerandis omnibus insumtum, ostensa mihi & *Operarum Multitudo*, & effossi *Metalli*, secundum illius *opulentiæ* diversitatem, in distinctos *Loculos*, *Segregatio*: tum & *ejus* e cavernis seu ductibus subterraneis, Molarum ope, *Extractio*; nec non *quatuor Molarum* assidua versatio, ad exhauriendas e *ductibus*, in puteos, *aquas corrivatas*. his singulis *sedeni Equi*, cum *quaternis Rectoribus*, juncti: & *Equorum* quidem *quotidiana opera* continuarum *quatuor horarum* est; succedentibus, post illud tempus, in defessorum locum, recentibus; *Rectorum* vero, uti cæterarum *Operarum* omnium, diurnus labor *octo horarum* est, excipientibus, continuato noctu diuque opere, integris fatigatos. Hujus *octo horarum* laboris cuique præmium in dies singulos *Grossi quaterni semis*, quorum 23
viginti Florenum Germanicum, *triginta Imperialem* adæquant. Iniri jam facile *Pecuniæ summa* potest, quæ *singulis* in hos *Operarios* erogatur *hebdomadis*, cum ipsorum numerus ad *bis mille & centenos* accedat. Sæpe vero & ultra debitum con- 24
dictumve tempus *Operarii* manus suas locant: ita ut *Expensarum* non adeo certa ratio sit, uti nec inde provenientis *commodi*. ut plurimum tamen in singulas hebdomadas *quina* vel *sena millia Florenorum* expenduntur, raro ad *octona millia* sumtus accedunt. At tum quoque, pro ordinario *mille ducentarum aut trecentarum Marcarum Argenti* hebdomadario proventu, *mille quingentæ* aut *sexcentæ*, & amplius, colliguntur. His 25
Operis, & universo *Operi*, plures præsunt, quorum *dignitatem*, *nomina* & *numerum*, uti ea tum fuerunt, & mecum communicata sunt, hic *Germanica* illis familiari lingua apponere, non ineptum nec injucundum fore existimavi:

OFFI.

OFFICIERER:

I. Inspector : Herr Johan Georg Bosch.
II. Einnehmer : Herr Michael Glanschick.
III. Buch-halter : Herr Wolff Ferdinand Hebenthaler.
IV. Secretarius : Herr Simon Leopold Rieder.
V. Schaffer auff dem Windschafft: Herr Christoff Anger.
VI. Hütten-Bereiter : Herr Daniel Ferdinand Singer.
VII. Gold-Scheider : Herr Abraham Seids.
VIII. Berg-Meister : Herr Albrecht Gruber.
IX. Vier Uber-Reuter.
X. Sechs Hütten-Schreiber.
XI. Sechs Hütt-männer.
XII. Geschworener Probierer: Herr Matthias Himmelreich.

ARBEITS-LEUTE:

I. Drey Schicht Kunst-zieher : jede Schicht zu 240. Personen : seyn zu sammen : 720.
II. Drey Schicht Häspeler : jede Schicht zu 130. Personen : seyn zusammen: 390.
III. Drey Schicht Hund-Stösser : jede Schicht zu 28. Personen : seyn zusammen: 84.
IV. Drey Schicht Zimmer-männer : jede Schicht zu 22. Personen : seyn zusammen : 66.
V. Drey Schicht Leerheyer : jede Schicht zu 34. Personen : seyn zusammen: 102.
VI. Drey Schicht Anschläger : jede Schicht zu 9. Personen: seyn zusammen : 27.
VII. Drey Schicht Longheyer : jede Schicht zu 16. Personen : seyn zusammen : 48.
VIII. Drey Schicht Leenheyer : jede Schicht zu 108. Personen : seyn zusammen: 324.
IX. Drey Schicht Jungen : jede Schicht zu 80. personen: seyn zusammen: 240.
X. Drey Schicht Kunstwärter bey den Hand-und Roß-Kunsten:

Kunsten: jede Schicht zu 7. Personen: seyn zusammen: 21.

XI. Zwey Schicht Schmiede: jede Schicht zu 28. Personen: seyn zusammen: 56.

XII. Ein Schicht Klauber-Weiber / zu 52. Personen: seyn zusammen: 52.

XIII. Ein Schicht Kunstmeister und Mitthülffe / zu 15. Personen: seyn zusammen: 15.

Macht zusammen an Arbeits-Leuten / oder Menschen im Werck: 2145.

PFERDE:

Eleonore-Schacht: 80.
Spitaler-Schacht: 32.
Ertz-führer; oder Fiedernuß-pferd / das ist Wasser und Ertz: 84.

seyn zusammen Pferde am Werck: 196.

Addita his erat, uti res ipsa flagitat, *Officina probandi Metalla*, quæque alia ad indicandum *Fodinarum* fructum pertinent; inprimis accurata illa per *Cupellam*, ope *plumbi granulati*, latentis in majore massa *Argenti Aurique* explorandi ratio suum & illic locum obtinebat. Hæc uti me, tametsi minime jam nova, afficiebant; ita mirifice admirabilis delectabat universa *Operis Metallici Oeconomia*, cujus non minore, nec minus indiligenti disciplina, quam cujusvis oppidi, continebatur administratio procuratiove civilis. quin & muris & vallis munita Ædificii universi tutela oppiduli quandam speciem præferebat: fervebantque cuncta frequentia *Operarum*, suo cujusque operi, intentarum. Huic voluptati successit alia, quæ non tam Ferculorum copia, quanquam ea & hoc & sequenti die lautissima mensæ illata, quam ipsa præbentium læta comique prolixitate, plurimum placuit. quod autem animi me magis, quam corporis duci viderant illecebris, in Triclinio ostentata *sena Fossilis Argenti*, *trinum*, & amplius, *pedum altitudine*, *duum latitudine*, *Fragmina*; primitiæ scilicet, uti *mos* fert *Metallicus*, cujusque, prout repertæ erant, *Venæ*, ad ostentationem Divinæ Benignitatis, istuc congestæ.

Hic

Hic ergo hilariter & commode tranſacto priori diei ſucceſſit
alter, multo etiam illo ſuavior & jucundior. Hoc enim ad in-
26 tima quæque, & ad ipſum, ut vocant, *Campum* penetravi-
27 mus *Fodinarum*. Erat hic *Ductus*, cui ab *Hoſpitali* cogno-
28 men, cæteris multo ditior, unde nec ad CLVII. *Klafterarum*
profunditatem deſcendiſſe vel piguit, vel pœnituit. Hic mihi
rem obſervare datum eſt curioſiſſimæ indaginis, quæ, quod il-
la mihi necdum ſatis explorata ſit, indicabitur tantum, non
29 explicabitur. Inveniſſe mihi viſus ſum *rationem Æris* in *Ar-*
gentum, & *Argenti* in *Aurum commutandi;* & hujus quidem
via duplex apparuit. Verum *commutandi* verbum cum uſur-
po, non recte, neque, ut ipſa rei natura poſtulat, ſed ex
uſu potius, & conſuetudine vulgi me loqui, fateor. Cæte-
rum non nimis aperte cuncta exponenda ſunt. habet enim
hæc *Eleuſis*, quod oſtendat reviſentibus. in *Patriam*, cum
volente Numine reverſus alteram domi experiar; altera via in
ipſa *Fodina* eſt tentanda. Utramque, cum nullo conſtaret
impendio; nam *ſemunciæ Argenti* ſumtus pro impendio ha-
beri aut non poteſt, aut non debet; & experiri, & indicare
Auguſto CÆSARI animus erat: imo & obtuli. ſed, quod ea
res incredibilis forſan & ſupra votum videbatur, a CÆSARE, ut
puto, admiſſa non eſt; unde, cum CÆSARI conſilium &
oblatam operam meam cognita rejectaque arbitrarer, eo tem-
pore, quo ad AUGUSTÆ *manus oſculum* admiſſus ſum, ver-
bum ea de re nullum a me factum eſt. Quemadmodum vero
in *Goſlarienſi*, ita & in hac *Fodina*, mihi eſt obſervata *A-*
qua Mineralis exedens, & humano corpori ea propter no-
xia, cujus cum uſus ignoraretur, GLANSCHICKIO *Diſpenſa-*
tori ſive *Quæſtori*, Viro ſingularis comitatis, optimeque de me
merito, eundem, ut & aliarum *Aquarum* nonnullarum arte
præparandarum, patefeci. Poſſunt enim *Fæces* & *Sulfura Me-*
tallica, quæ *Argentum* tenaciſſimo glutine cum impura & inu-
tili terra in *duriſſimum ſaxum* coagulant, diſſolvi & exedi, ita
ut eximium inde temporis & ſumtuum compendium, in exci-
dendis & *diffringendis Metallis*, ad Dominos redire poſſit,
quemadmodum & ſupra quoque in *Goſlarienſis Itineris* deſcri-
ptione, indicatum eſt. Erat & alia illic, verum quæ tuto &
cum voluptate ab *Operis* bibitur, *Aquæ Acidulæ* ſcaturigo,

 qua

qua & ipsa commode liceret uti, pauculo tantummodo *spiritu*
Nitri vel *Salis* addito. Utraque hæc, & inprimis illa *acrior*,
quæ saxa lignaque rubricante cortice obducebat, multum ipsi
Operi adfert incommodi, *Antliis*que & *Molis*, multo labo- 30
re & sumtu, est exhaurienda. suum cuique impositum nomen
est, est & utrique commune: Insalubris illa Kiessig-Wasser; 31
altera Acidula, Gruben-wasser; utraque Kunst-Wasser appel-
latur, quod *Molis*, uti dixi, ex ipsis *Venarum Metallicarum*
Ductibus in altum extollenda sit, & exoneranda. quod incom-
modum eo illis gravius occurrit, quod *Aquæ subdivalis* inopia
laborent, quæ *Molas* circumagere valeat: unde *Equorum* su-
perius, intus *Humana* succedanea utendum est opera, eaque
sumtuosissima. Est autem ea penuria *hieme* maxime & *æstate*
perfrequens, prout vel *frigus*, vel *æstus* intenduntur. *Vere*
igitur & *auctumno* illic opus cum maxime fervet, auctis, per
liquescentes nives aut assiduos imbres, *torrentibus*. hæc autem
Aquarum egestas, ut, vel in proxima loca *effossi Metalli* ma-
gna pars deferatur, vel in cumulatiora *profluvia* reservetur, ef-
ficit. quin & in *Mala Tempora*, ut vocant, id est, si quis
forte *Benedictionis* (nam & hoc *Metallicum* verbum est, quod
Metalli in Venis affluentiam significat:) defectus accidat, ali-
quot *centenariorum millia* reconduntur: ita, ut hic, quem
supra memoravi, *Dispensator* sive *Quæstor*, ab Decessore suo,
quinquaginta sibi *Centenariorum millia Metalli Argentiferi* re-
licta in rationes retulerit. Hinc & nunc cum maxime in *novo*
Aquæ ductu occupatissimi sunt, quæ *novam* illam ingentis
structuræ *Molam* circumagat; & in *Senatu Fossorio* sæpe, sed
frustra, agitatum de *Cremnizensibus Aquis* ad *Schemnizianas*
Fodinas deducendis; vetantibus, non Tribunis plebis, sed,
qui multo his auctoritate potestateque præstant, altissimis un- 32
diquaque *montibus*, quorum mihi molestissimus, fervente So-
le, transitus *Acidularum* sæpe *Schemnizensis Fodinæ* deside-
rium excitabat. Atque hæc de *Aquis Subterraneis* hactenus, 33
quæ & alia apud Ipsos nomina obtinent, *Rei Metallicæ Scri-*
ptoribus fusius exposita. De *Vitriolo* vero ac de *Sale Petræ*,
aliisque, quæ illic inter saxorum rimas ac hiatus crescunt, aut
ipsis *Fodinarum* lateribus, imo & *Metallo*, aut adhærent, aut
admixta sunt, nihil hoc loco dicam, quod in *Cremnizensibus*

Fodinis

Fodinis eorum luculentior deprehensa copia postea memorabitur. dum hic descendendo ascendendoque nonnihil fatigati *pane* nos *vino*que reficimus *Hungarico*, exquisitissima aliquot *Argenti rudis*, *puri* & *impuri*, *nigricantis*, & *cinnabarina rubedine* effulgentis, *aliis*que *Metallis permixti Frusta*; nec
34 non quædam *Marcasitæ Argenteæ*, Ipsi eas Silber-Kies vocant, &, quod ipsi Greis vocant, offeruntur.

Egressum & his spoliis exsultantem alio lætitiæ genere exhilarare conati sunt, quibus id ab Dispensatore GLANSCHICKIO negotii datum fuerat. *Prandium* enim lautissimum appositum est, nec deerat lætitiæ dator *Bacchus*: sed multo illud apparatius & exquisitius fuit, quo me GLANSCHICKIUS postridie domi suæ excepit: ut mirarer ipse, tantas in his *Montanis Oppidis* inveniri lautitias; multis tamen partibus magis animum Viri Humanissimi candidissimum, & in omnem elegantis & minime fucatæ comitatis demonstrationem effusissimum. Proximus huic, bene de me promeritis ac insigni humanitate, RAUSCHERUS plurimis me electissimisque *Metallicis Auri Argenti*que *rudis Frustulis*, aliisque *Fossilibus rarioribus* non modo domi suæ, cum ad Eum inviserem, donavit, sed & in Diversorium meum aliquammulta attulit, ac doctis utrobique, & omni humaniorum Literarum sale conditis sermonibus refecit, dicam, an eruditiorem dimisit? Vidi certe, quod me in his oris minime visurum putaram, multa ad multos *Scriptores Veteres* & *Recentiores* docta manu annotata: & in his, ad THOMASIUM *de Plagio Literario*, & ad PLACCII *de Scriptis Adespotis*, non contemnendam accessionem: tum & *Chorographicam Regni* HUNGARIÆ *Tabulam*, multo etiam, quam quæ prius ab Eo correcta est, & *Viennæ* ab HARTUNGIO vulgata est, emendatiorem. Scripsi ea de re ad Amicos *Batavos*: nec dubito, quin, uti tum promittebat, Vir ille eruditissimus sua cum illis *Additamenta* communicaturus sit, indigna certe, quæ publica luce diutius careant. Nec oblivisci sine ingrati animi nota possum Reverendum BILLERICHUM, *Lutheranorum* ibi *Pastorem*, Ejusque *Fratrem*, cui posteriori debeo gemina Argenti rudis fragmina. Hinc *Dielam* equitavi, unde reversus ab *Albrechto* GRUBERO *Montium Præfecto* cœna in horto Ejus excipior, præsentibus fere Cunctis *Cameræ* adscriptis Præfectis.

 hic

hic ab *Abrahamo* Seidsio, *Auri Separatore*, Viro honeſtiſſimo, donabar *fragmine mineræ Argenteæ puriſſimæ*, nec non *Argenti rudis capillati.*

Interpone tuis, ut inquit Ille morum Magiſter, *interdum gaudia curis.* Accipe igitur, Perilluſtris Domine, quæ mihi in Diverſorio a *duobus Sileſiis Mercatoribus*, Socero & Ge- 35
nero, inter alias fabulas, ut fit, dum cœnamus una, narrata ſunt: verum quæ mihi ad riſum ficta, adeoque incredibilia, occurrebant: Veris tamen eſſe veriora, poſtridie ab aliquammultis Aliis affirmatum eſt, &, ut crederem, loci poſt paullo, ubi ea accidere, intuitus perſuaſit. *Dilhemum* eſt oppidulum, medium circiter milliare *Schemnizio* diſtans, & *Aurifodina*, tenuioris licet mercatus, nobile, cujus permulti Incolæ *Strumis* deformantur: in proximo Colle, qui huic oppido adjacet, *Patibulum* eſt; de quo infelici ligno cum quidam ſuſpendendus eſſet, cui tam grandis *Struma* collum obſidebat, ut ipſius capitis magnitudinem aut ſuparatet, aut æquaret, accidit, ut, cum is a Carnifice, laqueo, ſicuti putabat, recte adaptato, de ſcalis dejiceretur, laqueus per cedentem *Strumam* ultra caput, decidentis corporis pondere, promoveretur, atque ita miſerum ſupplicii candidatum absque noxa humi dimitteret. perturbatus hoc inopino caſu Carnifex, & ad Judicem Scabinosque ſuſpiciens; *Hoc mihi*, inquit, *Domini Spectatiſſimi, hactenus per vitæ meæ ætatem nunquam accidit.* Hic *Strumoſus* meus mirificiſſima animi ſimplicitate; *Nec mihi*, ſubjicit: fuitque ea vox homini ſalutaris; ſuæ enim ſimplicitati donatus eſt. Idem ille Collis uſque ad Patibulum cultiſſimus eſt, & vidi ipſe in eo lætiſſimas ſegetes. Accidit igitur, ut quis plurium furtorum convictus ac confeſſus reus ad idem laquei ſupplicium damnaretur. At *Judex loci*, qui tum etiam, cum mihi hæc narrarentur, in vivis erat, cum videret ſegetem omnem, quæ tum forte itidem haud procul a maturitate aberat, a concurrentibus undique Spectatoribus concultatum iri, damno tam grandi permotus; eſt enim Collis ille *Judici loci* peculiaris; re rectius perpenſa ſatius exiſtimavit, & hominis vitæ, & ſuæ ſegeti, quam Spectatorum crudeliſſimæ voluptati conſulere: præſertim quia *nulla unquam de morte hominis cunctatio longa* eſt. Pro capitis igitur ſupplicio, virgarum titil-

latione

latione contentus, misellum dimisit. Deam deinde Segetiam sine ullo dubio inter Numina sua Tutelaria relaturum, quam adeo faventem fuerat expertus. Dum hæc, cum omnium risu, narrantur, circumlata sunt pocula. Allubescente igitur hilaritate, dum *Vinum* liberalius ducitur, & a me in *Hungarici*, utpote boni generosique, laudes itur; *Non omne*, inquit Senex ille, *quod in* Hungaria *nascitur*, *laudabile est; nam haud procul, imo in proximo oppidum est*, scilicet *Carpos* designabat, *ubi matres liberos suos* vini *comminatione cubitum compellunt.* & est sane, quod illic provenit, *Vinum* peracidum & insuave.

36 Sed missis jocis ad *Metallica* revertar. *Boccantium* est altero abhinc *Milliari* oppidulum, ubi *Argentum* effoditur multo *Auro* admixto: item *Aurum purum* in *saxo rubro* delitescens, quod ex eo diffracto contusoque sudibus, affusa aqua, elicitur. Ab alio latere est *Konigsberga*, tribus *Schemnizio* milliaribus distans, oppidulum tantum non desertum, ubi itidem *Aurifodina* est; quam tam pauperem offendi, ut vix aliquot *unciæ* toto *trimestri* ex ea colligerentur, unde & tantum non pro derelicta habetur. Certe nullæ in his *Hungariæ* partibus *Fodinæ* lucrosiores & fructuosiores & luculentiores sunt *Schemnizensibus*. Memini Reiterum quendam, Virum perhonestum, Civem *Schemnizensem*, unius mihi hebdomadæ rationes ostendisse, in quas expensa *octo Florenorum Germanicorum millia*, & accepta *undecim* relata erant. sed illa hebdomada, ut paullo post ex aliis audivi, una secreti ab *Argento Auri* rationem continuit. Alias copiosiores ditioresque sunt illæ *Argenti Fodinæ*, quæ *Transsilvaniæ* proximæ sunt: de quibus mihi a Possessore, quem post *Viennæ* forte in Diversorio offendi, relatum, „ dimidiam sæpe *Auri* partem *Argento* admixtam; talemque
„ se etiam nunc colere: Cæsareas autem magnam partem,
„ aut neglectas, aut derelictas *Rebellium* metu in proximo de-
„ gentium.

37 Non ingratum fore puto, si, quas in *Hungaria* esse *Fodinas* cognovi, hic enumerem. Præter jam memoratas igitur, & mox memorandas *Cremnizenses*, & *Neusolienses* in *Herrengrundo*, sunt sequentes, ad Literarum seriem recensendæ, quarum plurimæ *Neusoliam* undiquaque velut incingunt:

 ALTSO-

ALTSOLII, quod duobus milliaribus abest *Neusolio*, ad sinistram fluminis *Grani*, *Fodina* quidem jam nulla est, sed Ipse, quod illic natum, & *spicarum* sese *radicibus* involverat, *Aurum* vidi, particulamque dono accepi. habuit quondam *Fodinas Auri*, *Argenti*, *Cupri*, & *Argenti vivi*.

AMGESCHEIDÆ, qui locus *Neusolio* abest dimidio milliari, *Aurifodina* est privati hominis, sed qui eam præ te- 38
nuitate opum excolere nequit.

ANDRASCHOWA, dimidio milliari Neusolio distans, habet *Æris flavi Fodinam*, estque peculiaris *Waldburgensium* & privata.

BOINICKII olim *Ferri* proventus erat, nunc *Terra rubra sigillata* effoditur, *Ferri* mater.

BOTZAR habet *Aurifodinas*.

BRESNIZCA, duodus milliaribus *Neusolio* distans, habet *Ferrifodinas*, quæ CÆSARIS sunt.

BUDÆ olim in proximis Montibus fuisse *Aurifodinas*, constans fama est.

CEPUSIÆ in Montanis *Plumbi* cum *Antimonio* misti *Fodina* est.

DOBSCHÆ, duobus *Rosenavia*, quindecim *Neusolio* milliaribus, *Cinnabaris* reperitur: estque *Waldburgensium*.

FECKETIBANIÆ, sive SCHWARTZBERGÆ, in *Zathmariensi Comitatu*, sunt *Argenti fodinæ*, quæ parum habent *Auri*. *tres* tantum *denarii Auri* in *Selibra Argenti* esse deprehenduntur.

FELSCHEBANIÆ, sive OBERBERGÆ, in eodem *Zathmariensi Comitatu*, est *Plumbi*, *Auro* & *Argento* dives, *Fodina*: possidet eam *Michael* FONYI, Mercator ibidem. in *Argenti selibra* latent *quatuor* aut quinque *Auri drachmæ*.

GRANA. vide deinde *STRIGONIUM*.

HELLIARÆ, in Montanis, quæ Altgebürg ibi vocant, *Æris cum Argento mixti* mediocris proventus est, privatorum *Waldburgensium* peculiaris. ibidem *Aqua lapidescit*.

JEROBÆ *Aurifodina* deserta est.

JESENACHI *Sulfurea* illa *Materia*, Kies dicta, effoditur, quæ eliquando *Argento Schemnizium* defertur.

LI-

LIBETHENSES Fodinæ, quæ duobus *Neusolio* milliaribus distant, *Ære flavo* abundant. Triplices sunt; prima partim *Libethensi* & *Neusoliensi* Civitati *communis*; altera ROTHENII, Viri Spectatissimi est; tertia, *Oberberga* dicta, *Waldburgensium*, *Grondeliorum*.

LIBSKÆ in Montanis sunt *Auri Argenti*que *Fodinæ*.

LUPSCENSIS, quæ etiam LUPSCHER SEIFFEN dicitur, dimidio milliari distans *Neusolio*, *Fodina* est *Æraria*, necdum exculta: *Michaelis* est STURIANI privata possessio.

LUPKOWÆ, sive ROSENBERGÆ, *Antimonium* effoditur.

MEDZIBRODI, dimidio a *Neusolio* milliari, *Aurifodina* necdum exculta Dominum habet *Maximilianum Conradum* RUPRECHTUM.

NECBANIÆ, sive *NEUBERGÆ*, in *Zathmariensi Comitatu*, duobus milliaribus a *Transsilvania* remotæ, est *Argenti*, in quo latet *Aurum*, *Fodina*: in *selibra Argenti* deprehenduntur *quatuor* aut *quinque Auri Drachmæ*. ibidem est *Monetaria Officina*.

OBERBERGA. videatur *FELSCHEBANIA*.

OFFEN. videatur *BUDA*.

REDERISCHI Ferraria est *fodina*, cujus *Ferrum* ad eliquandum etiam inservit; & *Marcasita*, quam Kies vocant.

In *RICHTERGRUNDO* solum *Æs* eruitur, nec admodum fructuosum. *Neusolio* ad mille passus circiter plus minus abest. Fodina est privata *Waldburgensium*.

RONITSCHÆ Ferrifodina Cæsarea est. abest *Neusolio* quatuor milliaribus.

ROSENAVIÆ, *Erlam* seu *Agriam* versus, quindecim a *Neusolio* milliaribus, *Aurum* eruitur omnium purissimum; sed ob dissensiones Magistratuum & Civium *Waldburgensium* non excolitur; dum eam fodinam sibi quisque vindicare cupit, alterique invidet.

ROSENBERGA. videatur *LUPKOWA*.

SANDBERGÆ, mille admodum passibus a *Neusolio*, sunt *Ærariæ* divites, Civitatis *Neusoliensis* peculiares; cujus *Metalli* color *nigricans* partim, partim *flavus*, partim & *viridis*

ridis eſt. *Nigror* admiſti *Argenti* indicium eſt; reliqui colores, *Æris.*

SCHALCKENDORFIUM verſus, dimidio milliari a *Neuſolio*, eſt *Argenti fodina* CÆSAREA, ſed non valde fructuoſa adeoque forſan necdum culta.

SCHERTZENSTEINENSIS Auri Fodina, dimidio milliari *Neuſolio* diſtans, privatum Dominum *Waldburgenſem* habet, at nondum eſt exculta.

SCHMOELNIZII eſt *Æris Fodina* cultiſſima, & *Aqua Vitriolata Ferro* exeſo *Æris* formam induens, non ſecus ac *Schemnizii* & olim *Libethæ.*

SCHWARTZBERGA. videatur *FECKETIBANIA.*

SENNIZENSIS Fodina, mille admodum paſſibus *Neuſolio* diſtans, in planitie ſita, *flavum* & *molle* ÆS CÆSARI confert.

STRIGONIO, quod alias GRANUM dicitur, tertio milliari diſtant *Aurifodinæ*, antea propter *Turcas* deſertæ, ad quas inveſtigandas perluſtrandasque miſſi a CÆSARE Inſpectores omnia bona renunciarunt.

TEICHOLTZA, tribus a *Neuſolio* milliaribus, *Magnetem* exhibet.

TEIOBAM verſus, uno a *Neuſolio* milliari, ad *Cremnizenſem Viam* juxta Fontem quendam deprehenſæ *Mercurii* venæ; hactenus tamen neglectæ. Eodem in tractu *Sulfur rubrum* deliteſcit, cujus mihi ſpecimen *Michael* STURIANUS dono dedit.

TOKAJI Auriferi Montes ſunt, & ſæpius ipſæ vites & pampini *Auri filamentis* obducuntur, de quibus poſt plura. Verum certus, *Auro* contra cari, *Vini Tokajenſis* proventus *Auri* ſpem incertam præmio tanto emi non patitur.

WEISCOWÆ quatuor a *Neuſolio* milliaribus eximium *Antimonium* eruitur inter *Auri* venas excreſcens; quamvis hæ tenues ſint, nec admodum lucroſæ. nonnihil collapſa & deſertior eſt hæc *Fodina* ob prædones ſilveſtres: eſt autem *Michaelis* STURIANI, Viri Spectatiſſimi.

Jam vero non *Montes* tantum in *Hungaria*, ſed & *Flumina*, 39
Amnes, *Rivi*, *Fontes* ſunt *Auriferi.* teſtis *Danubius*, in quem theſauros illi ſuos e *Montibus* devectos effundunt: imo copio-

copiosum illud quidem est in flumine *Marisco*, quod e *Transsilvania*, *Auri Argenti*que *Fodinarum* affluentissima, profluens *Tibisco* miscetur.

40 Sed in *Transsilvania* quidem nobilissima *Parvæ Slottæ*, quæ tribus milliaribus *Geissenburgo* abest, est *Auri Fodina*, *sexagenas septuagenas*ve in singula Trimestria *Selibras* PRINCIPIS Ærario largiens. *CAPNICBANIA Aurum*, *Argentum*, *Plumbum*, aliquando & *Antimonium*, sed parva copia, Principi præbet. *CRUX NIGRA*, seu vernaculo illis Germanismo SCHWARTZEN CREUTZ/ *Æris* & *Ferri Fodinis*, quæ etiam sunt PRINCIPIS, nobilis est. sed & plures in illis oris sunt: ac tanta *Argenti* vilitas, ut in ejus *Fodinas* inquirere, vix Ipsis operæ precium videatur. Multas etiam *Aurifodinas* dedita opera negligi ferunt, ne *Turcicam*, notam sibi, aviditatem in se excitent ac irritent.

Itaque vix, ac ne vix quidem, divelli ab Amicis, & *Schemnizio* discedere poteram: ita me & Illorum prolixa humanitas, & indagatarum in *Fodinis* rerum dulcedo inescarat. Tandem tamen, tristi Vale dicto, *Cremnizium* iter inchoavi. Medio ferme itinere *Thermæ* me remoratæ sunt, &, ut ibi subsisterem, effecerunt. Nomen huic loco a *Thermis* est *Hungaricum*, *Tepliz*; ab officinis Vitriariis *Germanicum* est Glaßhütten. *Fontes* hic xxx. circiter aut xxxx. e terra passim ebulliunt admirabili Naturæ beneficio. Hos ea cum voluptate spectavi, & eorum exsultationem, procursum, incrustationem diversicolorem marginum, viridemque his adhærentem muscum, & quæ id genus alia, tam attente contemplatus sum, ut cibi potusque oblivis cerer, &, a famulo ad reficiendum corpus revocari, necesse haberem. nec diu cunctatus non in præparata ex his arte *Balnea* insilui; sordebat enim Ars in tanto Naturæ miraculo; sed uno eodemque tempore ac momento ad siccum & humidum me balneum contuli. Aderat enim *Specus ingenuus*, in quo, per latentes meatus, adeo calentes exspirabant halitus, ut copiosissimum e toto corpore sudorem elicerent; suberatque his meatibus profluens e saxo *Aqua calidissima*, quæ cum ingredienti præfervida videretur, mox ab halitibus illis concalefacto pro frigida erat. Locus autem arte rustica & levicula, injecto asserculo uno & item altero, ita erat

adaptatus, ut confidentibus humeros & medium corpus halitus afflarent, inferiora aqua tegerentur. Hujus ego Naturæ beneficii admirabilem varietatem & intuitus, & expertus, non poteram, quin Incolarum Aliorumque ingratum ac stupore plenum stupidissimo damnarem detestarerque animum, his deliciis uti fruique aut nescientium, aut nolentium. nam si tantillum modo Artem hic Natura haberet adjutricem, poterat ipsam *Bajarum* amœnitatem locus superare. sed quid agas his hominibus, nil nisi *Aurum* appetentibus & cogitantibus? Indolui sane Genio loci; nec bene precari potui frustra ibidem *Aurum* quærentibus *Metallurgis*. nam & hic *Ductum subterraneum* ingressus sum, *Auro* eruendo inchoatum. in eo *Lapidis venas* vidi, tanta albissimi candoris venustate a reliquo saxo distinctas, ut jucundius viderim nihil. Abstuli igitur & hinc particulam, & e *crustis* obductorum *marginum*, ac illius *vaporosi Balnei* lateribus, adhærentibus fragmenta, omni colorum varietate amœnissima, reliquis *Schemnizio* delatis adjeci. nam etiam hoc dicere neglexeram. In *Specu* isto passim e lateribus *Aqua calens* exstillabat, totumque subalbidum parietem, ut ita loquar, *viridi*, *cœruleo*, *flavo*, *nigricante*, mediisque inter hos *coloribus*, gratissima varietate, distinguebat. Temperabantur hæ voluptates meæ unico illo, qui me toto itinere male habuit, dolore, quod *Pictore* carerem, qui singula suis coloribus exprimeret: sed erit, spero, corrigendo, cum in has, favente Numine, oras revertar, errori locus. Dum vero *Lapidum* fragmentis onustus e *Ductu* illo *Aurifero* in Diversorium revertor, & *Balnea* præteriens, liquidissima puritate tralucentia, attentius contemplor, excidit forte in Aquam *Lapis*, brevique illo temporis spatio, quo ab adstante januæ puero extrahitur, ita ab *Aqua* illa *Sulfurea* erat emollitus, ut in minutula frustilla dilaberetur. Ostendi igitur Diversitori meo, qui *Chirurgus* erat, quam levi opera saxa diffringi possent, atque opera *Fossorum* compendifieri, subministrante Natura *Aquam* ipso ad hæc *Ferro* potiorem. Notaveram itidem in *Fodina* illa emanantem hinc inde *Aquam exedentem*, cujus mihi *color rubeus* pavimentum obducens certum erat indicium. sunt autem *Aquæ* hæ adeo acres & corrodentes, ut, quicquid laneæ lineæque vestis attingant, corrumpant: neque quisquam est, qui dubitare possit, plurimum

eas

eas dissoluti in se continere *Vitrioli*, cui sæpe vel *Alumen* vel *Salnitrum* sit admixtum.

Postridie, qui *primus Junii*, hinc discedens, postquam altissimum montem superaveram, subjectam vallem amœnissimam, quam *Grana* fluvius secat, prospiciens haud parum recreabar: quam tunc transversim, post tota sui longitudine, quæ a *Neusolio Strigonium* usque porrigitur, pedes maximam partem, partim in equo, maxima cum voluptate emensus sum, pratis & arvis cultissimam. Trans *Granam*, ubi rursus præcelsi montes occurrebant, *Sanctæ Crucis* nomine, elegans ante hoc bellum, nunc fœdum in modum a *Rebellibus Hungaris* deformatum, oppidum est: cui *Arx* addita haud magni momenti. Tandem & his transscensis montibus *Cremnizium* veni: sed obiter, quanquam nunquam ante visi, *rivi Auriferi* aquæ, per angustam vallem magno impetu decurrentis, animum meum statim adverterunt. Itaque postea illas penitius considerare visum fuit, cum tunc ipsarum *Fodinarum* perlustrandarum desiderium omnes cupidines excuteret.

Cremnizium quod attinet, exiguum id oppidulum est, XXXII. domos continens, quæ in orbem structæ se invicem, paucissimis exceptis, media intercedente perampla area, rerum venalium distractioni destinata, respiciunt. assurgit hæc Area leni clivo; cui hinc *Templum*, inde, ubi is paullo altior, *Arx*
41 leviter munita imposita est: atque hinc natum illud vulgare dictum: Cremnizii *singulas ædes* Templum *ante fores habere*; quod ex omnibus fere in illud sit prospectus. Ampliora multo sunt *Suburbia*, quæ per clivos collesque vallem distinguentes sparsa, non inamœna varietate, spectantium oculos afficiunt. Præstat cæteris situ cultuque, quod *Schemnizio* adventantibus primum occurrit. Adventanti non ingratum statim spectaculum oblatum, *Juventutis Urbanæ* sub signis, præter Diversorium meum, ad probandam singulorum in armis industriam per *Suburbium* procedentis. Præcedebant *Antecursores septem* suum *Centurionem*, quem *Succenturio* sequebatur, & hosce, suus quemque, ne quid deesset dignitati, pedissequus: quemadmodum *Vexillifero* suus erat, extremas *Vexilli* lacinias attollens. Erat hæc, uti dixi, *Urbana Centuria* non nimis frequens; cæterum, si omnis e *Suburbiis* militaris ætas coeat,

millenarium excedere mihi numerum affirmatum, *Dies* erat *Dominicus*, & hinc ſplendidior Oppidanorum cultus. Sunt alias *Hungari*, quod ad veſtitum, plus tat magnifici.

Eadem veſpera liberos lætosque Gentis mores adverti; conventumque utriusque ſexus frequentiſſimum in oppoſitas Diverſorio ædes, ad cantum, ceſſatum ducere curas, choreisque ſemet oblectare properantium. nec ſumtuoſa illis hæc voluptas eſt: ubi enim Tibicini pauxillum pecuniolæ ab his, qui primi cum puella in orcheſtram prodeunt, collatum, vix quicquam ultra impenditur, fontana plerumque concitatam motu corporis ſitim levante: & ſicubi *Vinum* aut *Cereviſia* appetitur, *Virgines* habentur ſine damno; unde ſtatim ad Tibiæ vel Fidium cantum frequens earundem eſt concurſus. Diu me, & hoc ſpectaculo, & *Muſices Hungaricæ* auditu oblectavi. nec erat aliud, quod agerem, aut huic innoxiæ voluptati præverterem, feriantibus, ut die feſto par eſt, Operis. Diſpungendæ ſunt nonnunquam his amœnioribus itinerum moleſtiæ. neque vero hi omnes *Hungari*, quin potius partem maximam erant *Sclavi*.

Quadruplex autem *Incolarum* in *Montanis* hisce *Urbibus* natio eſt. Vulgus fere omne *Sclavonicæ* originis eſt, veſtitu & lingua Gentili a cæteris diſcretum: Cives plerique ditiores *Hungari*; & hi quidem *Hungarica* & *Germanica* utuntur *lingua*, *Saxonum* veterum reliquiæ, qui poſt expeditionem GEISÆ II. 42
in *Palæſtinam* ab eodem invitati Rege in his oris reſederunt: at qui Nobiles, & ruri ac Prætoriis plerique ſuis agitant, veri *Hungari* ſunt, ut & pauciſſimi ex plebe: Reliqui, iique ut plurimum CÆSARIS in *Fodinis* peculium, *Rem*que *Monetariam* curantes, *Germani* ſunt; eorumque numerus perexiguus eſt. *Sclavos* & *Hungaros* honeſtiores, Mares, *tunica* tantum, quæ his brevior, *Sclavis* longior eſt, diſtinguit: vulgus autem *Sclavorum* ſtatim, & exteriore *albo pallio*, & *nigro pileo*, rudem in modum aſpectuque ingratiorem, eminente cognoſcitur: Muliebre Secus tum veſtitu, tum capitis ornamento differt, quod item *Virginibus* aliud atque *Maritatis*. *Hungaricarum* ex *lana* eſt, *Sclavarum* plerumque ex *lino*; licet ditiores ex his *Hungaras* fere imitentur, omnique colorum genere tinctis laneis veſtibus ſuperbiant. Pedes *nigris* plerumque, ſæpe & *rubris flavis*ve, *ocreis* induuntur; at *Cinctus* tantum non

virilis

virilis eſt : caput *albo velo*, dependentibus in tergum laciniis, operitur. *Virgines* comam nullo velamento, ſed circulo, tres ferme digitos lato, e raſo Sero nigricante, aut etiam alterius texti & coloris, margaritis vilioribus, aut, ſi tenuiores fuerint, coralliis, exornato incingunt; cui & floreas corollas innectunt, lætiſſimo aſpectu: atque ita quidem pleræque mihi hic occurrebant; Utraque Circuli hujus, non totum caput ambientis, extremitas vittis Sericis in triangulum conſtrictis conjungitur, mox per colla humerosque ac tergum diſperſis, pudoremque virgineum rubedine teſtantibus. Capilli vero transverſim ab dextera ſiniſtrorſum trans illum circulum directi ſuis in ſe orbibus revolvuntur. Pectus his *Virginibus* plerisque nullis tæniis conſtrictum, *Maritatis* autem leviter, dependentibus mammis, donec zona ſuſtententur. Cum in publicum prodeunt, corpus utrisque *velo quadrato*, ad inſtar pallii, ab humeris ad genua deſcendente incingitur. Hic Gentis *habitus cultusque* eſt : *Mores* candidi, ſimplices, animi elatiores, & in advenas olim ac hoſpites proniores, at nunc in *Germanos*, aſſiduis Militum ex ea natione injuriis, dicam, an ſceleribus? irritatiſſimi. neque id mirum. Ea enim *Exercitus* CÆSAREI non paucorum *Ducum* pariter & *Militum*, & tam intolerabilis aviditas, rapacitas, vexatio eſt, ut *Hiſpanorum* illam ſub Diro ALBANO ſævitiam ac nequitiam, *Belgarum Annalibus* famoſam, aut ſuperent, aut profecto æquent. Nec alia nunc *Hungariæ*, quam tunc *Belgicæ* conditio. Invidia namque & Avaritia ſtimulantibus, dum Magnatum ac Procerum *Hungaricorum* opes limis intuentes oculis devorare ipſi cupiunt, Religio ſceleri prætexitur, & hos *Privilegiorum*, *Immunitatum*, *Legum* denique *Regni* violatione irritant ad arma, &, quod fecerunt ipſi, ſcelus ac Rebellionem vocant; ſuas Artes Pietatem fervoremque Religionis ac Fidem in CÆSAREM. At Hic quidem Leniſſimus atque Clementiſſimus, quos novi, Principum; Cujus Sanctitas Vitæ ac Integerrima Pietas & DEO curæ eſt, & continuo Divinæ Providentiæ tutamine adverſus omnium Adverſariorum dolos, fraudes, ſcelera, venena, inſidias, bella munitur : quem ego nunquam non CÆSAREM MIRACULORUM appellare ſoleo, quod inopinatis ſemper & omnino miraculoſis, divinitus ſubmiſſis, ſuppetiis intentato Sibi exitio eripiatur : Hic, inquam, vere Optimus, & Auguſtus, & Pius,

& jam Felix Imperator, in cujus eruditas ſanctiſſimasque
Manus hæc mea qualiacunque *Scripta* aliquando perventura
ſpero ac opto, aut ignorat hæc Suorum Subjectorum mala &
calamitates, ab Adulatoribus forſan & Exploratoribus, ne
quid harum rerum ad Ipſius aures perveniat, ſummopere ca-
ventibus, obſeſſus; aut & forte falſa pietatis ſpecie a ſacerrimis
hypocritis circumventus credere cogitur, injuriam eſſe benefi-
cium; injuriæ vindictam, ſummum ſcelus; vindictæ ultionem,
Regni Religionisque tutelam, ac ſaluberrimam unicamque, per
ſanguinis miſſionem, medicinam. Nec ideo Rebellionem pro-
bo vel laudo: quin potius *Gallorum* in Regem ſuum fidem
ac patientiam, verum atque genuinum *Reformatæ*, re, non
verbo, *Religionis* fructum prædicare non ceſſo; & ereptam ſi-
bi ſuis ritibus Deum colendi facultatem, adverſus toties da-
tam fidem, adverſus optima ſua de Rege merita, adverſus
omnem pietatem; erepta bona; ereptos, aut, quod pejus
multo eſt ac triſtius, concitatos in Parentes liberos; adhibita tor-
menta; intentatas mortes; quæque aliæ id genus diritates ſunt
plures; precibus, non armis; non ſceleribus, ſed probitate
vitæ; auxilii divini invocatione, non *Turcicorum* aliorumve
Exercituum evocatione, ulciſcentium; aut fugam opponen-
tium; aut, uti clementius interpretari lubet, cedendo ad tem-
pus vela dolori inducentium. Sed de *Hungariæ* malis mox plu-
ra, ubi ea, quæ hisce meis oculis a me viſa cognitaque ſunt,
pluribus enarrabo. nunc, unde digreſſus ſum, revertar.

Poſtridie ſub matutinam horam ſeptimam in *Fodinam* deſcen-
di Cæsaream præcipuam, quæ quartam circiter milliaris par-
tem ab oppido remota eſt. hic quoque, ſicut & *Schemnizii*,
ante deſcenſum more ſolenni preces fuſæ, eæque in geniculis.
non enim ab omni periculo immunis hæc mea quidem & alio-
rum voluptas, ipſorum vero *Foſſorum* quotidiana neceſſitas:
tum, quod hic non per ſcalas deſcendatur, ſed *rotarum* ab *E-* 43
quis circumactarum revolutione per funes, ita ut, dum alii
deſcendunt, alii in altum eleventur ac aſcendant, *cincturæ co-
riaceæ* inſedimus, firmiter, ad præcavendum caſum catenis fer-
reis craſſiori iſti funi adſtrictæ. Solent autem *terni* & *quaterni*
ſimul adſcendere, quorum qui infimus, lucernam tenet. inter
deſcendendum ſolenne *Foßorum canticum* canebatur. ita ſuus
cuique

cuique rei ritus eſt. regitur autem *Funis* ille ab homine ad eam rem conſtituto, ut æquali tenore demittatur, certo alias periculo, quod ille, per quem deſcenditur, *Puteus* non nimis ſit amplus. unde & his, qui deſcendunt, diligenter cavendum, ne ad ejus latera offendant, pedibusque corpus regendum eſt, dum manus retinendis firmiter catenis occupantur. Poſtquam ad CVIII. *Klafteras* demiſſi, primi *Ductus* ſolum attigimus, reſolutis cincturis medium ferme milliare *Meatus* hoſce *Subterraneos*, nunc erecto, nunc ſubmiſſo capite & corpore, perambulavimus, quorum ſpatium in longitudinem *ſex millium Klafterarum* porrigitur. Quemadmodum *Schemnizii*, ita & hic, *diverſicoloris Vitrioli* ab omni parte prorumpentis, lateraque obſidentis copia conſpecta eſt; eratque inprimis notabile *albicans* ejus genus, quod adeo accurate *Alumen ſciſſile*, ſive *Amianton* referebat, ut primo me ipſum intuitu falleret. juſſi igitur aliquot inde fragmina colligi, mihique aſſervari. erat & aliud *rubrum* in *cruſtas* duratum, tum etiam in *ſtirias* efformatum. Hujus utriusque, tum & *variis* inter ſe permiſtis *coloribus* aſpectu jucundiſſimi *Auriferi*que, interque ipſas *Auri* venas excreſcentis, mediocrem ſufficientemque meis conſiliis copiam inde retuli. Mirari deinde ſatis nequivi, cum hic abunde magna *Vitrioli* præſtantiſſimi copia peti eruique poſſit, cur ad *Aquas Fortes* conficiendas *albo* alterius *Fodinæ Vitriolo*, de quo mox, uti malint; quam hoc, unde certior majoris e contento *Auro* lucri ſpes eſt. Quamvis enim in *Aquæ Fortis* confectione, *Vitrioli* corpus in *caput mortuum*, ut *Chemici* vocant, deſidat, unde, ſi quid in eo lateat *Auri*, illud eruendum ſit; *Volatile* tamen *Aurum*, quod ei plurimum ineſt, una cum *ſpiritibus* in *Recipientem* elevatur, dumque ſeparatur ab *Argento Aurum*, huic adhæret, ejusque pondus atque quantitatem auget. Ac tale quidem illud fuiſſe *Vitriolum* exiſtimo, unde illi Monetario, apud Becherum in *Phyſica Subterranea*, *viginti*, aut amplius, *Imperialium* lucrum ex inopinato obvenit. Non ego *Auro*, nec divitiis inhio, eaque de cauſſa *Cremnizii* diutius hærere nolui, ut experirer: ſufficit, animum hæc advertiſſe, quæ poſt Cæsareis *Miniſtris*, una cum aliis multis, indicavi, ut, quid inde commodi proveniret,

ret, absque ullo suo incommodo, tentarent. Quin & hic a me, uti *Schemnizii*, duplex *Aqua Mineralis* degustata est, *Acidula* altera & saluberrima; altera *Acris*, corrodens cuncta, & humano corpori noxia. Ex hoc *Meatu* in depressiorem alium per *scalas* descendimus usque ad XXXIX. *Klafteras*: quarum *scalarum* genus unum, cui *Michaelicæ* cognomen, multo difficillimum est, *incisis* in *teres lignum* hinc inde *gradibus*. Hic mihi primum elegantes *Auri venas* intueri licuit *albicantes* & *ex obscuro griseas*, ab reliquo saxi corpore *colore* discretas. non erat illud *Aurum* conspicuum, sed latens, & tundendo lavandoque eruendum: prodebat se tamen, ubi vena ditior, *flavitie*, nonnunquam & *micis* grandioribus, quale ut plurimum in MATTHIÆ *Ductu*, qui tunc aquis nivalibus oppletus, uti & LEOPOLDI ac RUDOLFI monstrari nequibant, reperitur. Uniuscujusque generis apud me specimina sunt, ibidem mihi partim ab Amicis dono data, partim & ab Aliis coemta. Postquam cuncta attente fuerunt perlustrata, eodem, quo descenderamus, modo ad auras superas, inter *Cantici* consueti decantationem, evasimus. Hic ego eos amice monui, uti Divinam opem descensuri imploraveramus; ita & debitas DEO gratias post ascensum esse persolvendas, exemploque meo prævivi, probantibus, qui deduxerant.

Proximus huic dies considerandæ *Officinæ Monetariæ* tributus est: ubi *laminarum Argentearum* in longas veluti *tænias* ducendi, & harum deinde per *rotulas*, levi opera, in *rotunditatem* abscindendi, tum, novo invento, per *rotulas* item impressione facta, signandi facilitatem & miratus, & ipse meis manibus expertus sum. Ostensa hic mihi *Rebellium Hungarorum Ducis*, *Principis* EMERICI TÖCKOLII *insignia*; uti & *Aurei numismatis*, sive *Ducati Hungarici* cudendi forma: numismatis quidem, quantum memini, ab altero latere hæc erat Inscriptio: LUDOVICUS XIV. GALL. ET NAV. REX: ab altero vero: PATRONUS ET PROTECTOR HUNGARIÆ. 1678. *Insignia* autem hac Inscriptione ambiebantur: EMERICUS TÖCKOLIUS PRINCEPS ET PARTIUM HUNGARIÆ DOMINUS. Cusine sint aliqui, ad istam *formam*, *nummi*, quanquam in eos diligenter inquirebam, ut vel unum saltem mihi in memoriam facti compararem, rescíscere ex CÆSAREANIS non potui.

Narrare

Narrere autem non gravabantur, quomodo Ille eodem anno *Montanis* hisce *Oppidis* omnibus occupatis, *Argento*que & *Auro*, quod aderat, vindicatis, omnes in ſua verba jurare coegiſſet, ſibique ſacramento adſtrinxiſſet: tum quomodo ea deinde a CÆSAREANIS recuperata; poſt pacto inito alternatim, diviſis reditibus, poſſeſſa; & ſub initia hujus belli anno cIↄ. Iↄc. LXXXIII. omnino rurſus amiſſa eſſent: donec *Vienna* liberata, victricium ſeſe armorum metu TÖCKOLIUS ſubduceret, CÆSARIque plenum ac liberum harum omnium *Fodinarum* dominium concederet; ita tamen, ut in ſequentem annum unum atque item alterum, earundem reditus, partim in *Argento ſignato*, partim ficta prudenter Nummorum inopia in rebus ad *Rem Metallicam* pertinentibus, a *Fodinarum privatarum* poſſeſſoribus, CÆSAREANARUMque *Curatoribus*, vi minisque extorquendo, præciperet, triſtemque ſui memoriam miſeris hisce hominibus relinqueret, non approbante Victore CÆSARE, quæ in anteceſſum, parata pecunia, perſoluta fuerant, ſed ſui ſibi anni reditus vindicante: cæteris ſua prudentia feliciter ceſſit, recepto pro intactis adhuc, & mox in Cæſaris uſus cedentibus, quæ ad *Fodinarum* uſus ſuppeditaverant, precio.

Dehinc *Mineræ Auriferæ* per ſudes, Aquarum beneficio circumactis rotis, in ſubjecta fragmenta delabentes, in tenuiſſimum pulverem *comminutio*, hujusque *elotio*, *Auri*que *Separatio* ſpectata eſt. Hoc autem a me obſervatum, quod aut ignoratum ipſis, aut neglectum: Plurimum *Auri* CÆSARI perire. Licet enim pluribus ſibi ſuccedentibus ac ſubjectis capſis pulverem illum *Auriferum*, aquarum impetu ablatum, excipiant, & ſubſidentem de integro eluant, fieri tamen nequit, quin magna, imo forte maxima *Auri* pars, cujus levitas aquæ aut innatat, aut inhæret, auferatur. *Flammeum* illud *Metallurgi* appellant, *Chemici* vero *Volatile;* non quod in auras abeat, ſed quod in *deſtillatione* cum *ſpiritibus* una in *Recipientem* attollatur. Memini, cum *Altſolio Schernovizium* reverterer, animadverſum mihi forte *rivum*, in *Granam* fluvium delabentem, e cujus colore agnoſcere mihi videbar, *Auriferum* eum eſſe. Juſſi igitur famulum, ut inde mihi aquam peteret, quo propius eam & accuratius contemplarer. Reſpondit ille, locorum horum omnium gnariſſimus, eundem hunc ri-

vum eſſe, qui *Cremnizii* eluendo *Auro* inſerviret. hoc audito plurimum in illa mea confirmatus ſum opinione, latere in his *Aquis* multum *Auri*, quod ſingulari inde arte poſſit extrahi. Notaveram mihi, cum *Cremnizium* properarem, haud procul ab Oppido, *rivulum Aquæ* ex *luteo rubræ*, cujus cum mihi color valde blandiretur, & nonnihil ſponderet boni, operæ deinde precium putavi, hunc iterum oculis uſurpare, diligentiusque explorare. Ad hunc igitur, proximo ab hoc die, reverſus, a *Lapidibus* primum inhærentem abraſi, quem vehebat limum: mox bonam indurati in cruſtam, ex inundatis jamque ſiccatis Sole ſulcis, partem abſtuli, tentaturus, dato otio, ecquid in eo lateret boni. imo & *Aquam* ipſam, nec non & aliam in proximo, domum delatam exhalando conſumſi, ut reſiduum pulverem colligerem. Tentaſſem plurima, & extraxiſſem ex his *Aquis Terris*que ſingulis, non in *Chemicum* modo, ſed & in *Medicum uſum*, *Spiritus*, forte non ſine fructu, certe magna cum lucri ſpe, niſi omni lucri cupidine ardentius *Italiæ* adeundæ me deſiderium avertiſſet: hoc enim mihi omnia conſilia corrupit, aut in reditum differre compulit. Nam *Æris* in *Argentum*, & *Argenti* in *Aurum* commutandi tam certa mihi, ab ipſa Natura & Experimentis conſimilibus, ducta ratio eſt, partim & *maximi ſemper*que *veridici Do-* 45
ctoris auctoritate probata, ut cuivis eam probatum iri nullus dubitem, qui *Metallorum* naturam habuerit perſpectam: hujus autem ignaris mirum non eſt, ſi res incredibilis videatur; idque eo magis, quod nec minimis impenſis ad *Experimentum* opus ſit: Tempus tantum *octo* vel *decem hebdomadum* requiritur; hujusque inopia mihi fraudi fuit obſtititque, quo minus experirer.

Horis ita antemeridianis conſumtis, pomeridianis perluſtrandæ *albi Vitrioli* præparationi impendi, quod in proximo *Au-* 46
rifodinis monte reperitur. *Minera* ejus, ſeu *Vena* potius, inops eſt, excoquitur in *cacabis* ſeu *vaſis plumbeis*, diebus admodum quatuordecim in lixivium, quod in lacus ligneos effuſum ſuapte indureſcit. inde in fornacem conjicitur, in qua undique & deſuper congeſtis ignibus in liquorem eliquatur, qui deinde emiſſus, priusquam in lapideam duritiem rurſus indureſcat, in palmi magnitudinem æquantia fruſta dividitur. hoc ita

præpa-

præparatum, *Calcinatum Vitriolum* appellant; eſtque exterior ejus facies albicans, interioribus in griſeum colorem compactis: Ex hoc *Vitriolo calcinato*, rurſus in minores particulas contuſo ac diffracto, *Schemnizenſes*, addito *Sale Petræ*, *Aquas* ſuas *Fortes* exſtillant, quo deliteſcens in *Argento* ſuo *Aurum* eruant.

Deambulationibus inſequente die dato, obiterque *rivulo* lu-
47 ſtrato, unde ſæpenumero *Gemma* legitur *Opali Hungarici*; aliam die Veneris *Aurifodinam* ingreſſus ſum, in *Antimonium* inquiſiturus. Eximium quidem illud erat, ſed exiguum. Detuli vero nonnulla hinc & aliunde petita ſpecimina perpulcra, *pura* partim, partim *multicolore ſplendore* radiantia, partim *flavo*, *rubro*que *Sulfure* obducta. Porro, ne quid ſuſceptæ mihi deeſſet indagini, *Venæ* quoque *Auriferæ*, ex *candido ſaxo*, fruſtum ipſe majuſculum abſcidi, quo deinceps & hanc examinarem. Erant etiam aliæ in proximo *Fodinæ*, ſed *Privatorum*; & una item *Antimonii* CÆSAREANA; verum, quod nec illis perluſtrandis tempus ſuppeteret, & ab hac, Aqua me arceret nivalis, imo nec diverſa ab jam dictis in illis inveniri aſſerebant, ad alia, quæ ſupererant, cognoſcenda me converti.

Duce igitur uſus Juvene *Duſſeldorpienſi* ornatiſſimo, *Johanne Gothofredo* MELMIO, qui, ad combibendam penitus *Artem Metallurgicam*, mandatu Sereniſſimi ELECTORIS PALATINI, *Duſſeldorpio Cremnizium* ante aliquot venerat hebdomadas, *Auri* rurſus *Emundationem Segregationem*que exactius perſpectum ivi; tum & *Terram rubram*, *Aurifodinis* proxi-
48 mam, & locum, unde ipſe *Spiritus Aurificus* exhalaret. Hujus ego vim ac ingenium plurima cum animi voluptate conſiderans ſtupendum opus Naturæ, Divinique Numinis, in his Subterraneis, potentiam benignitatemque tacitus admirabar. Erat enim hic videre, exeſas partim nimio fervore, & in nigricantem fiſtuliſque excavatum pumicem abeuntes *Auri venas*; partim *aureo colore* obductas, unicis ablati, *Spiritus* impetu, *corporis aurei* reliquiis. dehiſcentia hinc inde rimis latera, alicubi & genus quoddam *Salis Petræ*, aut *Aluminis plumei* oſtentabant: nec ipſe mihi in his aliiſque id genus pluribus colligendis deeram. Subnaſcebatur autem mihi ſingula hæc intuenti conjectura, poſſe hunc *Spiritum* Arte cohiberi continerique,

hic ſaltem, ubi e concavo velut ſpecu erumpebat. nam ſi mea res hæc eſſet, egeſta ex *Aurifodinis* proximis, & ab *Auro*, per lotionem, ſeparata *Terra* madente, eaque vel ſola, vel intermiſto etiam *Vitriolo*, addita etiam alicubi ſubinde tenaciore argilla, non os illud tantum hujus ſpecus obſtruerem, ſed & proxima quæque obruerem, eaque *Terra* alia tenaciore in altitudinem trium pluriumve digitorum contegerem: nullus dubitans, quin *Spiritus* ille familiarem ſibi, ex *Aurifera vena*, *Terram* permeans *Aquæ* ſe miſceret *Metallicæ*, *Aurum*que novum produceret. Neque enim in *exhauſtis* jam ante *venis* alia mihi accidere videtur ratione, ut *Aurum* regeneretur: atque hoc fieri in illa, de qua ſupra, *Antimoniali Aurifodina*, hiſce oculis meis vidi; unde etiam nunc *Aurum* effoditur e terra, quæ in *exhauſtas*, ante LXX. circiter annos, *Venas*, putrefactis ac collapſis varis & vibiis, fodinas ſuſtentantibus, ſubſederat. Cæterum *Metalla* regenerari, modo induſtria ne deſit humana, tam certum eſt, quam quod eſt certiſſimum. Ut de *Ferro* in *Ilva*, Maris Inferi inſula nihil dicam, affirmatum id mihi de *Mercurio*, *Idriæ* in *Carinthia*; de *Plumbo albo*, quod vulgo *Stannum* appellatur, in *Anglia*. De *Vitriolo*, matre *Cupri*, de *Sale Petræ*, & ſimilibus *Foſſilibus*, res etiam vulgo notiſſima eſt; & vidi ipſe *Goſlariæ*. Quod ſi vel *Schemnizii*, vel *Cremnizii*, vel *Neuſolii*, egeſtæ evacuatæque *Metallis* terræ rurſus in *Fodinis* reconderentur, eæque accurate obſtruerentur, haberet ſine dubio Poſteritas perpetuum *Auri*, *Argenti*, *Æris* Theſaurum. Certe *Cremnizii*, ubi impenſæ ſine *Schemnizenſium* ſubſidiis ipſum lucrum ſuperant, non ingrata Civibus aut CÆSARI hæc foret acceſſio. Mirari vero hic ſubit, unde BECHERUS acceperit, quod alicubi memorat, *Foſſores* plus in Veſtibus *Auri* auferre, quam ad CÆSARIS redeat Ærarium, cum adeo tenues pauperesque hic *Auri Venæ* ſint; ut ad ſuſtinendam loci famam magis, quam ob lucrum, *Fodinæ* CÆSAREÆ continuentur: ſed poterat, uti dixi, lucrum eſſe majus, ſi cum cura tractetur.

Porro dum vel per *Fodinas* haſce, vel *Auriferos* colles oberro, *Aurum*que ipſum ſæpe pedibus calco, ſubiit me humanæ aviditatis miſeratio, ſolis *Auri Argenti*que divitiis inhiantis. nam cætera *Metalla*, ut his mutentur, effodi ſolent. Ne-

minem

minem enim in his oris offendi, qui aliqua perſcrutandæ Naturæ voluptate duceretur: neminem, qui, quid elegans & homine dignum ſaperet. quin cum plurimas in his montibus herbas, & ex his nonnullas florum elegantia commendabiles, ignotas hactenus, obſervaſſem, & ad eos deferrem, quos eas noſſe decuerat, nominaque & naturam exquirerem, nihil niſi doloris incrementum retuli, quod Pictore carerem, qui delinearet, cum ſiccandi domumque deferendi tempus & occaſio deeſſent. Tum & *Terrarum Mineralium*, *Fontium*que tanta paſſim varietas, ut infelicitatem meam damnare cogerer, examinandis hiſce, atque eorum naturæ penitus indagandæ, invitum me ſubtrahentem. Ite jam vos *Batavi* mei! neque enim repetiſſe nocuerit; ite! Liberos veſtros in ipſo adoleſcentiæ præcipitio, Rectore morum ſtudiorumque deſtitutos, in *Galliam* & *Italiam* mittite, corraſas noctu diuque avitas opes ſine fructu in luſtra atque lupanaria profuſuros! quanto ſatius erat, ita illos in oras exteras ablegare, ut naturam rerum, ut mores hominum, ut Rerum publicarum adminiſtrationem, ut diſciplinas elegantiores diſcerent; Viros Eruditos frequentarent; Bibliothecas ac Cimeliothecas illuſtriores perluſtrarent; *Ducem*, qui notabilia indicaret & explicaret; *Amanuenſem*, qui notaret; *Pictorem*, qui delinearet, haberent; atque ita fructum laboris atque impenſarum referrent ampliſſimum. At nunc plerique omnes, cum Urbes, Villas, Palatia, Domos perluſtraverunt, cum in conventibus utriusque ſexus verba quædam publica, aut aleæ chartarumque luſus, aut modulos aliquot muſicos didicere, Linguasque exteras balbutire inceperunt, inſigne ſe operæ precium feciſſe exiſtimant: de cæteris ſi interroges, piſce magis muti ſunt. Verum, dicet quis, unde erudito itineris *Duci*, *Amanuenſi*, *Pictori*, alendis, remunerandis ſuffecturas opes? non enim cuivis homini, ut ajunt, contingit adire Corinthum. Fateor; ſed *Amanuenſem* ſe ſibi quisque præſtare poteſt: reliquis plures, inito conſortio, quod intra duorum triumve numerum commodiſſime conſiſtet, communibus ſumtibus facile ſufficient, parſimoniaque honeſta, nec illiberali, magnam ſumtuum partem compendifacient. Unum tamen obſtat, quo Juventus noſtra inſanit, *Nobilitatis* apud Exteros affectatio. neque vero ſe *Nobiles* tantum exiſtimari appellarique

 volunt;

volunt; id enim vulgare nimis eſt & abjectum, ſed *Barones*, cum ſæpe in trivio nati ſint, in ſtercore educati. Videas igitur nonnullos magnifice ſe inferentes *Barones* de *Laplandia*, de *Anœcia*, de *Nullibia*, vectari carpentis penſilibus ſive, ut vocant, carrucis, & adulatorum ac pediſſequorum turba ſtipatos; in commeſſationes, cantica, choreas, aleam, plus uno menſe pecuniæ profundere, quam toto anno *Formator Studiorum*, *Amanuenſis*, *Pictor*, in ſumtus & ſalaria requirant. *Germanorum*, aliarumque Nationum alia ratio eſt. Habent hi, præter innatam frugalitatem, prolixiſſimum ſubſidium, PRINCIPUM liberalitatem; quæ & ipſis abunde ſufficit, & in Alienigenas ſæpe ſeſe effundit. Hinc Viros doctrina claros in longinquas ſæpe regiones mitti videas, qui, quicquid illic elegans eſt *Monumentorum*, *Librorum*, *Statuarum*, *Imaginum*, *Tabularum*, *Nummorum*, conquirant, coemant, deferant. Ecquis non omnibus laudibus extollat, quis non omnium prædicatione PRINCIPES iſtiusmodi digniſſimos exiſtimet? Quid enim vel ad commodum publicum utilius; vel ad gloriam privatam illuſtrius; vel ad exemplum univerſorum commendabilius? niſi ſi forte PRINCIPIBUS honeſtius eſt, una ſæpe veſpera; & ipſe haud procul aliquando abfui, *vicena*, nonnunquam & *tricena*, & plura, *Florenorum millia*, aleæ impendere, ut ne quid de Scortis Aulicis dicam; quam Publico, Famæ, Viventibus, & Poſteris *quina* vel *ſena millia* tribuere in annum? Habuit *Roma* ALEXANDRUM VII. Habuit *Brunovicenſis Ducatus* AUGUSTUM: habuit *Palatinatus ad Rhenum* CAROLUM LUDOVICUM: habuit *Anglia* ARUNDELLIÆ *Comitem*: habet, quem primo loco nominaſſe debueram, LAURENTII, COSMI I. LEONIS X. imitatorem *Hetruria* COSMUM III. habet *Gallia*, detur enim Virtuti vel hoſtili meritiſſima laus, habet, inquam, *Gallia*, hac in re omnibus præconiis Majorem, atque revera, non adulatorie, hac laude Magnum LUDOVICUM XIV. quos hoc Sæculum AUGUSTIS ac MÆCENATIBUS opponat. Extra ordinem addo, ob merita, Optimum, & Liberaliſſimum, Literarumque amantiſſimum Principem, Sereniſſimum ELECTOREM BRANDEBURGICUM. Sed ex his facile videre licet, me in peregrinis & ignotis terris iter facere: nihil enim peregrinantibus frequentius accidit,

cidit, quam vel invitos a via aberrare, vel volentes nonnunquam digredi; ad quam tamen est redeundum.

Perspectis cognitisque, quæ *Cremnizii* visunda videbantur, valedicere, gratiasque agere Amicis, visum est, quorum comitate ac humanitate usus fueram: quo officio defungentem *munusculis* aliqui *Metallicis* prosecuti sunt, & inprimis omni morum honestate suavitateque conspicuus *Benedictus Theobaldus* MEYER, *Scriba* seu *Procurator Fodinarum* CÆSARIS, qui mihi electiora quædam *Auri Argenti*que *Fossilis* specimina, quasi quoddam benevolentiæ suæ pignus, in Patriam auferenda dono dedit. sed & *Andreæ* PRINSII, *Rei Metallicæ* ac *Monetariæ Probatoris*, Viri itidem humanissimi, gratissima mihi memoria exigit, ne Illum silentio transeam; cumque necdum referre gratiam possim, saltem ut, debere me, profitear: Horum præcipue honori dabo, ut & Cæteros commemorem, qui in *Cremnizensi Camera* munera reliqua obeunt. Sunt enim hic *Receptor* seu *Dispensator*, *Scriba* seu *Procurator*, *Probator*, *Præfectus* A. A. A. F. F. & *Necessariorum Præbitor*, quem Zeug-Schaffer appellant. *Receptori* nomen est *Gothofrido* SCHRODERO: *Cudendæ Monetæ Præfecto*, Viro itidem perhumano, *Tobiæ* PEIXIO: *Præbitori* vero *Johanni Jacobo* NESSELBACHIO. Ita octiduo *Cremnizii* consumto *Neusolium* perrexi.

In itinere isto asperum altumque montem superanti nihil, præter *Plantas* aliquot *rariores*, occurrit, cujus mihi intuitus suscepti laboris molestiam levaret. Haud procul ab oppido sensim se Montium laxant angustiæ, & fastigia sua primum demittentes in colles, mox in mediocrem, sed inæqualem, vallem descendunt, quæ deinde secundum *Granæ* fluvii ripas sese extendens, hinc ad ipsos *fontes fluvii*, inde in diversam partem, qua versus *Danubium* properat, peramœno utrimque frequentium *pagorum*, cultissimique soli intuitu, fatigatum montium asperitatibus viatorem recreant. Augent hanc voluptatem, versus caput quidem fluvii, qua vallem videbantur claudere, altissimi Montes, perpetua nive ad occidentem Solem obsiti; tum & imminens oppido, trans flumen, excelsior ac præceps in ripam collis, ipsumque oppidum, cæteris *Montanis* multo amplius atque elegantius, leniterque, ad Orientem,

qua

qua *Turri* venuſta *Templo*que magnifico exornatum, & *Arce*
munitum eſt, in clivum aſſurgens, *Pagi*que duo, cum elegan- 51
tiſſimæ ſtructuræ *Templo* & *Prætorio*, oppido contigui; la-
tiusque ſe pandens, velut oppidi hoc daret honori, fluvius
Grana, & huic a ſeptemtrionibus ſeſe admiſcens *Biſtritzum*,
atque hæc quidem, ut *Neuſolium* cæteris *Oppidis Montanis*
longe præferatur, efficiunt. ſed & frequentia hic major, af-
fluentium undique advenarum, & celebre commercium; mira-
barque, imo potius ſtupebam, cum poſtridie in rerum vena-
lium *Forum* prodiſſem, quod ſpatioſiſſimum eſt, ut totum facil-
lime capiat *Cremnizium*; iniquo hoc tempore, cum loca vicina
bello ſæviſſimo infeſta eſſent, *duum*, & amplius, *millium Ruſti-
corum*, ut taceam *Ruſticas*, me videre confluxum: videre me incre-
dibilem *Boum Equorum*que, & ex his plurimorum ſilveſtrium ac
ferorum multitudinem; ut de omnigenis taceam mercibus, quas
agrorum ubertas, manuumque labor cultoribus ſuppeditant. at,
hoc nihil eſſe, ajebant Oppidani, præ illa celebritate, quæ,
patente per vicina, liberoque Mercatoribus acceſſu, Pacis tem-
pore, ſingulis iſtic *Lunæ diebus*, in *Foro* hoc *hebdomadali*,
conſpiceretur. Non poteram oculos ſpecioſiſſimorum, ingen-
tique corporis mole præſtantium, *Boum* aſpectu ſatiare oculos
meos, quorum nunc quidem carius precium erat, *quadrage-
norum* admodum, in ſingula paria, *Imperialium*; at antehac,
cum *Hungaria* pace & *opibus* floreret, *quindecim viginti*que
Imperialibus venalium. hinc & inter cæteras merces notabilis
erat *Tergorum*, Bubus dereptorum, copia; ſed & hæc nihil
ad tempora illa molliora. *Ædes* publicæ privatæque *Forum*
ambientes nitidæ ſunt, & pro Civium opibus ſatis ſplendidæ,
ita ut e veſtigio, ex ipſo earum intuitu, uberem *Fodinarum*
fructum facile agnoſcas. *Mores*, & *Victus*, *Veſtitus*que Ci-
vium, Ruſticæque plebis, iidem, qui jam antea a me ſunt
commemorati: niſi quod in hac mihi turba, frequentior *Ma-
trum famularum*que occurſus fuit, *liberos infantes* ad ſiniſtrum
pectoris latus in velo geſtantium, quod, deſub dextro brachio
poſt tergum ſiniſtrum humerum tranſiens, incluſum infantem
cingulo pectorali revinctum ſuſtentat. Sed & in his tenellulis
durum Gentis morem admirabar, cum paſſim omnes, & in his
etiam nunc a matre rubentes, nudo & aperto capite, cuicun-
que cœli intemperiei viderem expoſitos. No-

Novum & illic, & alibi deinceps alias, ignotumque Cyni-
co *Diogeni* Peræ genus obſervavi: *Panem* namque de plebe ho-
mines, qui æſtate plerumque ſine tunica agunt, & quicquid
aliud aſſervandum videbatur, intra induſium recondunt. memi-
ni, mihi, ut Gens hæc perhumana & benigna eſt, *Panem* re-
quirenti, oblatum aliquando, qui hinc poſt pedeſtre unius al-
teriusque milliaris iter, fervente quam maxime Sole, ex hoc
penu depromeretur. Sane credo ego, hac de cauſſa fidiſſimos
Dominis in his oris eſſe *Canes;* quos, in pueritia aliquando
mea, illis fruſta ſub axillis ſudore noſtro humentia mittendo,
optime allici poſſe didici: neque alia ſine dubio eſt ratio, cur
Tatari tantopere *Equos* ſuos diligant; nam & hi carnibus, in-
ter equitandum ſub ſella ſudore equino emollitis, veſci ſolent.
Ineſt enim ſudori magna e corpore exhalantium ſpirituum vis;
quæ cum ſudore in panem carnesque, ac deinde in corporis hu-
mani refectionem tranſiens, convenientia Naturæ, Amorem
52 conciliat. Novi ego aliquot hujus generis artes, e *Magia Na-
turali* depromtas, quæ amorem etiam ignotiſſimis & alieniſſi-
53 mis ingenerent. indicavit alicubi *Joh. Bapt.* HELMONTIUS
nonnullas, quæ huc faciant, inprimis de *vulgata* quadam *Her-
ba,* cujus nomen tradere refugit, ſolo contactu diuturniore be-
nevolentiam, imo & amorem, inſpirante, addito, & in Ca-
54 tello Melitæo facto, experimento. Nimis diu eſt, quod DIG-
BEI *de Sympathia* legerim diſſertationem; unde, an & hæc
ipſi experimenta cognita fuerint, haud liquido dixerim: niſi
me tamen memoria fallit, fruſtra in eo quæſieris. Quare, ut
ad propoſitum redeam, *Hungaris* ſatis meapte in univerſum
favens, hujus aut illius amore ſingulari nolui implicari, beni-
gneque gratias hominibus dixi, quamvis nullo dolo malo ac ſim-
pliciter hasce delicias offerrent; non tam faſtidioſus alias in ad-
mittendis ſumendisque, quæ apponebantur, eduliis *allio* con-
ditis: ab cujus tamen uſu tam HORATII illa *Epod.* 3. *vſ.* 3.
quæ *Cicutis Allium nocentius* vituperant, poterant deterrere;
quam & ingratus & gravior odor, cui ferendo non ſum, utpo-
te delicatioris ſtomachi, & *Nucibus Moſchatis* magis & *Caryo-
phyllis,* quam *Allio* aſſuefacti.

Ubi in Oppido animi mei lubidini ſatisfactum, *Cralowam,*
in proximum, imo contiguum *Neuſolio* pagum abii in *Rubrum*

Sulfur Minerale inquisiturus, cujus in monte, milliari circiter inde distante, repertam *Fodinam* Rusticus ibidem degens solus indicare poterat. verum, cum hic mihi inanis sumtus labor esset, ad *Ærarias* me contuli *Officinas*, ubi *Metallum*, ex *Herrengrundia Fodina*, excoquebatur, purgabaturque. *Torretur* autem hic locorum *Æris Metallum* tantum *novies*: tum *quinquies fundendo* & *refundendo* ab immunditiis & scoriis *purgatur*, quod ipsi illic Splitzen vocant. Cæterum duo hujus *Æris Metallici* genera huc deferuntur; quorum alterum *fulvum* est & *Argento destitutum*; alterum *nigricans* & *Argenti particeps*, a quo separatur admisto plumbo. Quoniam vero jam aliquoties hujus rei meminimus, & mox in ipsas *Æris* hujus *Fodinas* descendendum erit, paullo hic enucleatius, bona tua cum venia, Perillustris Domine, tota hujus ÆRIS METALLICI TRACTANDI RATIO a capite ad calcem, quod ajunt, exponenda videtur; ita tamen, ut quam brevissime.

Quoniam Natura in elaborandis METALLIS *mirandum in modum ludit, varietateque suavissima nunc ea ab se invicem distinguit, nunc hæc & illa inter se confundit atque permiscet; at vero humanum genus, divitiarum avidum, secretis iis purisque gaudet indigetque: ideo inventæ viæ sunt ac modi, quibus a se invicem separarentur. Attamen difficilis admodum & necdum recte extricata est illa*, *qua* Plumbum Album, *quod Vulgus* Stannum *appellat*, *ab* Argento *revellatur*: Æs *autem*, *cum ab eodem* Argento, *tum ab inimicissimo sibi, damnosissimoque*, *&*, *collæ instar*, *firmissime adhærente* Sulfure immaturo *liberetur. est autem aliud alio magis hoc impeditum; unde & difficillimus ærumnosissimusque in eo excidendo, inque partes minores diffringendo labor exantlatur. Vidi ego* Goslariæ, viginti quatuor horis, a duobus Operariis *vix tantillum terebra foramen excavari potuisse, immittendo pulveri pyrio, ut grande & intractabile fragmentum dissiliret. Jamvero, præter istum laborem ipsum, ingentes, qui impenduntur, Sumtus ostentatum & exspectatum ab divite* Fodina *lucrum corrumpunt. Ad hæc, cum pulvere pyrio* Venæ *illa* Metallicæ *perrumpuntur*, *pernicies* Fossoribus, *e commotis insaluberrimis* Vaporibus Metallicis, *certissima est*, *nisi in aliquod tempus*, *dum*

dum illi aut exhalaverint, aut expulsi fuerint, e cuniculis *sese* Metallicis *subducant. Faciliorem salubrioremque rationem indicavit alicubi* Basilius Valentinus; *& Ego hoc Doctore usus, quem semper veracissimum expertus sum, jam supra nonnihil ea de re exposui: sed in ipsis* Fodinis *experiri necdum licuit. Igitur ordinaria via teritur, nondum inventa compendiosiore. Quare cum e* Venis *egestum* Æs *est, ill outplurimum* Sulfure *infectum constrictumque, sæpe &* Argento, *uti dixi, dives, triplici labore defungendum est:* Fundendum *enim* Metallum *est*, Purgandum, Separandum. *Ex his* Purgandi *labor omnium difficillimus & sumtuosissimus est, cum quod ad requisitam materiei copiam, quæ plurima e proximis silvis est congerenda; tum ob mercedem, quæ in Operas est expendenda; nec non ob impendium temporis, & ipsius* Æris *detrimenta, cujus pars præstantissima ac velut anima, quam* Chemici *Verum ejus* Crocum *vocant, ignitione frequenti, & acrimonia* Spiritus Sulfurei *corroditur, & in auras dispergitur: unde amissa anima cadaver, ut ita loquar,* Æris *exurendum est, residua illa tantum parte* Æris *in* Fusione, *cui anima sua necdum sit erepta. Hinc facile colligi potest, si qua ratio inveniri queat, qua* Sulfur, *absque igne, ab* Æris *corpore separetur, quantum ad* Metallurgos *inde lucrum sit rediturum. Interea vero dum huic excogitandæ insudabitur, ordinariam illam, quam vidi, methodum, enarrare pergam. Raro, nisi parva admodum* immaturi *illius* Sulfuris *copia* Æri *aliive* Metallo, *admixta fuerit;* Fusio Metalli *prima usurpatur. Præcedit autem plerumque illius* Purgatio, *quia, nisi illud* Sulfur *prius amotum fuerit, in* crudi Metalli Fusione *ignis nimis vehemens est, quam ut* Sulfur *a* Metallo *separari queat, antequam* Metallica materies *fundatur.* Purgatio *igitur* Metalli *ab illo* impuro & corrodente Sulfure *hoc modo instituitur: Fornax quadrangularis e cocto latere exstruitur in altitudinem latitudinemque quinum pedum, cujus anterius latus apertum relinquitur. solum hujus Fornacis cæsis lignis, admistis & nonnullis carbonibus insternitur. tum* materies *seu* Lapis Metallicus, *in mediocria, duum triumve digitorum, fragmina diminutus huic injicitur, subjectoque igne sensim candesit. Ita* Sulfur, *quod illi admixtum, fervore ignis expellitur & exhalat,*

aëreque constrictum in stirias concrescit, liquidumve testulis exceptum in vasa congeritur, in quibus in striatam illud formam concrescere vidi ad instar Reguli stellati. illud, quod purius & pinguius exsudat, Sulfur Virgineum appellant, uti de 55
Goslariensi a me alias memoratum recordor. Ubi ligna illa absumta sunt, & Metallicus Lapis refrixit, repetitur idem labor, idque toties, donec tandem nullus se prodat aut exsurgat vapor; cujus defectus absumti crudioris Sulfuris indicium est. Goslariæ, ut dixi, quindecies repetitur, alibi novies, decies & pluries. Facile vero hinc colligi potest, quantum ea Sulfuris exactio, præter Æris ipsius detrimentum, quod acido Sulfuris Spiritu aut exeditur, aut in auras abit; absumat lignorum, quantum temporis, quantum mercedis ac pecuniæ. Torrere id vocant Artifices. Ubi Torrefactio absoluta est, tum percocta 56
dicitur; quæ, si recte memini, Goslariæ in tertium plerumque mensem producitur; atque illic quidem, post tertiam Torrefactionem, Metallum funditur, lapidemque dat rubrum; tum quater iterum torretur, iterumque funditur, datque Æs nigrum; dehinc torrendi vices iterum octo sustinet; ac tunc quidem in Fusione, addito Plumbo, admixtum sibi Argentum dimittit: ipsum vero, quod restat, Æs pauper, id est, Argento carens; appellatur. Hic est ille damnosissimus, uti dixi, labor, qui totus arte compendi fieri posset. Sunt sane non- 57
nulli homines industrii, qui diligenti sua animadversione & cura modum paucioribus Torrefactionibus defungendi excogitarunt; verum vel ita optimi pars Æris permagna perit, & in auras abit, ac necdum adhuc satis utilitati commodisque Metallurgorum consultum est. Humida itaque Via utendum esset, qua corpora dissolvantur, & compages illa, emollito glutine, disjuncta, atque ab immunditie reliqua liberata Fusioni præparentur; unde & Æs longe tractabilius, malleoque obsequentius, id est, purius, animaque sua, qui verus ille Æris, ut ante docui, Crocus est, & in igne aperto cærulorubra flamma in auras abit, erit instructissimum. Neque vero hic aliqua Aquarum Fortium, seu Causticarum, adhibenda est: nam & illæ animas Metalli corrumpunt ac divellunt; verum mollior quædam, paucissimi sumtus, quæ Sulfur & immunditias agglutinatas Terræ non Metallicæ invadat, exedat, re-

sol-

solvat. Hanc ipsæ plerumque subministrant Æris Fodinæ, item aliæ fere omnes: ea vel sola, vel, si non sufficiat, levi opera adjuta & acrior reddita, imo & quævis alia acida, fervida; vel egestæ jam materiæ, vel in ipsis etiam tum Fodinis necdum excisæ est affundenda. & in Fodinis quidem Ignis, quo effervescat, subrecta demissis Puteis, quos Schachten vocant, strui haberique potest. Illud item experimentis cognoscendum erit; an ea affusa, qui exsurgit vapor, nul-
58 lum adferat Fossorum valetudini incommodum? Aceti quidem, seu Acidi cujusvis, odor vaporque magis reficere solet, quam nocere: verum an non sit futurum, ut Metallici quoque vapores una excitentur? liquido affirmare nequeo, cum mihi nulla adhuc dum experiundi facultas obtigerit. Aceta igitur excogitanda sunt, paucissimi sumtus, qualia nonnulla BASILIUS recenset: unde, si operæ precium videtur, peti poterunt. Mihi indicasse sufficit, cui nulla congerendarum opum cupido est, adeoque nec invidiæ vitium, utilitati publicæ privatum studiorum fructum sive subtrahentis, sive denegantis. Paucis contento facile Deus largietur, quod satis est. Cætera, non mea, sed publica judico, atque uti fruique volentium, velut Amicorum, communia.

In Fusione autem, qui secundus est labor, id potissimum curatur, ut Ignis, rite directis follibus, carbonibusque vel lignis incorrupto vigore efficacissimis, adhibeatur validissimus; quo materia facilius liquescat, adduntur adjumenta Marcasitarum, ipsi Metallurgi has etiam Sulfer-Kiese / ni fallor, appellant, quarum immaturi Sulfuris acido spiritu exesæ Terreæ fæces & erosum Ferrum facilius ipsum effluere Metallum permittunt. Est & alia, quæ prope Schemnizium effoditur, materies Ferri particeps, quæ in Argentiferæ Venæ eliquatione adhibetur: verum, ubi vel major paullulum, quam oportet, hujus copia adjicitur, vel ignis debilior æquo adhibetur, plurimam metalli partem in ferreas, ipsum ferrum duritie superantes, scorias abiisse vidi, quarum ibidem ingens passim per vias strata copia est, nulla apud eos arte liquabilium, & Auro Argentoque tamen scatentium. Abstuli mecum harum specimen, ut si quid mea deinde ars inde elicere valeat, experiar. invenisse enim mihi rationem videor, qua Sulfur illud impu-

rum *abſorberi*, purum*que e Fæcibus* Metallum *extrahi præcipitarique poſſit: unde, præter hanc meam, illam* BECHERI *Aliorumque ſententiam unice probo; repurgata, quantum arte fieri poterit, per* viam humidam, Metalla, *per viam ſiccam in* Vitrum *redigendi, atque hinc deinceps* Aurum Argentum*que per* Præcipitationem *eliciendi, qua ratione ad* Metalla emundanda *nulla eſt præſtantior. Sed nec* Plumbi, *quod etiam adhibetur, obliviſcendum eſt, de quo ſtatim in* Separationis *ratione fuſius agemus.*

Separatio *itaque*, Germanis *dicta* Saigern *vel* Seygern, *eſt* Argenti *ex* Ære, *cui admixtum eſt, extractio, ſalvo, quantum fieri poterit*, Æris metallo. *Fit ea admixto* Plumbo: *cum nempe* Æri *huic* Argentifero quatuor *plus minus* Plumbi *partes, prout* plumbum *purius pinguiusve eſt, adjunguntur, ſimulque funduntur. hac* Fuſione *omne ferme* Argentum *a* Plumbo *abſorbetur. Admixtio illa* Plumbi, Fuſio*que*, Germanica Metallurgorum *lingua*, Friſchen *appellatur. Effuſa deinde, in Fruſta pondo duorum & ſemis, Materia in Fornace Separatoria duobus lapidibus, ad latitudinem dimidii digiti a ſe invicem in acclivitatem ſejunctis, imponitur, ſuperimpoſitisque carbonibus candeſit, ita ut* Plumbum Argentiferum, *igne iſto colliquatum, ex* Ære *in adaptatum vas ſtillatim defluat. Reſtante reſiduo, in* Fornace, Ære, *dum hoc fit, ſcoriæ quaſi quædam, inſtar* Lithargyrii, *ſe produnt*, Dörnlein *dictæ*, Ære, Argento, Plumbo*que gravidæ, quæ deinde, admiſto* Lithargyrio, funduntur. *Repetitur prior labor, donec omne* Plumbum Argentiferum *ex* Ære *defluxerit.* Æs *autem, quod jam* Pauperis *appellationem accipit, rurſus excoquitur, donec fiat* malleabile. *Prima operatio proprie* Seygern; *Altera vero* Dörnlein Schlichten; *Tertia* Darren *vel* Dörren; *Quarta* Gahr machen *appellatur.* Plumbum *poſtea illud* Argentiferum *in lateres funditur, inque Fornacibus excoctum in* Lithargyrium, Argentum *in fundo* purum *derelinquit. Cæterum non tam exacte* Argentum *ab* Ære *hoc modo ſeparatur; quin* ſemuncia *ſemper* Argenti *admixta* Æris centenario *inhæreat.*

Explicata *Æris Metallici Tractandi* ratione, in Itineris noſtri tramitem revertamur. cum Mons ille, quem Urbi imminere dixi, virore arborum ab ipſis prælabentis *Granæ* ripis

in

in summum usque fastigium obumbratus perplaceret, ascendere eum libuit, quanquam ab hac parte satis præcipitem. nec pœnituit operæ laborisve: siquidem ex ejus culmine in totam vicinæ vallis planitiem prospectus patuit: nec ipse Mons, licet præcelsus, omnino incultus est; verum, qua in *Orientem* & *Meridiem* vergit, declivior, fruges fert. IV. deinde *die* ante *Idus Junias* secundum Bistritzum amnem ad *Ærarias Fodinas* me contuli, in easque non minus cupide, atque in *Aurifodinas*, descendi; sed majore aliquanto cum molestia, quam angusti & præalti gradus afferebant, non in *scalarum* modum elaborati, sed incisi partim saxo, idque decliviter, partim ligno tereti ac rotundo, directe in præceps, non sine descendentium periculo. Has illi *Michaelis Scalas* appellant. Scilicet per tot discrimina rerum tenditur in *subterraneos cuniculos*, qui nobis *Metalla* aperiunt. Sed pensat hæc omnia, eximia, quam Natura sui consideratione exhibet ipsa, voluptas. Quis enim paullo elegantior non mirifice delectetur, ubi *Ductus Venas*que contemplatur *Metalli*, nunc ampliores, nunc tenuio-
60 res; nunc hoc, nunc illo *colore* notabiles? sed & aliud erat Naturæ miraculum, quod huic *Fodinæ* nomen & famam ingentem conciliat: in profundiore *cuniculo* est *Fons*, perenni scaturigine *Aquam Mineralem* fundens clarissimam, quæ alveis excepta ligneis, *Ferrum* injectum consumit, *forma*que ejus *essentiali Ferrea* corrupta, materiei reliquæ ita se circumfundit, ut sex septem hebdomadis pro *Ferro Æs* exhibeat eadem figura & forma. Data mihi dono Solea Equina, Patella, Crux, in qua *Ferrum* necdum omne consumtum, Naturæ lusum, gratissimo spectaculo, oculis subjicit, aliaque nonnulla e *Ferro* effecta, & in *Cuprum* immutata. Consideravi autem rem ipsam quam attentissime; quæ ita se habet: *Ferrum* impositum huic *Aquæ* corrumpitur seu exeditur potius in luti seu limi speciem; & tum pinguedo quædam *Aquæ* huic *Minerali*, in alveis ligneis jam consistenti, innatans, *ferro* sese, imo & ipsis alveis agglutinat, inque *Cuprum* concrescit. Accepi etiam hujus, ita simpliciter alveis adhærentis, pinguedinis, quam quasi eliquatum *Sulfur* quoddam esse existimo; inque *Cuprum* condensatæ manipulum, ut Popularibus meis & Amicis illud ostentarem. Errant autem graviter, qui hic *Ferrum* in *Æs* commutari putant.

tant. Eſt enim *Ferri eroſio* potius, & *Sulfuris Ærei* agglu- 61
tinatio ad *Terram*, ut ita loquar, *Ferream*, arripiente hac
Sulfur Æreum, proprio amiſſo. Hinc per canales Aqua
Ære ſuo, quod vehebat, ſpoliata, in alios, extra *Cunicu-
los*, ſeu *Fodinam*, alveos ducitur, ubi *virorem* dimittit ſeu
Terram Viridem, quæ *Pictoribus* inſervitura non contemnen-
do lucro divenditur. Redituro ad Superos majuſcula *Æris
Mineralis* oblata Fruſta ſunt, quorum pars *Argenti* dives erat,
nigrore ſuo flavas *Æris* venas diſtinguentis. Nec hic *Præfe-
cti*, ſeu *Epiſcopi*, *Fodinæ*, *Matthiæ* Ettesii ſubſtitit hu-
manitas; verum fatigatum nonnihil, in ipſa *Fodina* vino, dein-
de exeuntem domi ſuæ opiparo refecit prandio.

Ita præclare exceptus, expleto animo meo, *Neuſolium*, uti
veneram, in equo reverſus ſum, captis per Famulum meum
aliquot *Salamandris*, quæ tardo inceſſu plurimæ paſſim Vias
perreptabant. Decreram nonnullas vivas domum mittere; ſed,
quod de tam longa earum vita deſperabam, cum illis ab ali-
mentis proſpicere non poſſem, rurſus eas dimiſi. Tardus eis,
uti dixi, inceſſus erat; forma ad lacertam accedente, ſed non
ita longa cauda; capite etiam rotundiore; pedes a bufonum pe-
dibus haud diverſi, ſed craſſiores; corporis color ater flavis
pulcriſque maculis, a ſummo capite ad extremam uſque cau-
dam, hac illac ſparſis diſtinguebatur. Item varia mihi, cum
in ipſa *Fodina*, tum aliunde, collecta *Vitriolorum* genera: &
e *Minera* quidem *Album*, leviſſimum, inſtar *Aluminis plu-
mei*; tum etiam *Viride*, in formam concretum ſtiriarum; a
Georgio Pfandio vero Pharmacopola, Viro honeſtiſſimo,
Rubrum; *Flavum*; *Cæruleum*; pellucida pleraque & aſpectu
gratiſſima, comparavi. Domum reverſum *Michael Gabriel*
Fromknechtius, *Doctor Medicus*, Vir eximiæ probitatis
comitatiſque, ad cœnam abducit, & animo tam amico proli-
xoque excipit, ut nec a fratre ſincerior proficiſci poſſit bene-
volentiæ & affectus demonſtratio: ſed nec una hac cœna con-
tentus poſtridie ad prandium vocat, ita uti a vicino *ad San-
ctum Jacobum*, accolæ *Swetti Jacob* vocant, *Herrengrunda*
dimidio milliari diſtante monte revertebar, ubi in Specu quo-
dam, in quem Famulum, duorum Ruſticorum opera, funi-
bus ad decem orgyias demittebam, inventurum me *Terram*
quan-

quandam *Flavam, Sigillatam*, frustra speraveram. *flavescens* quidem & *pinguis* erat *terra*, sed non adhærescebat Linguæ. Contracta eo die & cum altero Medico, *Georgio* GRUNDELIO, amicitia, qui mihi multa elegantia, e vicinis *Fodinis*, *Argenti*, *Æris*, *Vitrioli*, *Antimonii*, & similium, collecta *Frustula* ostendebat, multaque me de iisdem aliisque per *Hungariam Fodinis* docebat. Tandem, perlustratis singulis, valedicentem *Procurator* CÆSARIS, *Johannes Fridericus Leopoldus von* HUPPEL, Vir spectatissimus, prandio lautissimo excepit, atque ita omnium singularem humanitatem hoc veluti benevolentiæ sigillo obsignavit.

Itaque & huic Nobilissimo HUPPELIO, *Jacobo Wilhelmo* LANSERO *von* MOSS, Commentariensi, & Amicis cæteris omnibus, post actas pro singulorum meritis gratias, supremo Vale dicto, ipsis *Idibus Juniis* discessi *Neusolio*, eodemque die, circa meridiem, *Altsolium*, tenue oppidulum, veni; cujus mihi tamen memoria, ob visum illic aptatumque digito *Annulum*, ex *Auro* ἀπύρῳ, *triplici orbe contortum*, tum & particulam istius *Auri* dono datam longe semper erit gratissima. Vidi ipse in proximo colle agrum, in quo tritici semet radicibus hoc *Aurum* involverat. Nobilis Domini servus Agricola, dum forte terram arando vertit, dum fulgorem ejectæ radicis miratur, tollit ignotum thesaurum, defertque ad Dominum, non observato exacte loco, ubi fuerat erutum. nec vola dehinc, nec vestigium illius fodiendo agnitum, licet *Virgula* etiam
62 *Mercuriali* quæsiti. Distributum divisumque fuit per Filios & Agnatos, quod repertum fuerat. nec ullo precio a Nobili Vidua *Annulum* hunc impetrare potui, caussante Filiorum absentiam, quibus illum servabat: atqui aberat forte domo alterius partis Possessor; a quo pecunia parare aliquantum licuisset; Uxor tamen ejus, ut pro dato Filiolæ tabis remedio gratum animum testaretur, forfice de suo *Annulo* particulam abscidit, mihique dono dedit.

Ita lætissimo animo *Altsolio* discedens per amœnissimam vallem, quæ, usque ab *Neusolio*, hinc & inde juxta *Granam* fluvium, porrigitur, occaso Sole in oppido *Sanctæ Crucis* pernoctavi. Postridie *Schernovizium* transiens observavi, *Fenestras*, quæ in *Italia charta* claudi solent, hic *exsiccatis indu-*

*ctis*que *ligno vesicis* injuriam aeris excludere. Noctem insequentem *Regiomonti* traduxi, quo me spes traxerat *Aurifodinam* visundi, divitem quondam & nobilem: verum tam pauper ea erat, ut operæ precium non esset, eam ingredi: cum vix *denæ*, in annum, *Auri Semunciæ*, quatuor hominum opera expromerentur. caussabatur illius *Fodinæ Præfectus* inopiam *Aquæ*, qua *Cremnizium* ad comminuendam *Mineram* abundat. Inspecta *Venæ Auriferæ* particula, statim pauperem eam esse, agnovi, minimeque lucrosam. Sunt etiam *Officinæ* hic *Vitrariæ;* quæ tamen oppidulum ab egestate vindicare nequeunt, maxima sui parte desertum.

Inde sequenti *die Dominico*, circa meridiem, ad *Sancti Benedicti Cœnobium* deveni; quod explendi animi caussa ad- 63
eunti obvius in porta fit Reverendissimus Dominus *Emericus* PONGRATZIUS, *Dominus de Sancto Nicolao & Ova*, *Archidiaconus Ecclesiæ Huntensis*, *Canonicus Strigoniensis*, & hujus *Sancti Benedicti Abbatiæ ad Granam Prælatus*. Is comiter sane, quod proficiscendum sibi ad Thermas esset, semet excusavit, *quod non Ipse me, pro mea*, ut ajebat, *dignitate poßet tractare:* verum Sacellano suo, Viro perquam officioso, *Antonio Lucæ* HUSTOVICHIO, hujusce rei curam demandavit. Cum Illustrissimum *Abbatem* de *Abbatiæ Bibliotheca* interrogarem, festive respondit; *Unum se tantum habere Codicem perquam bonum, qui & me sine dubio, sicut cæteros homines, delectaturus eßet;* simul in *Cellam Vinariam*, quæ in conspectu erat, digitum intendit. Hoc igitur *Codice*, licet non *manu scripto*, hilare inter prandendum usi sumus, memores inter pocula tam benigni facetique hospitis. Est autem hæc *Abbatia* in colle modico, adversus *Turcarum* præcipue vim eximie munita; quos sæpe ante & post, sed præcipue anno a N. C. cIↃ. IↃC. LXIV. ad *triginta millia*, *Iwarino* sive *Neuheusela*, *Lewenzio* & *Nitria* captis, fortiter *Præsidiarii* rejecerant. nec melior hoc bello *Rebellium Hungarorum* Fortuna fuerat. Hi cum, Duce TÖCKOLIO, *Vienna* reversi portis successissent, rogati, ut acceptis *panis vini*que xeniis abirent: cum spe prædæ, quæ hic plurima erat rusticanæ supellectilis, vim inferrent, simulato primum metu, mox ex improviso explosis tormentis bombardisque

disque ita excepti ſunt, ut, intra quartam horæ partem, *ducentis* ſuorum deſideratis, reliqui præcipites per caput & pedes in flumen agerentur, &, ne exſpectatis quidem ſecundis hujus cœnæ menſis, quam ocyſſime aufugerent. Poſtquam receptum cum *Nitria Lewenzium*, ſi quando a *Præſidio Neuheuſelano*, quod oppidum quinque tantum milliaribus ab hoc Fano diſtat, vis fieret, *tribus* tormentorum bellicorum *exploſionibus*, *Lewenzianis Præſidiariis* ſignum dabant, qui *duabus* rurſus reſpondebant; & mox equis conſcenſis *Turcas* acerrime invadebant, ni ſe maturata fuga periculo ſubducerent. Hoc una cum *Carpenſi Præſidio* ſemper *Montanas Fodinas* a *Turcarum* invaſionibus tutas præſtitit.

Haud procul inde, *Grana* tranſito, eximie poſt paullo delectatus ſum Agri fertiliſſimi intuitu, qui, a proximis fluvio collibus leniter declivis, longe lateque porrigebatur. Altero a trajecto flumine milliari *Lewenzium* ſe offerebat, modicum oppidulum, *Arce* nobile, licet non ex Arte militari munita, collique editiori adjacente ipſo caſtro, unde exciſa manu ſex ſeptem ad ſummum pedum foſſa dividitur; cui iterum & alius multo celſior collis contiguus, vitibus conſitus. ad hæc *Aquæ* nonnulla inopia eſt in ipſis aquis, id eſt, in loco paludoſo, unico rivulo ex ipſo *Grana* deducto Incolarum uſibus vix ſufficiente. Petra, cui *Arx* inædificata, *cuniculis* ſubrui nequit, ſcaturiente ſtatim aqua, & ad ambientis paludis altitudinem aſſurgente. Oppidum a *Curuzzis*, ſeu *Rebellibus Hungaris*, flammis deletum, maxima ex parte inſtauratum eſt, ſenſimque ad priſtinam dignitatem adſpirat.

Hic mihi aliam vivendi rationem, quam cui ad hoc uſque tempus aſſueveram, inire, neceſſe fuit, nempe militarem. Cum enim itinera per *Huſſaros* prædones infeſta vel eſſent, vel dicerentur, invitanti *Cohortis* CÆSAREÆ, cujus nomen excidit memoria, *Manſionum Metationumque Magiſtro*, quem Germani Regiments-Quartier-Meiſter appellant; ut una ſecum proficiſcerer, comitem me adjunxi. Venerat hic *Lewenzium*, veſtium *Cohorti* parandarum cauſſa; & militari more Ruſticos, ad deportandum in hiberna, quæ *Zegedini* erant, textorum ad veſtes inſtrumentum, per ſpeciem publici commodi, imperatis Judici tribus curribus, adegerat. Lentum igitur iter erat, tametſi nos

ſeni in equis eſſemus, bubus teſtudineo, pro more ſolito, gradu incedentibus, quos hic, ut alibi, curribus jungere, moris eſt. Vix duo confeceramus milliaria, cum, quid inter *Milites*, *Cæſareanos* præſertim, & *Togatos* discriminis eſſet, vidi. Deſeruerant proximum pagum Ruſtici Ruſticæque; hic tamen mulieres pauculæ deprenſæ ſunt. intentatis ergo verberibus imperatum, ut par *Boum* producerent, in aliorum, quos morbo attentari mentiebantur, locum. deinde effractæ fores, direptæ arculæ, &, me præſente, ſed fruſtra intercedente, quicquid uſui eſſe poterat, ereptum. quin & *milium*, quod miſellis famem levaturum erat, in ſacculos defundebatur, velut jumentorum pabulo inſerviturum, quibus abundantiſſima gramine paſcua in promtu erant. nec ſpoliis contenti, abducendis jam vitulis intenti vix meis precibus a tam injuſta vi coercebantur. Prodierat forte & vetulus Ruſticus, paupere amictus ſago; & huic injectæ manus ſunt: vixque ego, pudore tam pauperis prædæ, latronum horum anteſignanum, ut reſtitui juberet, emollivi. Sed audi Ducis ipſius facinus memorabile, & cum Veterum Stratagematis comparandum. Subductus erat in adverſam Inſulam currus: adjectis ad hunc oculis, cum ponto nullus in promtu eſſet, ſtatim conſilium ſolertiſſimus ille de *Siſyphi* progenie reperit. tranſire ſuos in Inſulam juſſit, & alligatis funibus reverti: ſic attractus & in alteram ripam transductus eſt currus, quem devehendis poſtmodum in æſtiva ſarcinis deſtinaverat nebulo. Cibum potumque, velut res parvas dictu, tranſeo; ego, quantum ſumſeram, clanculum perſolvi: ſed hæc religio minime militaris eſt. Tandem extorti miſeris *duo Ducati*, quo *Boum* angarias, ſeu jacturam potius, redimerent. Gloriabatur his acceptis noſter Thraſo, jam ſibi affatim reſtitutum, quod eo mane in Vinum profudiſſet. Eodem die & alteri Ruſtico palliolum ereptum, meque fidem Deum hominumque appellante vix tandem reſtitutum, verum ea cum comminatione, *inventuros ſe tamen pallium ab alio.* Nox ſub tentorio tranſacta eſt, & poſtridie iter *Strigonium* verſus promotum, per agros & vicos deſertos exuſtosque: ac illi quidem fertiliſſimi, hi nuper frequentiſſimi fuerant. Hoc die Divini Numinis ſingularem expertus ſum tutelam. Perveneramus ad deſtructum Vicum, in quo *Templum antiqui operis*, & ad

Græ-

Græcam formam effictis *Picturis*, *Historiam Servatoris nostri* & *Apostolorum* continentibus, exornatum. Dum huic perlustrando attentius inhæreo, eosque pauxillulum detineo, eccum a tergo apparentem cum curru Agricolam! cum longinquitas oculorum aciem turbaret, admissis statim equis Dux noster, velut ad insperatam prædam, convolavit. Ego, quod planities edito huic loco subjaceret, in tria milliaria *Strigonium* usque, uti paullo post deprehendi, porrecta, lento gradu præcedere cœpi, ne *Hungaricæ* infelicitatis diutius essem Spectator. Sed illis in præda occupatis, post alterum milliare, nonnihil metuere mihi cœpi. Erant enim omnia undique deserta, & e ruinis Vicorum alicunde exsurgens fumus latitantium latronum suspicionem præbebat. sed nihil, quasi divinitus, timere jussus, quanquam de Via etiam inter arbusta aberrarem, obvios duos in equis habui *Hungaros*. tametsi ferme inermis & solo accinctus gladio, audacter his obviam ivi, meaque illos fiducia ita perterrefeci, ut non e verbis tantum, cum eos de Comitibus meis interrogarem, sed & ex toto vultu pavor eluceret. Tandem solus ita, nullo duce, nullo comite, circa meridiem *Strigonium* veni, cum post horam unam & alteram *Verres* noster cum suis demum adveniret. dilato in reditum spectandæ *Arcis Oppidi*que desiderio, haud procul ab Urbe in amœno prato defixum tentorium, & sub illo capta est quies.

Proximus rursus dies, juxta *Danubium*, per montium partim colliumque radices, partim per frugiferas convalles, itineri datus. ea vespera, transita *Vazia*, sub ipsis dirutæ *Arcis* mœnibus cum sequente nocte sub tentorio transacta. Ingemiscebam ad conspectum egregiæ quondam, quantum e ruinis colligere licebat, *Urbis Arcis*que intuitum, quam utramque curiosius pervestigabam. Habitabant, seu latitabant potius, in *Cellis Vinariis* aliquot *Sclavorum* Familiæ; sed ager adeo incultus erat, ut postridie summo mane proximum quemque venando pererrans *Vineta* passim pulcerrima calcarem projecta, & cultorem tantum non vocantia. Objacet huic Urbi permagna *Insula*, *Sancti Andreæ* cognomine insignita, itidem deserta; quam in reditu maxima ex parte peragravi, multisque hominum & jumentorum millibus alendis sufficere animadverti. Ante hoc bellum aliquot in ea *Pagi* fuerunt, quorum devastationem

nem satis *Templorum* ac *Turrium* ruinæ abunde indicabant.

Haud procul *Vacia* discesseramus, cum ultra tertium milliare pulcerrimo sese spectaculo *Buda* ostentabat, celso ipsa in colle sita, albentibus muris, turribus, templisque. Salutavi e vestigio nobilissimam Urbem, Regum sedem, cujus visundæ desiderio jam diu æstuaveram. Quo propius accessi, eo magis Felicitatem CÆSARIS admiratus sum, cui favens Numen munitissimam situ & opere civitatem in manus tradidit. Cum jam ad ipsum *Pontem* pervenissem, quo *Pæstum Budæ* jungitur, primum *Pæstum* introiimus, diversoriumque dispeximus, quod, ob disjectas tormentis tantum non omnes ædes, *Budæ* vix sperabatur. Hic *Danubium* transituri, *Equos* Famulo ad proximum tentorium, & ego simul pallium trado, quod in harpyiæ manus deveniens dehinc nunquam a me visum est. scilicet prætexebatur præ siti in Tabernam proximam ingressus, quo tempore furto sublatum fingebatur. sic pauperculis ego Rusticis succurrens patrocinii hoc præmium tuli, ut in meum latrones pallium involarent. cum ægre ferrem, monitus sum; uti vindictam Deo permitterem, neque vero me toto itinere illud desideraturum, & esse mihi *Viennæ* aliud. Sane, uti nebulones prædixerant, ne guttula quidem pluviæ interea temporis de cœlo decidit.

Ubi permolesto ascensu *Budam* intravi, hoc & sequenti tri- 64
duo, quicquid notatu dignum visum, perlustratum est. *Arx*, quæ quondam splendidissima, uti & universa Urbs, fœdam in faciem tormentis bellicis laceratæ disjectæque erant; convulsi undique muri, & in tota *Urbe* nulla domus integra manserat. Uni *Sancti Stephani Templo* aliqua prioris dignitatis species supererat, quod ingressus, in medio, supra gradus Ambonis hanc
Inscriptionem *Turcicam*, sive *Arabicam*, inveni, quam ex- 65
scriptam hic addo; ut & illas sequentes binas supra limen interioris *Arcis* Portæ; reliquas in *Turcico*, quod *Ponti* proximum erat, *Templo*. Ut autem nonnihil de tam clara Urbe dicam, quanquam a pluribus jam exposita; *Arx* ab *Urbe* reliqua, duplici muro & area est divisa, saxoque celsiore nonnihil eminens, capta etiam Urbe diu defendi potuerat; ab altero, qua montem oppositum spectat, latere vix expugnabilis.

Urbs,

Budæ ad introitum chori Moſcheæ quæ eſt ad Pontem.

1

2

3

Budæ in Templo S. Stephani, inſcriptum ſupra Januam, qua itur ad ſuggeſtum, unde verba faciebat Eccleſiaſtes Turcicus

4

Budæ, ſupra Portam ſecundam Arcis.

5

6

ibidem ab altero latere.

7 8 9 10 11

Urbs, qua *Arci* jungitur, angusta, *duabus* primum; tandem circa extremitatem, qua rupes aliquanto latior est, *tribus* præcipue *Viis* dividitur. *Rupes* prærupta undique & excelsa. *Muri* antiqui operis, sed firmi præaltique. qua agros montesque proximos respicit, *Fossa* alta est, quam arduum & præceps ambit *Vallum*. *Portas*, *tres* notavi, quarum una *Budam Veterem* versus pro tempore obstructa erat: proxime hanc per dejectos tormentis muros *Exercitus* CÆSARIS irruperat: & toto illo tempore necdum modo restituti Muri erant, sed ne minimum quidem ad arcendum Hostem munimenti erat, nisi quod *Vallis ligneis* præstructus aditus erat. vidi tamen in perpurgandis *Fossis* occupatos *Milites Paganos*que, sed tarde procedente opere, cum *Turcæ*, post primam obsidionem, intra *octo* vel *novem* circiter *mensium* spatium cunctos etiam Muros reparassent. Cum accurate locum inspexissem, obstupui, gratiasque DEO egi, qui *Turcarum Præfecto* bonam mentem eripuisset, quæ si ei integra fuisset, per disjectos muros universum, sine periculo, *Christianorum* Exercitum admisisset, subjectoque pulvere pyrio difflasset. Erant enim sub ipsis mœnibus *Cellæ Vinariæ* amplissimæ profundissimæque; tum ab illa, quam dixi, *porta*, congestis disjectarum domuum ruderibus, semicirculo, per adjacens destructumque Templum, ad proximos ex adverso muros ducto, omni genere tormentorum per patentem aream ita debacchari potuerat, ut nihil ipsorum exitio fuisset certius. sed & hoc perrupto, alteram rursus *Urbis* partem obsepire; tandem in *Arcem* receptum firmare licuerat, inque hibernum tempus obsidio sustineri, defecturis ante id tempus CÆSAREANIS. Cinxerunt *Urbem* ante hoc bellum *Suburbia* ab utroque latere: verum alterius ne vestigium quidem apparet, quod *Albæ Regali* obversum fuit: Majus alterum, & flumini prætextum spatiosissimum fuit, *Urbem*que ipsam tribus minimum partibus superans, in quo nonnulla jam, ut & in Urbe, ædificia reparantur. Cæterum in ruinis & Cellis subterraneis passim *Rasciani* habitant, gens horrida, inculta, barbara, *Græcæ Religioni* addicta. horum plurima, in deferenda e flumine in Urbem aqua, est opera, obstructis a *Turcis*, obrutisve per rudera puteis. *Turres* in hoc *Suburbio* aliquammultæ *Turcicæ* cum *Templis* partim destructis, partim

tim nonnihil laceratis, & in *horrea* converſis. Aſcendi ex his unam, ut eò melius viciniam perluſtrarem, jucundoque proſpectu parvulum laborem abunde penſavi. In extremo hoc *Suburbio*, verſus *Montem Sancti Gerhardi*, *Thermæ* adhuc integræ ſunt, uti &, verſus *Budam Veterem*, alteræ multo nobiliores. Eſt autem hic poſterior locus ſpectatu digniſſimus. ſcaturit, juxta Viam, e Montis radicibus, *Fons* pellucido pellucidior vitro, profundus, & adeo copioſus, ut ad alterum Viæ latus Molam circumagat, *Balnea*que *Aquæ frigidæ* in diruto Caſtello ſufficiat. Ubi pauxillulum proceſſeris, en Tibi *Fontem Aquæ bullientis!* cujus fervor illo altero frigido per canaliculum in *Thermas* deducto blandiſſime temperatur. Ædificium ipſum percommodum eſt: introeunti namque area ſtatim transeunda eſt mediocris, quam *Fons* ille *fervens* perlabitur: tum per januam aliam in ipſum *Balneum* itur, cujus *ſolium*, ſi recte memini, *octangulum* eſt, ambulacris & cubiculis undique cinctum, in quibus veſtimenta exuuntur. Attentius conſiderare intutum erat, cum ob latrocinantes *Hungaros*, tum etiam ob invadentes, ex improviſo, *Alba Regali Turcas*, quibus eo uſque ſæpe excurrere proclive erat, modo fuiſſet animus. Objecti hinc colles vitibus frugibusque læti, inde ager paſcuus, & in proximo *Buda Vetus*, flumenque *Danubius* 66
cum Inſulis feracibus, loci amœnitatem deliciasque mirum in modum adaugebant. Fuere etiam aliæ extra *Suburbium* ſecundum *Danubium*, ad *Sancti Gerhardi Montis* radices *Thermæ*, ex parte adverſa, ſed neglectæ jam corruptæque: nec tamen ideo vel has adire ſuperſedi. *Budam* tum temporis intrare *Hungaro* licebat nemini: *Raſcianis*, quos dixi, præcipue Feminis, permittebatur; quarum cultus veſtitusque, ubi in publicum prodiebant, non erat ingratus nec inelegans; victus alias & vita utrique ſexui ſordida; ſic ut præteriens, latitantes in cavernis latrones me videre, mihi viderer. olim ex his multi Mercaturæ addicti, plures ditiſſimi fuerunt. *Pons*, qui *Suburbio* huic *Pæſtum* adjungit, ſi recte memini, LVII. navibus ſuſtentabatur, eratque *pedum* circiter *decem millium.*

Pæſtum, oppidum mediocre ac ferme quadratum, tametſi multis locis belli furoribus afflictum, magis jam magisque reſtituitur, atque frequentius multo, quam *Buda* habitatur, quod



Buda prior fueram populis ſpectanda ſituque,
Orbis Pannonii pulcer ocellus eram.
Sed me Tempus edax conſumſit: rudera tantum
Antiqui ſervant nominis iſta decus.
I nunc Ambitio Turres ad ſidera tolle:
Integra cum videas oppida poſſe mori!

HENR. CHR. de HENNIN.

BUDA, qua Danubium prospicit.



A. *Pestum.*
B. *Danubius.*
C. *Munimentum monti impositum.*
D. *Thermæ.*
E. *Arx Budensis.*
F. *Superior Urbs.*
G. *Suburbium majus.*
H. *Judæorum urbs, sive Aquatica.*
I. *Suburbium minus, in quo Palatium.*
K. *Sepulcra Turcica.*
L. *Rudera urbis in Insula illa vastatæ.*

BUDA qua Agros prospicit.



A. *Rudera urbis vastatæ quondam in ista Insula.*
B. *Danubius.*
C. *Ab his colliculis et vinetis urbs maxime semper fuit oppugnata.*
D. *Thermæ.*
E. *Palatium minus et Publicanorum commoratio in Suburbio superiore, sive Minore.*
F. *Suburbium Posterius.*
G. *Judæorum urbs, quæ et Aquatica.*
H. *Urbs superior.*
I. *Arx.*
K. *Pestum.*
L. *Turcica sepulcra.*
M. *Suburbium inferius.*
N. *Munimentum monti impositum.*


STRIGONIUM, sive GRAN
A. Duo propug... e quibus Anno 1595. Carolus MANSFELDIÆ Comes Urbem oppugnabat, a Turcis sub Solimanno Anno 1543. ereptam.
B. Danubius.
C. Granus, in Danubium influens.
D. Gockarn oppidum
E. Urbs Aquatica sive ad Fluvium.
F. Arx Grani.
G. Vallum recentius.
H. Mons S. Thomæ.
I. Hoc loco 4. Aug. An. 1595. Turcæ a MANSFELDIO cæsi et dissipati fuerunt.
K. Huc cæsi Turcæ tum se receperunt.
L. Rasciorum urbs.
J. V. VIANEN f.

quod in plano commodior ejus & paratior ad usum fluminis situs est. Objacet illud *Budæ*, sed ita, ut ejus *porta* extremitati demum *Arcis* opposita sit, toto deinde oppido secundum flumen inferiore. Hic ego plurimos vidi, quos *Germani* vocant Zigeuner; *Galli*, *Egiptiens* aut *Bohemiens*, *Batavi Germanique Inferiores* appellant Heidens. sparsa est hæc Natio per *Daciam*, *Mœsiam*, vicinasque regiones, suosque habet ritus, mores ac linguam peculiares. Degunt sub tentoriis, exercentque Artes manuarias, quibus se tuentur, uti & coemundis divendundisque, quæ clanculum ad ipsos deferuntur, mercibus. *Religionem* præ se ferunt *Græcam*, cum sub *Christianorum* sunt dominio, *Pagani* alias, sive, ut vulgo dici solet, *Religionis* nullius: neque enim *Idola* habent; venerantur tamen unum Numen, sed ritu Barbaro.

Postquam cuncta perlustrando expletus fuit animus, *Lunæ die*, qui *Junii* erat XXIII. secundum *Gregorianos*, at secundum *Julianos Fastos* XIII. meusque natalis, *Buda* discessi, lenunculo conscenso, qui nos *Jaurinum* adverso flumine deferret. Hic ego stupendam *Sclavicæ* Gentis in *Arte Nautica* imperitiam expertus sum, quæ nobis quidem metum quandoque, aliis alio tempore nonnunquam vitæ periculum, imo & perniciem intulit; præsertim ad *Strigoniensem Pontem*, ubi nos quoque, exscensione facta, naufragii tantum non certum periculum vitavimus. vi namque fluminis circumactæ naves, *pontonibus*que, quibus *Pons* sustinetur, impactæ, sæpe tanto impetu illiduntur, ut fatiscentibus tabulis desidant: nescias aliquando, utrum casus ille fluminis violentiæ potius, an imperitiæ Nauarchorum assignes; quæ tanta est, quanta quæ maxima. datum, & non rusticam tantum, sed belluinam potius, ejusdem Gentis de plebe hominum vivendi rationem intueri: *Palliolis* suis *albis* involuti totos dies, ad instar pecudum, artubus contractis in navi jacebant, segnes ac nihil agentes, nec ulla re, nisi voce, nonnunquam homines sese esse prodentes. Manum operi admovere, aut animi gratia e navi in ripas prospicere, aut erigere se denique, piaculum erat. *Cibus* illis *Panis Siccus*, paucis cum *Caseo*; *Potus*, Aqua hausta ex flumine. Erant & honestiores aliqui, quibus e *Mercatura* victus, sed a perexiguo lucello perquam

C c tenuis.

tenuis. *Reformatæ* hi omnes *Religionis* erant, ſeque *Canticis* plerumque *Sacris* oblectabant, atque ab aliis diſtinguebant. Narrabant Illi, *Birrini*, *Junjozeni*, & *Keſtkemithi*, locis *Buda* ad *decem milliaria Germanica* diſtantibus, pleroſque incolas *Reformatorum Sacra* ſequi, paucos eſſe *Pontificios*; *Kerezii* vero, quod altero tantum milliari *Buda* diſtat, omnes plane eſſe *Reformatos*; at *Pontificium Lutheranumve* neminem. Querebantur autem graviter, ab Exteris eorundem Sibi Sacrorum Populis turpiter ſe negligi, nec *Doctorum* Sibi copiam ſubmitti, cum tamen pleraque *Hungariæ*, ad *Dravum Savumque* vergentia loca a Reformatis colerentur. advertimus vero etiam nauticam ſuperſtitionem: a *ruſtica fiſtula* non alieni, ore *ſibilum* ad ejus imitationem edi ægerrime ferebant, ac, velut infelix omen, averſabantur abominantes: ratio nulla aſſerebatur; ſola ita ſemper ſentientium Nautarum conſuetudo pro ratione erat.

Cum haud procul *Strigonio* eſſemus, cum paucis ego exſcenſione facta agros vicinos peragravi, non nimis fœcundos, & arenoſos, niſi qua flumini proximi in paſcua cedebant. Circa meridiem in *Urbem* veni, tranſita prius *Arce*, quæ colli edito 67
impoſita, plus Famæ, quam vero, debet, peranguſta, &, ob proximum imminentem *Sancti Thomæ Montem*, non ita difficilis expugnatu. Elegantia in ea nulla eſt, uti nec in ſubjecto Oppido, quod, magna ex parte hoc bello afflictum, lente incipit inſtaurari. *Binæ* hic *Thermæ*, ſed corruptæ; obſtructæque alteræ ſunt, alteræ ferme neglectæ. Erat antehac & *Suburbium*, uti & e regione oppidulum *Barcan*; ſed utrumque jam deſtructum. *Ponto* hic *Aquæ* impetu circumagitur, & ſic, ab utraque ripa, producti in fluvium *Pontis* diſcidia conjungit. Inventum in *Batavis Neomagenſi* Civi debetur; & ab Hoc reliquæ Gentes acceperunt.

Eadem veſpera *Strigonio* profecti, die abhinc tertio, circa octavam horam matutinam, *Comaronium* appulimus navim, *Pagos* hinc inde nonnullos prætervecti; quorum nonnulli integri; quidam deſtructi, habitabantur tamen in ruinis cellisque Vinariis. Erat jucundum hic nobis ſpectaculum, duplex *Puellarum* & ſat frequens ordo utrumque Viæ latus obſidentium, ruſticaque bellaria, *Panem*, *Piſces*, *Caſeum*, *Butyrum*,

Fructus,

Fructus, & ſimilia, venalia offerentium. *Comaronii* diem illum hilariter transegimus, itinerisque huc usque peracti moleſtias liberaliore, attamen moderato, *Hungarici Vini* potu diſcuſſimus. Supra, Perilluſtris Domine, dixi, *Comaronii*, *quatuor* Peregrinis oſtentari jactarique Memorabilia velut Ænigmata, quæ quaſi certa quædam aditi loci hujus indicia eſſe ſolent, ſcilicet: „ I. *Panem* in *Milites* ad *Teſſeram* diſtribui :
68" II. *Vigilari* ſuper *Puella Virgine* : III. *Milites* ſuper *Templum liberis quærundis* operam dare : IV. eosdemque *onus Naturæ* excernere in *Libram*. Ne quis vero anxius dubiusve hæreat, aut Oedipum quærat ad hæc, ſi Diis placet, Sphingos Ænigmata explicanda, eorum ſenſus hic fertur: *Panis* illic Militibus eſt pro parte *ſtipendii*, cujus *numerus* ſuæ cujusque *Teſſeræ* inſculpitur: deinde *Virginis Sepulcrum* eſt in vallo ſive mœnibus, de qua multa fabulantur, cui inſiſtens miles *vigilias* obit: tum in *circuitu muri*, qui *Templum* ambit, *caſulæ* deſuper exædificatæ ſunt, militum habitationi deſtinatæ: tandem fluvius *Waga*, quæ vox *Germanis* denotat *Libram*, ab altera parte Munimento huic prælabitur, ibique excrementa, ſit honos verbo, aſſellantium militum excipit.

Arrabonem altero die ſub veſperam perveni; ac poſtridie per late patentes & fertiliſſimos agros equis iter feci, inſigni cum voluptate animi frequentes ingentium *Boum* greges quaquaverſum oberrantes ſpectans. Hic omnia culta rurſus, & lætior paſſim facies agrorum. cum *Poſonium* eadem veſpera intrare poſſem, malui in proximo pago ſubſiſtere.

Poſtridie *Poſonio* adito, negotiisque peractis, *Haimburgum* perrexi, & hinc *Petronellam*; quæ ambo, fœdum in modum, a *Turcis* igni ferroque devaſtata, rurſus, quantum Incolarum vires ferunt, redintegrantur. *Petronellæ* aliquot mihi *Ærei Nummi Veteres*, ſed vulgares, oblati ſunt. ſpectatus etiam mihi *Arcus Triumphalis* a LAMBECIO deſcriptus. Nobile hic, ſed flammis magna ex parte corruptum *Comitis* TAUNII quondam *Prætorium* eſt, cum Hortis egregiis, multa amœnitate inſignibus. Tandem *octavo*, ex quo *Buda* diſceſſeram, nimirum *Lunæ*, *die*, pridie *Kalendas Julias*, *Viennam* ſalvus valensque, Divino favente Numine reverſus, *Iter* hoc *Hun-*

garicum ſesquimenſe abſolvi. Vale Perilluſtris Domine, & hunc verius librum, quam epiſtolam, pro inſigni Tua humanitate æqui bonique conſule. Dabam *Viennæ Auſtriorum*, ante *diem Nonas Julias* anni a N. CHR. CIↃ. IↃC. LXXXVII.

HENR. CHR. HENNINI

Annotationes & Obſervationes ad Epiſtolam V.

1. Decem *Milliarium.*] Puto intelligi *Germanica*, at *Hungarica* ſunt ampliora.

2. *Poſonium.*] Hic Linguæ *Germanicæ* & *Hungaricæ* promiſcuus uſus eſt. ſæpe incendiis vaſtata urbs, ut annis 1515. 1563. 1590. 1642. aliisque.

3. *Plindeburgum* cum *Vicegradia.*] Urbs hæc cum Caſtro veteri, ad dextrum Danubii latus, præcelſo in monte, ſito, inter *Strigonium* & *Budam*, valido & munito: at ipſa a *Turcis* bis terve rapta, a *Chriſtianis* erepta, incendiis deformata eſt & rapinis. olim *Hungariæ* Regibus, maxime MATTHIÆ, jucundum præbuit ſeceſſum, aëris cœlique clementia, ſolique ubertate, & ſalubri amœnitate gratiſſimum; ubi olim vineta, pomaria, horti, paſcua læta, virentia & amœna ridebant. ingentes ædificiorum ruinæ priſcam regiamque teſtantur magnificentiam. erat inter hæc *Equile* viſendum, ſexaginta pluresve Equos admittens, ex marmore & ſecto lapide adeo polite fabrefactum, ut ſpectatores in admirationem rapiat. Lubet hic veterem ejus effigiem mutuari ex *Wilh.* DILLICHII Ungariſch Chronic. *p. m.* 13. quam TOLLIANÆ Epiſtolæ addidi, uti & ſequentes Urbium *Hungaricarum* effigies.

4. Munire has Inſulas *Aggeribus* &c.] Imo illi ob vim incurrentium & exundantium tota mole aquarum, præſertim hiberno tempore glaciatarum, fruſtra opponerentur undis *Danubii*.

5. ARCHIEPISCOPI.] ne erres, *Strigonienſis*, cujus *Capitulum Tirnavæ* ſedet: (cum maxime illa ſede & ſimul purpura Cardinalitia fulget Eminentiſſimus COLLONITZIUS.) PALATINUS apud *Hungaros*; BANUS apud *Croatas* notant Vicarium Legatumve REGIS, cujus Vicarii magna eſt auctoritas.

6. *Carnis vilitas* &c.] Unde bonus ille Erro paraſitus *Johannes Amos* CO-

MENIUS

MENIUS hæc tria maxime *Hungariæ* bona prædicare solebat : *bonam Carnem , bonum Panem , bonum Vinum.*

7. Est enim *Hungaria* , & seqq] Tu de hujus Fœcunditatis caussis etiam consule BASIL. VAL. *Opp. P.* II. *p.* 92. & 93.

8. *Puteales.*] *Putei* sunt , quos hominum manus excavavit , eque terræ visceribus effosso ductu aquas hauriendas hi præbent : at *Fontes* sunt , qui sua sponte ex terra plana montibusve perenni scaturigine effluunt. hinc facile Aquarum *Putealium* & *Fontanarum* differentiam hauries, de qua porro lege AGRIC. *de nat. eor. quæ effluunt ex Terra lib.* III. *init. p.* 121. & 126.

9. *Carpionem.*] Omnes *Hungariæ* fluvii valde sunt *piscosi* : sic ut vulgo jactent , *Tibiscum* habere *duas partes* Aquæ , *unam* Piscium.

10. *Jaurinum* , sive *Arrabonem.*] Addidi ejus effigiem ære expressam ex DILLICHII *l. l. p. m.* 10. ut & paullo post *Comaronii* , *p.* 9. quale fuit an. 1600.

11. *Societatis* JESU ... *Collegium.*] Non loquitur hic TOLLIUS noster ex usu triti sermonis. Patres isti inter *Residentias* & *Collegia* distinguunt. prioris notæ est illa sedes *Jaurinia* , non vero *Collegium.*

12. I. Milites Præsidiarios hic *panem* &cc.] Solutionem horum ænigmatum vide in fine *Epistolæ* hujus , *num.* 68. & ibi notatis.

13. *Monumenta Antiqua* &cc.] Confer hic *Epistolam seq* VI. *num.* 16. & ibi Annotata a Nobis.

14. Eadem , quæ BUSBEQUIO , fortuna.] Puto hunc respici locum in *Epistol. Turcic.* I. *p. m.* 86. *edit. min.* 1660 quo narrat ista : " *Amasiæ*, ,, in *Asiæ Minoris* urbe , Faber quidam Ærarius mihi magnopere movit sto- ,, machum , a quo cum *Numismata* requireremus , ingentem se aulam ,, paucis ante diebus plenam habuisse , narrabat ; ex quibus lebetes æneos ,, aliquot conflasset , quod nullum eorum aut usum , aut precium pu- ,, taret esse. sane magno mihi erat dolori, tantum periisse Antiquitatis. sed ,, ego illum ita ultus sum , ut dicerem , me centum aureos pro iis , su- ,, peressent modo , numeraturum. sic Illum non minus amisso eo e fauci- ,, bus bolo , tristem a me dimisi , quam Ille me ea vetustatis jactura com- ,, moverat.

15. *Inscriptiones.*] Eas ad fidem ἀυταπογράφυ TOLLIANI jussi æri hic incidi. Quid sibi velint *Inscriptiones* supra januam , dignoscant & exponant Viri in Literis *Arabicis* & rebus *Turcicis* peritiores. In Circulis autem illis binis habentur nomina IV. *Chalifarum* , qui MUHAMMEDI successerunt ; qui plerunque jungi solent , & quorum apud Turcas religiosissima est memoria. sunt vero literis vulgaribus :

عثمان

عثمان *Othman.* ابو بكر *Abu Bekr*

علي *Ali* عمر *Omar.*

Suasit autem Cl. V. *Henr.* SIKE, magnum *Arabicæ* Eruditionis incrementum & decus, quem super istis *Inscriptionibus Januæ* consuluimus, ut ad αὐταπόγραφον *Tollianum* singula accurate a Chalcographo inciderentur æri, uti sic judicium & interpretatio Lectori perito relinquantur. id vero consilium placuit. sed fortassis TOLLIUS Noster in exscribendo errare potuit, propter difficultatem καλλιγραφίας Arabicæ, in qua similes sunt multarum literarum ductus, aut levissime tantum mutati; si porro omittantur, aut non suo loco collocentur puncta diacritica, jam pæne divinandus est sensus; quod etiam verum puto in interjecta inter circulos inscriptione.

16. *Turrim.*] intelligitur Turricula *Mosqueis* addita, ex qua Præcones, Turcis *Muezin*, populum ad preces convocare & citare solent.

17. Cujus ego temeritatis *&c.*] Sane non vanum fuisse vatem TOLLIUM, nonnullæ calamitates postea secutæ, sed jam verbis non repetendæ, satis comprobarunt.

18. MORAVITZIO.] vel MORAVIZKY. Obiter autem hic adnoto, terminationem locorum *Hungariæ*, quæ desinunt in *War*, vel *Warat*, notare *urbem* aut *oppidum*, cognomine vel Sancti, vel Fluvii, vel alio adjectivo addito: ut *Coloswar*, *Temeswar*, *Segeswar*, *Ywar*, *Ungwar*, *Vywar*, *Valkowar*, *Petrowar*, *Sarwar*, & similia.

19. *Schernovizium* veni.] Hic TOLLIUS in *Belgicis* hujus itineris *Adversariis* ista interjicit: " obvius ad pedem montis fuit pagus *Klischa*, a „ quo mox altissimos Montes superavimus, antequam sub vesperam ve„ niremus *Hogenbischam*, qui pagus *Klischa* distat *Hungarico milliari* tan„ tum *unico*; sed quod æquale est *quatuor Hollandicis*. Obiter hic paullo „ ante ab Opilione petii *lac caprillum*, quod bibi. sunt enim hic *Capræ* „ pulcerrimæ, & *Hirci* pulcerrimis cornibus in multos gyros flexis, qua„ libus etiam ornantur Arietes, prolixis, a fronte promissis & mox retor„ tis gyris. hic pernoctavi & altero die equum conduxi dimidio Impe„ riali, quo per tria milliaria *Hungarica* equitavi *Schemnizium*. Pagus „ autem *Hogenbischa* in profunda valle situs, pulcerrimus omnium est, „ quos in Hungaria viderim. Colles Montesque vicini lætissimi & cultis„ simi sunt, reliqui luxuriant quercetis & fagetis. hinc vero uno milliari „ distans perveni *Schernovizium*.

20. Convivioque adhibuit.] In *Belgicis Adversariis* ita lego: " Hic „ accepi, eo ibi meridie adfuturum *Camergravium*, Excellentissimum „ VIECHTERUM. itaque me ad CÆSAREAM Domum in colle sitam con-

„ tuli,

„ tuli, veri explorandi caussa apud *Judicem Aulicum.* Certior veri fa-
„ ctus, adfero & trado Illustri Viro literas, qui humanissime exceptum se-
„ cum prandere blanda vi coegit, licet affirmarim, me jam in diversorio
„ pransum esse. Interea Ejus Filius, ante quatuor demum hebdomadas
„ ex *Italia*, *Gallia* & *Belgio*, itinere facto redux me amico sermone deti-
„ nebat. Hic pernoctare coactus sum, quod Rustici servus, equum con-
„ ductum precio jam persoluto, seque una clam domum subduxe-
„ rat.

21. Sumsi mihi inde *fragmenta*, & seqq.] Procul ullo dubio, *fragmenta* lento igne cum sulfure liquando in crucibulo voluit extrahere. monstrat viam *Lazarus* ERCKERUS in *Aula Subterranea*, Germanice edita 1672. *lib.* I. *p.* 29.

22. *Pro Incolarum numero.*] *Schemnitzii* 500 admodum ædes sunt, & incolæ circiter 3000. si illos addas, qui ad *Cameram* attinent *Cæsareanam*, illi vocant: **den Cammerhoff.** ita quidem accepi ab ipso TOLLIO.

23. *Grossi.*] Germani vocant **gute Kayser-Groschen.** unus valet *tres crucigeros* sive *Kreutzeros*; *duosve stuferos Clivienses.*

24. Ultra debitum condictumve tempus, *&cc.*] *Metallurgi Germani* sua phrasi hoc tempus vocant **eine Leedige Schicht.** BERWARD. *l. sæpius l. p.* 21.

25. His *Operis* & universo *Operi*, & seqq.] *Præfecti* ita Latine reddi possunt: I. Totius Operis Inspector, Præfectus sive Episcopus. II. Quæstor. III. Commentariensis Accepti & Expensi. IV. Secretarius. V. Putei Spiritalis Procurator. VI. Officinarum Præfectus. VII. Auri Separator. VIII. Magister Metallicorum. VIIII. Videntur esse Officinarum Supppræfecti. BERWARD. *l. l. p.* 39. X. Officinarum Scribæ Commentarienses. XI. Officinarum Custodes. XII. Docimastes juratus. Operæ autem sic reddi posse videntur: I. Tres manipuli Machinariorum. II. totidem Vectiariorum. III. totidem Capsæ patentis, quam *Canem* vocant, Vectorum. IV. totidem Fabrorum Lignariorum. V. totidem, ut puto, Tyronum Fodinæ Fossorum; fortassis TOLLIUS non satis intellexit, nec satis recte scripsit Germanicum: **Lehr-häuer.** VI. totidem Ingestorum. VII. totidem, ut puto Fossorum Veteranorum, qui a mercede forsan dicti scribi debuissent a TOLLIO: **Lohn-häuer.** VIII. totidem Adjuvantium Fossorum, a commodanda opera forte **Lehn-häuer /** dictorum. IX. totidem Puerorum Tyronum. X. totidem manipuli Machinis, aut manuum aut animalium ope regundis, Præpositorum. XI. duo manipuli Fabrorum Ferrariorum. XII. Unus manipulus Feminarum Metalli lotricum & Aurilegularum. XIII. Unus Manipulus Præfecti Machinarum & huic subservientium Ministrorum. Equi sunt distributi, ut serviant *Puteis* sive *Fodinis Eleonoræ*, *Hospitalis*, &

& ut *Metalliferi*, ſic dicti, ſeparatim ſint equi; quos cum vocat Fiedernuſz-pferd / fateor, mihi illam vocem videri minus recte aut *Germanice* ſcriptam. nam ex BERWARD. *Praſeolog. Metall. p. m.* 10. diſco: Fordern, eſſe Berg oder Ertz auſz der gruben ſchaffen. id eſt, curare, ut metalla ex fodina efferantur. hinc eſſe Förderniſz / aut Forderung / illum actum, wan berg herauſz gefordert wird / i. cum *Metalla* ex *Fodina* petuntur: ergo Förderniß-pferde / Equi hoc ad opus deſtinati. confer BERW. *l. l. p.* 41. ubi recenſet *Hercyniæ Metallurgiæ* Præfectos Majores & Minores.

26. *Campum Fodinarum.*] Vide BERWARD. *l. l. p.* 8.

27. *Ductus*, cui ab *Hoſpitali* cognomen.] Metallurgi Latini tales appellant diſtinctius *Puteos*, Germani: Schachte.

28. *Klafterarum.*] Noli peregrinæ menſuræ peregrinum mirari nomen· ſi enim licuit *paraſangas* & *leucas* gentili nomine adſciſcere, ecquis adeo ſuperſtitioſus Latiniſmi ſatelles erit, ut malit affectate & moleſte ſcribere, quam breviter ipſo rei nomine intelligi? ſed rem explicemus. Si Sereniſſimam *Saxoniæ* Ducem, quæ elegantem libellum vernaculum Handlung von der Welt Alter edidit, audiamus, dicet *p. m.* 215. *Clafteram* eſſe longam *tres ulnas*, ſine dubio *Saxonicas* innuens. Georg AGRICOLA *de Pond. & Menſ. lib.* III. *p.* 339. vertit *Paſſum*, Klaffter. At ego tua, curioſe Lector, cauſſa ſuper hac ipſa menſura conſului virum in rebus Metallicis verſatiſſimum, mihi & TOLLIO olim amiciſſimum, quique per triennium fere hæſit, Metallurgiæ explorandæ gratia, in urbibus *Hungariæ* Montanis, *Johannem Gothofredum* MELMIUM. Ex eo didici *Clafteram* eſſe longam *ſex pedes*; *Pedem* ibi dividi, ut & alias, in XII. *uncias*, Zolle: adeoque *Clafteram* eſſe LXXII. unciarum: ac ut *Pedis* hujus accuratiorem menſuram concipias, en Tibi ejus quadrantem, ad marginem, literis A. B. dimenſum! habes itaque hic *tres uncias Pedis* illius *Metallici*. quamvis non auſim exactum ad amuſſim quadrantem promittere, qui novi chartam typis imprimendam prius a typographis madefieri, ut felicius imbibat atramentum; quæ poſtea rurſus exſiccata contrahit nonnihil, circiter ad ſexageſimam partem, longitudinem. obſervavit & ſimul queritur eandem *Wilh.* GOESIUS *Antiq. Agrar. c* 6 *p.* 60. ut & *Willebr.* SNELLIUS *Eratoſth.* II. I. quare id operæ dedi, ut hujus ſexageſimæ exſiccеſcentis aliquam in πρωτοτύπῳ rationem haberem. *Pes* autem hic *Metallicus* parum diſtat a *dimidia ulna Brabantica.* De *Lachteris*, menſura item Metallurgica vide *Annotata Epiſt.* III. *num.* 31. *initio.*

A. 1. 2. 3. B.

29. Rationem *Æris* in *Argentum* & ſeqq.] Puto innui, quod ad *Fodinas* attinet, rationem intercipiendæ *Auræ*, quam vocant, *Argenti* & *Auri*.

30. *Antliisque*, &c.] Idem, quem ſupra dixi, MELMIUS pro ſua indu-

induſtria modum invenit, quo minus *acris* illa *Aqua* exedat *ſuctoris coria*; quem modum propoſito induſtriæ præmio non invidebit Bono Publico.

31. Inſalubris illa *&cc.*] Kieſſig-Waſſer / veteres *Aquam pyrite infectam*, aut metallicis particulis & recrementis imbutam: Gruben-Waſſer / *Aquam Fodinalem*; Kunſt-Waſſer / *Aquam Machinarum.*

32. *Montibus.*] Scilicet *Carpathiis.* Lubet hic adſcribere curioſa & non protrita de *Carpatho Monte* ex obſervatione oculata inſignis Mathematici *Davidis* FROELICHII, quæ refertur in *Eph. N. C. Dec.* II. *An.* 4. *Obſ.* 8. *p. m.* 16. 17. " E Montibus Hungariæ, inquit, primas tenet ,, *Carpathus.* Horridiora & ſublimiora juga, nubes transſcendentia, ex- ,, ſiſtunt in Comitatu *Sepuſienſi*, ad patriam meam dulciſſimam, *Cæſareo-* ,, *polim*, vulgo Keßmarck dictam; a qua Civitate etiam Keßmarcker Ge- ,, bürge / item das Schnee-Gebürge / quod perpetuis fere *nivibus* tegantur; ,, a *Slavis*, *Tatrii* vel *Tarczal*, quaſi *calvi* & *abraſi* Montes, nuncupan- ,, tur. Ego menſe *Junio* Anno Chriſti 1615. tum adoleſcens ſublimita- ,, tem horum Montium, cum duobus comitibus Scholaribus, experiri ,, volui, ubi, cum in primæ rupis vertice, magno labore, me ſummum ,, terminum eſſe aſſecutum putarem, demum ſeſe obtulit alia, multo al- ,, tior, cautes; ubi per vaſta vacillantiaque ſaxa, (quorum unum ſi loco ,, a Viatore dimovetur, & verſus convallem dejicitur aut volvitur, ali- ,, quot centena decuplo majora ſecum rapit, & quidem tanto cum frago- ,, re, ut illi metuendum ſit, ne totus mons corruat, eumque obruat:) ,, enixus eſſem, iterum alia ſublimior prodiit; atque ita aliquot minores ,, vertices, quorum poſteriores ſemper anteriores altitudine ſuperarunt, ,, per totidem convalles, ſummo vitæ periculo emetiri coactus ſum; do- ,, nec ad ſupremum cacumen penetraveram. Ex declivioribus Montibus, ,, cum in ſubjectas valles, vaſtis arboribus conſitas, proſpexiſſem, nil ni- ,, ſi obſcuram noctem, cœruleum quid, inſtar profundi aeris, quod vul- ,, go *Cœlum ſudum* appellatur, obſervare potui, mihique videbar, ſi de ,, monte caderem, non in Terram, ſed recta in Cœlum prolapſurum. ni- ,, mia enim declivitate ſpecies viſibiles extenuatæ & hebetatæ fuerunt. Dum ,, vero altiorem Montem peterem, quaſi intra nebulas denſiſſimas hære- ,, bam. His eluctatis, poſt aliquot horarum intervallum, cum jam non ,, procul a ſummo vertice eſſem, de ſublimi quieſcens proſpexi, atque ,, animadverti, iis in locis, ubi antea videbar intra nebulas hæſiſſe, com- ,, pactas atque albas ſe movere nubes, ſupra quas per aliquot milliaria, & ,, ultra terminos *Sepuſii*, commodus mihi proſpectus patuit. Alias tamen ,, nubes etiam altiores, alias item humiliores, nec non quaſdam æqualiter a ,, terra diſtantes vidi. atque hinc tria intellexi: I. me tum tranſiviſſe ,, *Principium mediæ Aeris regionis:* II. diſtantiam *Nubium* a *Terra* non ,, eſſe æqualem, ſed pro ratione vaporis, alicubi altiorem, alibi humilio-

 ,, rem:

„ rem : III. distantiam *Nubium* Terris proximam longe minorem esse ,
„ quam quidam Physici statuunt ; & quidem non LXXII. *Milliaria Germanica*, sed tantum *dimidium Milliare Germanicum*. In summum Montis
„ verticem cum pervenissem, adeo tranquillum & subtilem Aerem offendi, ut
„ ne pili quidem motum sentirem ; cum tamen in depressioribus Montibus
„ ventum vehementem expertus sim. unde collegi: *Summum cacumen istius*
„ Montis Carpathii *ad* Milliare Germanicum , *a radicibus suis imis , exsurgere* ; *& ad* supremam Aeris regionem , *ad quam* Venti *non ascendunt , pertingere*. Explosi in ea summitate sclopetum , quod non majorem primo sonitum præ se tulit , quam si tigillum vel bacillum confregissem : post intervallum autem temporis murmur prolixum invaluit,
„ inferioresque Montis partes , convalles & silvas opplevit. Descendendo
„ per nives annosas , intra convalles , cum iterum sclopetum exonerarem,
„ major & horribilior fragor , quam ex Tormento capacissimo , inde exoriebatur : hinc verebar, ne totus Mons concussus mecum corrueret : duravitque hic sonus per semiquadrantem horæ , usque dum abstrusissimas
„ cavernas penetrasset, ad quas Aer undique multiplicatus resiliit. Hæc Ille. Utinam exstaret *Christiani ab* HORTIS , Viri Doctissimi , qui ad radices *Carpathi Montis* in nobili vixit prædio , labor *de Balsamo Hungariæ Carpathico* , una cum libro *de Gemmis Hungariæ !* sed mors intercepit editionem , a qua morte dein Vidua & impuberes Liberi rarissimam Bibliothecam una cum his mss. sparsim vendiderunt vicinis *Polonis* ; testante SACHSIO *in Scholio* ad *Obs.* 28. *p.* 57. *Eph. N. C. Dec.* I. *An.* 2.

33. *De Aquis Subterraneis.*] AGRICOLA hoc argumentum accurate persecutus est *libris* IV. *de natura eorum , quæ effluunt ex Terra.*

34. Silber-Kies.] est durior *Pyrites Metallicus* , varii coloris , *Argentum* , sed intime inhærens , continens. Kieß enim *Pyritem* notat. Vide MATTHES. *Sarept. Conc.* X. passim. Greis autem videtur *Sabuli Metalliferi* species.

35. *Socero & Genero.*] in *Belgicis Adversariis* addit : " qui cIↃ. IↃc.
„ Centenarios *Plumbi* huc attulerant , & plerumque quotannis quater huc
„ veniebant. *Plumbum* illud est *Polonicum* , cujus singuli *Centenarii* continent circiter *unciam* , aut *sescunciam Argenti.*

36. *Boccantium.*] Meminit hujus etiam AGRICOLA *de Vet. & Nov. Metall. lib.* II. *p.* 401.

37. Quas in *Hungaria* esse *Fodinas* &cc.] Confer passim AGRICOLAM libris laudatis *de Vet. & Nov. Met. & de R. M.* item *Eduard.* BROUNII *Iter Hungaricum* , *Anglice* & *Belgice* editum : Eundem in *Transact. Philos. Anglor. Tom.* IV. *num.* 48. *p.* 965. *num.* 58. *p.* 1199. item *num.* 59. *in Cons.* 23. *Maji* 1670. *p.* 1923. habetur Ejusdem relatio de *Hungariæ Cuprifodinis* in *Herrengrunda* , ejusque descriptio *Thermarum Austriæ & Hungariæ* , *Lapicidinarum* & *Talci saxatilis* istarum regionum. adde

Phil.

Phil. CLUVER. *Introd. Geogr.* IV. 2. §. 4. ibique Commentatores. TOLLIUS noſter his locis recenſendis mirum in modum perturbaverat ſingula, quæ multo labore inquiſivi, digeſſi, recenſui, & collatis Schedis Belgicis ſupplevi.

38. Qui eam præ tenuitate opum &cc.] Tales Fodinæ ob inopiam neglectæ dicuntur phraſi Metallurgica *in ſpe eſſe*, Germanis auf hofnung.

39. Jam vero non *Montes* tantum, *&cc.*] Addo hic ex *Joh.* PATERSONIO, *Haynio*, *Eperienſi* in *Hungaria* Poliatro, *Eph. N. C. Dec. l. l. Dec.* I. *An.* 2. *Obſ.* 28. Non procul ab Arce *Nunkàc* inventam *terram albam*, ſmegmatis inſtar, quam ille *Cimoliam* eſſe credidit; qua ibi utuntur ad dyſenteriam & ſudores ciendos: Idem meminit *Mercurii Virginei* adhuc in ſua terra latitantis, conſpicui hinc inde, qui ſine igne terra contuſa & aqua diluta ſtatim in unum confluit globum: item memorat *Cryſtallum*, cujus pars ſuperior amethyſtino colore ſit prædita: item obſervavit in *Aureo Sabulo*, quod Waſch-Gold vocant, *pulveris Ferrei* ſubtiliſſimi non parum, quod magnete ex quinque Aureis extraxit ad ſcrupulum unum fere, cui inerant parva *Ferrea corpuſcula*, quibus *Auri* aliquid adhæſerat: *Cinnabarim nativam* narrat *pellucidam* elegantem, ubi *Plumbi minera* cum *Marcaſita* fœdus iniit: item *Mineram Granati*, quos *Eperienſis* tractus parvulos magna copia generat: item *Mineram Antimonii* ſagaci Naturæ magiſterio elaboratam, ad quartam libræ partem mire *ſtriatam* & quaſi pictam: item *Mineram Solis Nagynaniæ*: item *Cryſtallos parvulas*, in ſuperficie Agri *Nagynahalenſis* magna in copia reperiundas. de *Bolo Hungariæ* vide *Transact. Phil. Angl. Tom.* I. *num.* 1. *p.* 11.

40. In *Transſilvania* & ſeqq.] De Rebus Naturalibus *Hungariæ* & *Transſilvaniæ* adde laudatas *Transact. Phil. Tom.* II. *num.* 25. pag. 467. de *Slotta* adde AGRIC. *de Vet. & Nov. Met. lib.* II. *p.* 401.

41. *Templum.*] In *Belgicis Adverſariis* ita notat: " ibi tria ſunt *Templa*; unum in *Arce*, quæ nullius momenti eſt; bina in *Foro*, quorum " alterum *Franciſcanorum* eſt *Nudipedum*.

42. Poſt expeditionem GEISÆ II.] TOLLIUS, ut ſubinde, ita & hic lacunam reliquerat. ſcilicet dubitatur de prima *Saxonum* in *Hungaria* origine; aliis eos CAROLI M. Colonos eo miſſos affirmantibus. CLUVER. *Intr. Geogr.* IV. 18. §. 5. ait *Saxones* eo ultro conceſſiſſe, cum nollent leges Victoris CAROLI accipere. ſed verior eſt, quam nos ſequimur, ſententia; comprobante eam *Caſp.* ENSIO *de Regib. Hung. ſub Rege* GEISA: &, qui ſuper hoc argumento legi meretur, perilluſtri & generoſo *Valentino* FRANCKIO a FRANCKENSTEIN, *Saxonicæ Nationis* in *Transſylvania Comite*, & civitatis *Cibinienſis*, quæ illius ibi metropolis eſt, *Judice Regio*, in libello, quem inſcripſit: " *Origines Nationum* & præcipue *Sa-*

„ *xonicæ* in *Transsylvania*, cum nonnullis aliis *Observationibus*, ad Ejusdem jura spectantibus, e ruderibus *Privilegiorum* & *Historiarum* erutæ. *Cibinii* 1696. recusæ *Helmstad.* 1697. 4.

43. Quod hic non per scalas descendatur & *seqq.*] Hanc descensus rationem ob oculos ponit figura apud AGRIC. *de R. M. lib.* VI. *p.* 123. & 125.

44. In *rotunditatem* abscindendi.] in *Belgicis* Adversariis ait TOLLIUS: „ eam esse *oviformem*, esse nummos valore *quinque Grossorum*, quorum „ XXXVIII. XXXIX. rarius XL. *Selibram* sive *Marcam* constituant. hæc „ Ille. Est autem *Nummus quinquegrossicus* valore XV. *crucigerorum*, sive quadrans *Floreni Rhenani*, & *sextans uncialis Argenti*; ergo, ratione *Imperialis nummi*, accurate pendere debet *argenti scrupulos* ℈jv. ponderis Medici. itaque in *Selibram* sive *Marcam*, si XXXVIII. *Quinquegrossici* computentur, habebis in illis argenti *uncias sex*, *drachmas duas*, & *scrupulos duos*: adeoque in Monetarios sumtus, Argentique æreum temperamentum imputari debebunt *uncia una*, *drachmæ quinque*, *scrupulus unus*: Talisque, ut appellant, *Pagamenti* Argentum erit in proportione $12\frac{8}{12}$. partium ad $3\frac{4}{12}$. additamenti, quod *Alliage* vocant.

45. *Maximi semper*que *veridici Doctoris.*] ita & *Theod.* KERCKRINGIUS *in Comment. ad* BAS. VAL. *Curr. Triumph. Antimon. præf. ad Lector.* ait: *Est* BASILIUS *Chymicorum Princeps, omnium, quod sciam, præstantissimus, omnium sincerissimus, omnium clarissimus. Eo lecto & intellecto habes, quicquid in Chymia sperari potest: hoc Tibi de Eo spondeo, hic fidem meam pro Eo interpono.*

46. *Albi Vitrioli* præparationi.] Confer hic rationem conficiundi *Vitrioli Viridis* in *monte Rammelio* ap. BERWARD. *p. m.* 39. 40.

47. *Gemma Opali Hungarici.*] PATERSONIUS *l. l.* narrat de *Minera Opali Hungarici*, in qua resplendet *Opalus* eleganti mixtura colorum: putatque, si tale frustum separatim haberi posset, *Indo* nihil cessurum. Sperare *Georgium* SCHOLZIUM, Pharmacopolam *Eperiensem*, qui in effodienda *Opali Minera* desudat, se plura & puriora frusta inventurum. vide etiam BOET. *de Gemm. & Lapid.* II. 46-50.

48. *Spiritus Aurificus.*] Confer hæc supra cum illis, quæ in Epistola ipsa post *numerum* 44. de *Auro Flammeo* dixerat TOLLIUS.

49. *Metalla* regenerari, & *seqq.*] Repete dicta ad *Epist.* IV. *num.* 9.

50. *Cremnizii*, ubi impensæ &cc.] Imo vero ita est. *Camera*, ut vocant, *Cremnizensis* quotannis imputat expensis plures ultra 8000. Florenos Germanicos, qui excedunt acceptos ex *Auri* fodinis, quæ valde sunt pauperes: & tamen eadem *Camera* adhuc, ob Monetam, in singulas *Marcas* sive *Selibras* accipit lucro *semunciam*, quæ Monetariis sumtibus deputantur.

51. *Pagi-*

51. *Pagi*que duo.] In *Belgicis Adverſariis* Tollius hæc habet : " Proxime ad Urbem eſt pagulus *Radewalda*, cum eleganti Templo, & prætorio, ſive Domo Nobili : & huic proximus alter pagulus *Cralowa*, Germanice Königsdörflein / ubi item Nobilis, in ſpeciem exigui caſtelli, Sedes viſitur, cujus Dominus, Nobilis *Hungarus*, pauloante, ob rebellionem, ſuſpendii ſupplicio fuerat affectus. Urbi annectitur *Suburbium* cum *Tabernis Fuſoriis*. hinc Urbs eleganti ſitu proſpectatur, *Turribus* aſſurgens, & ingenti *Templo*, quod, uti & illud *Cremnizii*, muris cinctum, & ad inſtar caſtelli turritum munitumque eſt, eoque magis, quod ſitum ſit ad Collem depreſſum verſus Eurum & Eurozephyrum, & verſus Boream ad flumen *Biſtritzum*, quo *Machinæ* rotantur *Metallicæ*, & nonnullæ molæ aquaticæ, ut appellant. Ligna abhinc IV. V. ſæpe VIII. imo X. milliaribus in montibus ſylviſque *Liptowæ* cæduntur, & cæſa in *Granam* dejecta devolvuntur, cujus ſecundo flumine ad *Tabernas* deferuntur, ſive denatant, *Fuſorias*, ubi impedimentis, ne præterfluant, excepta in uſus *Fuſionis* extrahuntur.

52. Novi ego aliquot hujus generis artes, *&c.*] At ego unicam tantum novi ; *ut ameris, amabilis eſto :* mirorque & ſimul hic deſidero judicium Tollii. Cur ergo non dedit talia philtra invidis oſoribus ſuis, ut eos vel invitos in ſui amorem cogeret ?

53. Helmontius.] Reſpicit Tollius, ut puto, locos in *Jure Duumvir.* §. 54. *p.* 248. *edit. Amſt.* 1652. *Operum* : alterum in *Magnet. Vuln. Curat.* §. 27 *p.* 599. qui ita ſonat : " Novi *herbam* paſſim obviam, quæ ſi teratur & foveatur manu, donec intepuerit, & mox alterius manum detinueris, quoad & illa tepeſcat ; amore tui ille totus continuo ardet, ad aliquot dies. Detinui pedem cujusdam *catuli*, hic confeſtim peregrinum me ſecutus adeo, ut noctu ante cubiculum ejularet, quo eidem aperirem, repudianti heram ſuam. Adſunt *Bruxellæ* mihi hujus facti teſtes. Calor etenim prius herbam calefaciens, calor, inquam, non ſolitarius, ſed effluvio quodam Spirituum Naturalium concitatus, herbam ad ſe determinat, individuatque ſibi : & aſſumto hoc *fermento*, per magnetiſmum alterius Spiritum trahit, & ſubigit in amorem.

54. Nimis diu eſt, quod Digbei *&c.*] Hæc experimenta Digbeus in illa diſſertatione ſilentio tranſiit.

55. *Sulfur Virgineum.*] Vide ſupra *Epiſt.* I. poſt *num.* 17.

56. *Torrere.*] Germ. Röſten ; ut *percoquere* vocant Gahr kochen / Gahr machen.

57. Arte compendifieri poſſet.] Adde hic alterum modum, qui a nonnullis, & quidem in aliis plerunque *Metallis*, non ita tenaci *ſulfure* impeditis, *Plumbi* ſcilicet & *Argenti*, primo loco adhibetur ; eſtque *crudi*,

 atque,

atque, ut effossum est, *mixti*, & eodem *Sulfure*, sed minore copia, itemque *terra impuriore* gravidi, *metalli* fusio.

58. *Aceti* quidem &cc.] nimis crude & generatim TOLLIUS hic loquitur. Limita itaque α. si *Acidum* non sit causticum aut corrodens. β. si sanguinis textura & humorum sit divulsa, nec satis sibi juncta, ut in peste; quo casu *Acida* maxime reficiunt.

59. Prima operatio &c.] Latine *Separationem*, *Spinarum Secretionem*, *Torrefactionem* & *Percoctionem* appellares: de quibus operationibus AGRIC. *de R. M. lib.* XI. toto.

60 Sed & aliud erat Naturæ miraculum, *& seqq.*] Serenissimus Princeps ERNESTUS, *Saxoniæ* Dux, sciendi desiderio inductus, literas ad Comitem *Stephanum* TÖCKOLY sub finem anni 1664. scripserat, ut quidnam de hac *Ferri* in *Cuprum* mutatione constaret in *Hungaria*, rescisceret indubie. Respondit 30. Jan. an. 1665. Comes, " fieri transmu-
„ tationem istam, non in Montanis S. C. M. regionibus, sed in bonis
„ Dominorum CHAKY, *Somolnock* dictis; simul missa una Aquæ ipsius transmutantis, & *Cupri* ex *Ferro* facti particula insigni, & addita hac schedula:

„ Descriptio, qualiter *Ferrum* mutetur in *Cuprum*
in *Smolnick*.

„ 1. *Ferrum*, qualecunque sit, novum vel antiquum, artificialiter
„ immittitur in profunditatem viscerum Terræ, ad centum ulnas, & ibi
„ maceratur in aqua tam diu, donec resolvitur in lutum, quod coagu-
„ latur instar argillæ, posthac in igne destillatur, & fit purum *Cu-*
„ *prum*.

„ 2. Quod est crassum *Ferrum* instar cultri, sicut solet fieri in fine mas-
„ sæ *Ferri*, illud intra spatium XXIV. horarum liquefit, quod autem
„ crassius instar unius digiti, vel duorum, illud intra spatium unius men-
„ sis, & quandoque unius cum dimidio liquefit.

„ 3. Diminutio non una observatur, aliquando ex 100. Centenariis
„ *Ferri* fiunt 90. *Cupri*, quandoque 84. 86. 87.

Hæ literæ & Specimen transmutati *Ferri* exstant in Museo rerum Rariorum *Saxo-Gothano*, unde ea excerpsit Medicus, tam elegantia variarum Linguarum ac literarum reconditarum politissimus, quam Artis Saluberrimæ felicissimis experimentis illustris, *Georgius Wolfgangus* WEDELIUS, *in Eph. N. C. Dec.* I. *Ann.* VI. *&* VII. 1675. 1676. *Obs.* 120. ubi ista subjicit porro: " Dubium vero inter *Chymicos*
„ agitatur, sitne hæc transmutatio vera, an saltem separatio & collectio
„ particularum *Venerearum*, beneficio Ferri præstita? Prius statuunt
„ Plurimi, &, ut paucos solum nominemus, CRUSIUS *Physic. Her-*
„ *met. p.* 110. MAJER. *de VII. Mont. Planet. p.* 122. qui idem

„ *Gosla-*

„ *Goslariæ* quoque fieri scribit; præcipue vero legi hanc in rem merentur „ duo Auctores eximii, MATTHESIUS *in Sarept. Conc.* VIII. *p.* 360. & „ BACCIUS *de Thermis* V. 12. *p.* 311. qui allegat ex *Georg.* WEHRNE- „ RI *libro de Reb. Pannon.* sequentia: *Ad* Zepusium *in* Smolnicio *sunt A-* „ *quæ, quæ &* Ferrum *erodunt, & lapidescunt; Animantes vero epotæ* „ *enecant. Eruuntur autem ex his Montanis Metalla,* Ferrum *præcipue* „ *atque Æs, injectaque in eas aquas Equi solea Ferrea, seu frustum ex* „ *Montis ipsius Ferrariis erutum,* XXIV. *horarum spatio exeditur; cæmen-* „ *tique specie eliquatum excoquitur in fornace, fitque id ipsum* Cuprum „ *nobilissimi generis.* hæc Ille. Nos ergo utrumque observantes in hoc ipso „ Processu, *Ferrum* nempe erodi, liquefieri quasi, & Naturam suam per- „ dere; *Aquas* vero ipsas *Vitriolatas* id præstare, & una communicare cum „ *Ferro* Atomos *Venereas,* hinc prædominantes: dicimus, ut *Ferrum* „ mediantibus *Acidis Spiritibus Vitriolescit;* ita etiam improbabile non es- „ se, id ipsum in *Cuprum,* Symbolicum metallum posse abire, accessio- „ ne nempe aliorum, quæ ejusdem particulas immutant. Hinc ubicun- „ que fit destructio prioris formæ & productio novæ, ibi *Transmutatio* „ est, licet non æque atque penitus essentialis. Pertinet huc quoque, quod „ *Olaus* WORMIUS *Musei c.* 10. p. 25. *Spiritum Vitrioli* scribit mutare „ *Ferrum* in *Cuprum.* huc usque WEDELIUS. Libet etiam clarioris lucis gratia addere, quæ *Joh. Gothofrid.* BECKER. rerum *Chymicarum* sagacissimus *Pharmacopœus Hafniensis,* ipsis operibus artis exercitatus, dum demonstrare conatur, *Vitriolum* non esse *Matrem Metallorum;* super hac *Ferri* in *Cuprum* Metamorphosi expertus ipse pervidit, & scripto consignavit apud *Thomam* BARTHOLINUM *Act. Medic. Hafn. volum.* II. *An.* 1673. *p. m.* 356. 357. " Tentavi, ait, porro illa loca invisere, ubi *Vitriolum* „ per Naturam generatur, venique in *Hungaria* ad *Neusolium,* cui adjacet „ mons *Cupri* ferax, in loco Herren-Grund nominato, Mille passus ab „ Urbe distante. *Posonii* literis suis *Generalis* Comes FORGATSCHIUS me „ commendavit Domino *Johanni Andreæ* JOANELLO, Baroni, *Comiti Ca-* „ *meræ* in *Hungaricis* locis *Montanis,* Aliisque *Metallifodinarum Inspe-* „ *ctoribus,* qui porro reliquis id negotii dederunt, ut mihi licentia conce- „ deretur videndi etiam *Fodinas* cæteras celebres, nempe *Cremnizii,* ubi „ *Aurifodinæ* sunt, sed nullum Metallum, quod funditur, verum Silex, „ Quarß dictus, qui in mola contunditur, & per *Mercurium* separatur. „ ibidem etiam *Monetaria Officina Hungarica* cernitur. *Schemnizii* pari- „ ter, cui *Argenti fodinæ* sunt vicinæ, quæ Massas *Argenti* divites suppe- „ ditant, quod separatur igne fusum, *Auri* ferax prius *Aqua Regia* sepa- „ rati. Per Ministros duos ad *Fodinas* comitatus singula lustravi. LXXX. „ Perticas, Klaffter vocant, deorsum demissus inveni in Camera, plena „ *Ferro* veteri, capsas quasdam erectas, in quibus *Soleæ Equorum ferreæ* „ recondebantur, quas animi gratia extrahebam. Si illorum opinioni sta-

„ mus,

„ mus, brevi tempore in *Cuprum optimum* convertuntur; id quod fa-
„ ctum eſt, & tale *Cuprum* ex aqua protractum: eleganti colore ſplendet,
„ poroſum & frangibile, ſimile arbuſculis metallicis, ſine alio additamen-
„ to liquari & fundi poteſt, ut fiat maſſa rudis; mirabar impenſe, quod
„ *Metallurgus Primarius* verum rei fundamentum ignoraret. Siquidem
„ autem acquieſcere non potui iſta poſſibilitate exaltationis, quæ in oculos
„ meos incurrebat, de vero fundamento certus, quod a nemine edoceri
„ potui, credidi ex ſomnio emergere, per examen *Aquæ*, quæ *Ferro* in-
„ natabat, & *Cuprum* quaſi exaltavit. *Cuprum* igitur mecum ex *Fodinis*
„ exportavi, uti & *Aquæ* iſtius ſitulam plenam, &, in examine *Aquæ*,
„ rei fundamentum inveni, ad oculum videns, quod *Vitriolum* in *Fodinis*
„ a Natura productum, per accidens fiat. Nimirum, in profundo pri-
„ mum eſt *Minera Cupri*, (quæ tamen etiam aliquid *Solis* & *Lunæ* conti-
„ net, quod certis in locis ſeparatur;) prope quam ſemper *Aquæ* ſtil-
„ lant, & ſolvunt *Salia*, quæ in terra juxta ſilicem concepta ſunt, ita
„ ut *Aqua* ſit *ſalſa*. Eadem *Aqua ſalſuginoſa* Mineras *Cupri* permeat, &
„ pertranseundo tantum *Cupri* diſſolvit, quantum poteſt, ſiquidem *Cu-
„ prum* facile diſſolvi ſe patitur. Quando jam *Ferrum* in eadem *Aqua* po-
„ nitur, diſſolvitur *Ferrum*, ſed verſa vice præcipitatur *Cuprum*. For-
„ mam autem *clavi Soleæ Equinæ* refert, quia non movetur, qualia &
„ nos parare poſſumus. Nam *Ferrum* facilius diſſolvitur, quam *Cuprum*.
„ Si nullum *Ferrum* injicere volumus, ſed ſtatim ſuperfluam humiditatem
„ abſtrahere, & accreſcere ſinimus, egregium *Vitriolum Cœruleum* emer-
„ git, haud abſimile *Cyprio*, quod præſtantius non eſt, modo per depu-
„ rationem elegantius reddatur. Ex his ſatis apparet, quod *Vitriolum* non
„ ſit *Mater Metallorum*. nam ſi ſilex nullus metallo prægnans in monti-
„ bus eſſet, nullum *Vitriolum* etiam exinde extraheremus, ſed ſolam *ma-
„ teriam* quandam *ſalſuginoſam*, unde *Alumen* confici poſſet, ſicut ali-
„ cubi fieri ſcimus. Iccirco *colores Vitriolati* ex Metallis apparent, *Cœ-
„ ruleus* ex *Cupro*, & *Viridis* ex *Ferro*, tam quod natura, quam quod
„ arte conficitur, ſicut notum eſt. Ergo contrarium dici poteſt, quod
„ *Metalla* ſint *Vitrioli Mater*. hæc Ille: Qui dum ait, *ſe etiam talia
parare poſſe*, verum affirmat, quod & nos certis ſcimus experimentis, ſed
quæ hic apponere, non eſt opus.

61. *Sulfuris Ærei* agglutinatio ad *Terram*, & ſeqq.] Conjectura plau-
ſibilis, quæ firmari poſſet eo, quod *Eph. N. C. l. l.* WEDELIUS *Obſ.*
119. recenſet, " ſibi miſſa ab Eſaia WALDMANNO, alias GEYGERO,
„ aliquot folia, quod ad externam faciem, *Quercus foliis*, ut ovo ovum,
„ ſimilibus, partim *complicata*, partim *expanſa*, *fibrulis nervis*que tam
„ affabre expreſſis, ut Naturæ artificium vix ſatis mirare poſſit. *Colorem*
„ fuiſſe *Æris* inſtar dilutiorem, *ſubrubellum*, *pondus* Metallo conforme,
„ *ſonum* leviter percuſſorum *tinnientem*; ex quibus, ut & aliis, natura
Venerea

„ *Venerea* satis emicet, licet non purum *Æs*, sed immersum particulis „ aliis esse, perspicuum. consultum de origine horum foliorum Donato- „ rem, qui ea ex patria, *Hungaria*, attulerat, Naturæ Arcanorum o- „ ptime gnarum, hunc in modum respondisse: Ærea *transmissa* Quercus „ Folia *natales debent* Hungariæ, *& in ea* Rivulo *percelebri ad oppidum* „ Smolnicium, *in Provincia* Zepusiensi, *non procul a Monte* Carpatho, „ *sito, qui quod* Ferrum *corrodat, ejusque loco* Cuprum *substituat, satis* „ *ubique notus est. Sic* Florentiæ *quoque apud Cl.* STENONEM *me* Soleam „ Equi Cupream *vidisse memini, quæ* Ferrea *fuit. Juxta hanc* Aquam *sitæ* „ *sunt quædam* Quercus, *quarum* Foliis, *Auctumni tempore, forte for-* „ *tuna in* Rivum *hunc delapsis, particulæ* Venereæ, *quibus totus scatet*, „ *sese mox agglomerant, instarque limi adhærent; hæ parvo temporis spa-* „ *tio tenuem* foliorum *substantiam rodendo consumunt; ipsa vero* Massa, „ *ex nimia Atomorum aggregatione densata, si* Aeri *sicco vel* Soli *exponа-* „ *tur, durescit, remanente forma delapsi* folii, *& sic* Metamorphosis *hæc* „ *accidit. Creditur hujus* Æris *Centenarius* Auri uncias duodecim *contine-* „ *re; an vero eventus voto respondeat, mihi nondum constat. Videri pluribus* „ *in hanc rem potest* KIRCHERI Mund. Subterr. WEHRNERI Epistola de „ Admir. Aquis Hungariæ, THURNHEISER de Aquis Mineralib. & „ *Alii.*

62. Licet *Virgula* etiam *Mercuriali* quæsiti.] Ergo & hinc apparet *Virgæ* illius vanitas. quandoquidem vero nostra ætate per decantatum illum Rusticum Gallicanum *Jacob.* AYMARUM tam in *Gallia*, quam in *Belgica*, hæc Virgula denuo excitata controversias peperit, lubet paullo altius rem istam repetere. itaque *Virgula Mercurialis, Cadens, Saliaris, Metalloscopica, &* κατ᾽ ἐξοχὴν *Aurifera: Germanis* dicta die Schlag-ruthe / Glücks-ruthe / Gold-ruthe / Windes-ruthe / Wünsche-ruthe / Wüntschel-ruthe) *Gallis & Italis Caducée, Verge Divine, Luisante, Ardente, Saillante, Transcendante, Tremblante, Tombante, Superieure, Baguette Divine, Baguette Divinatoire, Verge d'Aron, Bâton de Jacob*, originem sine dubio traxit ex Magorum consuetudine. sic ajunt ipsi Artifices AGRIC. *de R. M. lib.* II. *p.* 27. LÖHNEYSEN. *Metallograph. P.* I. *p.* 14. *Casp.* SCHWENCKFELDT *de Stirp. Siles. lib.* I. *p.* 57. *Andr.* LIBAV. *Hexahem. lib.* IV. *p.* 350. horum Magorum ῥαβδομαντεία vel ex Mosis cum *Magis* certamine nota. Circes ῥάβδος ex HOMERO, Mercurii *Virga* ex VIRGILIO & HORATIO jam cunctis innotuerunt. *Medorum* ῥαβδομαντείαν testantur DIO & NICANDER *in Theriac.* Vatibus *Scythis Salignæ Virgæ* in usu erant, cum vaticinabantur, COEL. *Rhodigin. A. L.* VII. 29. *Magi Scythæ myricino vaticinantur ligno:* vide *Scholia* ad NICANDRI *Theriac.* at *Narees tilia* trifariam scissa digitisque implicata canebant futura. COEL. *l. l.* de *Alanis* AMMIAN. XXXI. 7. *Futura miro præsagiunt modo. nam rectiores virgas Fœminæ colligentes, easque cum incantamentis quibusdam secretis, præstituto*

 tem-

tempore discernentes, aperte, quid portendatur norunt. de *Rugiis* similia narrat SAXO Grammatic. *lib.* XIV. de *Frisiis Fr.* HOTOMANNUS *Dispp. Feud. c.* 40. de *Sinensibus Gonsal.* MENDOS. *Hist. Chinens.* II. 4. *de Philippensibus Mart.* IGNAT. *Itinerar. c.* 8. Ita etiam priscis *Germanis* ῥαβδομαντεία fuit usitata; teste TACITO *de Mor. Germ. c.* 10. ubi ait: *Auspicia Sortesque, ut qui maxime, observant. Sortium consuetudo simplex: virgam frugiferæ arbori decisam in surculos amputant, eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem temere ac fortuito spargunt. Mox si publice consulatur; sacerdos civitatis; sin privatim, ipse Pater familias precatus Deos, cœlumque suspiciens ter singulos tollit, sublatos secundum impressam ante notam interpretatur.* ubi notavit *G. C.* KIRCHMAJERUS *in Comm. ad d. l. p.* 169. *Consuetudo hæc metalla divinandi ab illicita Magia prisca orta est, non ea quidem, qua iis forsitan investigandis virgam adhibuissent; sed quod divinatricem quandam Virtutem surculo inesse, persuasione Dæmonum opinarentur.* Conf. *Joh. Petr.* LOTICHIUM *in Resp. ad Petron. Quæst. c.* 8. A Gentibus etiam *Judæi* hanc ῥαβδομαντείαν mutuati. hinc ipse DEUS apud HOSEAM IV. 12. eos increpat: *Populus meus lignum suum consulit, ut baculus ejus indicet ipsi.* vertente TREMELLIO & JUNIO; at LUTHERO & BELGIS posteriora sic accipientibus: *& baculus ejus* (est enim in Hebraico וּמַקְלוֹ) *ipsi prædicabit*, vel *indicabit.* unde patet, ῥαβδομαντείαν *Germanorum* Metalloscopicam non omnino vacare suspicione superstitionis. Jam per incisa ordine singula persequemur, ut veritas appareat clarior.

I. *Virgula* plerumque fit ex *Coryli*, & quidem annotinæ aut biennis, præsertim quæ supra venam excreverit, & ex ipso terræ ejus fundo figura debita sit enata, surculis bifidis. *Phil.* CAMERAR. *Hor. Subs. C.* I. *c.* 73. non excludunt tamen Artifices *Fraxinum*, *Betulam*, *Pinastrum*, *Abietem*, *Pyrum*, *Cerasum* aliasque arbores: imo & ex *detritis scopis*, teste *Joh. Lud.* TRAINERO, Rei Metallicæ *Fribergensis Inspectore* ap. *Theod.* KIRCHMAJER. *de Virg. Div. Sect.* I. *Quæst.* 2. Imo & ex durioribus *Metallis* pari successu Idem fecit, ut *Orichalceas*; etsi. *l. l.* Alii pro *diversis Metallis* ac *Mineralibus*, *diversas* etiam *Virgulas* applicari volunt. sic pro aperienda *Minera Salis* ex *Salis Fossilis* fragmento *lanceolam* conficiunt cum *lignea* rite commissam: Pro *Minera Mercurii Auream*: Pro *Minera Æris Argenteam*: Pro *Minera Vitrioli Ferream.* Modos faciendarum ex *Joh. Dav.* SCHAUBIO *de Virg. Mercurial.* §. 8. addo ipsius verbis:

α. Fiat ex fragmento *salis Fossilis lanceola* uno palmo longa, quam cum quolibet ligno ita debes committere, ut *lignea* pars *salinæ lanceolæ* commissa, ac in æquilibrio supra obelum affixa, vel etiam filo suspensa, libere moveatur. Hanc *lanceolam ligneosalinam* impone supra ollam, supposito igne, aqua salina seu muria bulliente, & comperies, spiritus volatiles in halitus abeuntes, *salinæ lanceolæ*, tanquam sibi simili corpori, magnetico affluxu

affluxu adhærere, unde *Lanceola* corpuſculis *ſalinis* aggravata deorſum verſus ollam inclinabitur. idem hoc continget, ſi ſupra mineram Salis ejusmodi lanceola ponatur.

β. Si quis ex *ligno* & *Auro* Virgulam Subtilem conficiat, eamque ſupra ollam ſtatuat, in qua purum *Argentum vivum* poſitum eſt, videbis totum *Mercurium Aureæ* ſe *Virgæ* jungere, ſi ſuppoſito igne evolet, ita quidem, ut *Aurea* iſta *Virgula Mercurio* iſto gravata, ſeſe profunde inclinet. quod ſi idem ſupra *Mineram Mercurii* placuerit experiri, felix eventus non deerit.

γ. Quod ſi *Argenteam glebam* in pulverem contuderis, ollæ hunc pulverem impone, facitoque, ut igne evaporet, ſenties *Lanceolam* ex *Argento* & *Ligno* fabricatam, ſi ei ſupponatur olla, corpuſcula *Argentea* magnetico quodam attractu in ſeſe derivare, unde aggravata *Virgula* neceſſario ſe illuc, unde vapor exſpirat, inclinabit: quod æque *Virgulæ* ſupra *Mineram Æratam* accidet.

δ. Pro *Vitriolo* fiat *Virgula* ex *ligno ferro*que rite commiſſa, ſi ollæ *Vitriolum* immiſſum ignis ope exhalare ſinas, *Ferrum* protinus colore ferrugineo in æruginem fuſcam mutato, in *Æs* quaſi transformabitur, ac pondere preſſum, totum ſe in ollam inclinabit dirigetque. hæc SCHAUBIUS.

II. Vidimus mixtas *Virgulas*, ſed hæ ad noſtrum propoſitum non attinent omni ex parte. de *Ligneis* enim, maxime *colurnis*, loquimur. Hic iterum ſententiarum divortia, divortia experimentorum. Multi beneficio unius *Virgulæ* feliciter, ut ajunt, *Metalla* plura perſcrutantur: Alii conſtruunt diverſas diverſis Metallorum ſpeciebus accommodatas: Qui iterum in diverſa eunt. α. Quidam circa extremitates *Ferrata* utuntur ad *Aurum*; *Corylacea* ad *Argentum*; *Fraxinea* ad *Æs*; *Piceaſtri* ad *Plumbum*; *Iſatis caule* ad *Ferrum*; narrante PARACELSO *de Philoſ. Occult. p.* 490. KIRCHM. *l. l.* Qu. 7. Huc refer, quod quidam *Virgula* parata ex *Alno*, aut *Nymphæa*, aut *Mentaſtro Aquatico*, aut *Ranunculo* etſſ. latentem *Aquæ* venam ſive ſcaturiginem explorent, *Virgula* ſcilicet illa vapore aqueo aggravata & inclinata. SCHAUB. *l. l.* β. At *Sam.* BUTSCHKY *Epiſt. Germanic. P.* II. *Epiſt.* 291. exiſtimat, non niſi *colurnam* ad omnia *Metalla* promiſcue adhibendam eſſe, ſed diverſis temporibus præparatam, pro varietate *Septem Planetarum* dominantium, ſic ut exempli cauſſa pro *Auro* Virgula ſit præparanda, cum *Sol* dominatur. at cum laudatus Auctor *Mercurio* tribuit *Succinum* pro *Argento Vivo*, Metalli voce abutitur; cum *Jovi Orichalcum* pro *Stanno* ſive *Plumbo albo*, non loquitur cum Metalloſophis, aut *Chemicis*.

III. Circa Tempus *Virgulæ* præparandæ iterum diſſenſus eſt. α. BUTSCHKY *l. l.* amputandam eſſe tradit *Dominica proxima a Novilunio*, *ante Solis exortum*, & quidem potiſſimum Menſibus *Septembri* ac *Decembri*. β.

KEPPELIUS *Fodinæ Annabergensis* Inspector, apud KIRCHM. *l. l.* *Qu.* 3. parandam judicat *die Parasceues*, vel etiam, si necessitas flagitet, *die Dominica*, qua *Luna plena* est, orto nondum lumine Solari. γ. Alii excisam volunt *die ipso Paschatis*: aut δ. *die Solstitii*. SCHAUB. *l. l.* §. XI. *num.* 2. (Vides hic fieri mixturam superstitionum & nugarum: non jam miror, *Mercuriali Virgulæ*, *Mercurii diem* & *horam* consecrari a nescio quo, apud *L. L. de* VALLEMONT, *Baguett. Divin. c.* 1. *p. m.* 15. *ed. Paris.* 16[illegible].) ε. Alii Metalloscopi, sine ullo delectu vel *mensium* vel *dierum*, quovis anni tempus parandæ huic *Virgulæ* reputant conveniens.

IV. Circa ipsam Præparationem Quidam nugas tantum non Magicas observant: Abscindunt Virgulam 1. e regione Solis orituri, 2. stando, 3. deorsum, 4. tribus vicibus, 5. in nomine PATRIS, & FILII, & SPIRITUS SANCTI, 6. ut præparans simul habeat fiduciam rei, 7. sitque natus die Dominico. KIRCHM. *Qu.* 4. SCHAUB *l. l.* [Vides hic partim tristes Gentilium Superstitionum reliquias; partim Formulæ *Christianorum* Sanctissimæ pessimam profanationem.] Sunt tamen etiam inter Metallurgos, qui his omnibus posthabitis & neglectis simplicissime *Virgulas* tales præparant.

V. Figura Virgulæ communiter est α. ad modum *furcillæ*, cujus caput est minutum, cornua vero, sive crura velis, quæ exinde prodeunt, longiora; crassitie mediocri: sic enim commodius teneri, & facilius ad objectum inclinari potest. β. Alii *enodem* volunt: γ. alii contra *nodosam*, quales TRAINERUS *Freiberga* ad KIRCHMAJERUM miserat, *l. l.* *Qu.* 5. δ. Alii Curiosi in *Germania* tenuem ac rectum surculum in duos dissecant bacillos, quorum in extremitate unum excavant, alterum acuunt in conum, ita ut hic conus concavo alterius, velut in matrice, queat excipi: quo facto huc & illuc per montosos vagabundi tractus eunt, & simul ac posuerint supra venam pedem, bacillos statim parte ea, qua juncti sunt, versari & sua inclinatione easdem prodere ajunt. Virgularum vero figuras tam furcillatæ, quam postremæ vide ap. *Athanas.* KIRCHER. *de Magn. l.* III. *part.* 5. *p.* 500. *Casp.* SCHOTTI *Mag. Nat. lib.* IV. *P.* IV. *Synt.* 4. *c.* 10. *p.* 422. *L. L. de* VALLEMONT *Physiq. Occulte, ou Traité de la Baguette Divin. p. m.* 16. qui ibidem ε. ROYERI modum depingit & recenset talem: " Fiat Vir-
„ gula bifurcata ex corylo, alno, quercu, aut malo, longa pedem, cras-
„ sa digitum, ne facile a vento moveatur; hanc super alterutram manum
„ in æquilibrio impone accuratissimo, mox lento passu perge: ubi super
„ Aquæ latentis venam ambulabis, tum sese versabit. item ibidem ζ. adhuc alium modum, quem depingit, se apud *Aquileges* observasse ait; " su-
„ munt, inquit, surculum coryli, alteriusve ligni æqualis & directi, hu-
„ jus utraque extrema manu utraque apprehendunt, & nonnihil in arcum
„ versus horizontem inflectunt: sic, cum transeunt *venam Aquæ latentis*,
„ Arcus deorsum versus terram vergit.

VI. Recens *Virgula* maxime probatur. At Metallurgi non per annum, non per lustrum; sed quousque *Virgula* est salva, salvam quoque hanc volunt qualitatem. interim quia per ariditatem ad flectendum fit inepta, aqua toties calida macerandam jubent, quoties ad usum transferenda venit teste KIRCHM. *Qu. 6. l. l.*

VII. Applicatio usitatior *Virgulæ Furcillatæ* est hæc: (1.) cum utraque manu, digitisque sursum inflexis ita apprehenditur, ut caput ejus cœlum versus erigatur, & extremitates cornuum, cancavum manus sub annulari, ingressorum, per pollicis ac indicis juncturam exeant. non leviter tamen est tenenda, sed comprimenda arctius. KIRCHM. *l. l. Qu.* 8. adde AGRIC. *l. l. p.* 28. ubi figura res exhibetur. (2.) Nonnulli inter applicandum, stolonem versus terram vertunt, ac manus postea apprehensamque *bifurcatam Virgulam* ita sursum convertunt, ut digiti compressi & *Virgulæ* cornua cœlum respiciant. SCHOTT. *l. l.* (3.) Sunt qui non ex voto successum sperant, nisi Applicans vel tacite, vel sonora voce pronunciet verba illa initialia *Euangelii* apud JOHANNEM: *In principio erat Verbum* & seqq. Hos BUTSCHKY *l. l.* insimulat superstitionis. recte. sed nec ipse satis ab ea liber, dum (4.) exigit ab Applicante Temperantiam: (quid hæc conferet, si caussa naturalis subsit? notæ autem noctes viduæ Sacrorum Gentilium, & similes nugæ:) (5.) urget, standum versus *Orientem*: (sic Gentes emergentem Solem adorarunt:) (6.) addit, ut ne *Virgula* virtutem perdat, ea non tangendam esse terram. (nugæ. an ergo effluvia sic minus agerent postea in *Virgulam*?) (7.) SCHAUBIUS *l. l.* addit ut Explorator *die Dominico* natus sit. (8.) Alii libere fatentur, nihil circumstantiarum istarum nugacium in casu hoc requiri; modo istud observetur, ne, si non statim exspectationi respondeat eventus, statim etiam *Virgula* deponatur; sed potius teneatur, donec in manibus probe incaluerit.

VIII. Quidam, dum *Virgulam* applicant, omnia *Metalla*, quæ secum habent, deponunt: At alii Metallurgi hanc conditionem non putant necessitatis esse, verum fieri, ut melius *Virgula* vim suam exserat, uno tantum objecto implicita, non multis distracta & sic ad singula debilior, quippe viribus hoc modo dispersis, non unitis. Alii iterum limitant: Non præpolleat quantitate alteri Metallum, quod gestat Applicans: nam si exempli caussa in mensa foret unus Solidus *Argenteus*, in Marsupio autem sex Solidos *Argenteos* haberet Applicans, tum Virgula non ad Mensam, sed ad Applicantem se converteret. Ratio in promtu illis hæc est: Majorem Virtutem in quantitate majori esse, in Minori minorem. belle! modo vero responderet ille eventus. Tandem Alii scrutaturo Venas Metallicas volunt ad manum esse varia Metallorum genera, ut unum post alterum cum *Virgula* conjungat, & ita *homogeneas venas*, etiam maxime reconditas & abstrusas inveniat. ut, sicubi lateat *Ferrum*, & nonnemo ad *Virgulam*, quam manu tenet, apponat Ferrum, Virgula motu statim vehementi ad id deflectet:

At vero, si Metallum alterius speciei cum illo, quod scrutatur, dextra aut sinistra gestet, *Virgula* prorsus immobilis persistet. KIRCHM. *l. l. Qu.* 10.

IX. Quamvis, ut volunt Metallurgi, *Virgula* hæc *Metalli* index præsente suo objecto nusquam non saliat; magis tamen salit in loco hoc, quam in illo; vel quia hic pluribus *Metallicis exhalationibus* est impraegnatus; vel quod hic Tellus *plures & efficaciores Venas* possideat.

X. Neque tamen omnes sunt tam beati, ut *Virgulæ* virtutem inclinativam manibus suis experiantur, semper spe sua frustrati. Vix Centesimus Metallicorum, utut in Fodinis quotidie versentur, de *Virgulæ* amicitia gloriari potest. Sed nec illi, qui adeo felici sidere nati sunt, ut illis *Virgula* tractata pro voto respondere soleat, non tamen semper, nec ubique, nec eandem, vel uno vel diversis in locis, vim ejus experiuntur æque fortem. Quid opus est auctoritate verborum, ubi rerum ipsa loquuntur passim experimenta?

XI. Quærenti, *Cur non omnibus moveatur Virgula? Cur illa beatis non semper? non æque fortiter ubique?* vulgo respondent Caussam esse vel α. ineptam *Virgulæ* tractationem; vel β. occultam hominis proprietatem, quæ scilicet *viribus Virgulæ Sympatheticis* repugnet, atque ipsam operationem impediat; vel γ. quandoque in eodem homine talem & talem fieri mutationem, quæ effluviis *Virgulæ* vel *hominis* sit contraria, vel ea immutet. Verba scilicet populo dedimus, & Philosophi visi sumus!

XII. Ergo ut *Virgula Divinatrix* suo fungatur officio, quinque conditiones ponunt: *Prima* est Quantitas ejus: baculus enim, si nimis magnus sit, volvi ac versari commode nequit. *Altera* est Figura bifurcata, quæ cæteris præstat. *Tertia*, Vis Venarum, seu, ut Alii volunt, Sympathia & Naturalis Amor, qui ob similitudinem qualitatum Metalla inter ac *Virgulam* intercedat. *Quarta*, apta *Virgulæ* tractatio ab Applicante instituta. *Quinta*, ut Applicans privatus sit occulta illa qualitate, quæ *Virgulæ* solet repugnare. AGRIC. *l. l.*

XIII. Usus *Virgulæ* est α. vulgatissimus apud Metallurgos in scrutandis venis Metallicis: β. in Thesauris abditis inveniendis: γ. in Mineralibus medii generis: δ. in Fontium scaturiginibus: ε. in Nummis, Auro, Argento, Ære, Ferro, Stanno, Plumbo, vel casu amisso, vel studiose abscondito, reperiendo. Sic quotidie videmus fieri, nec opus est verbis, ubi rerum adsunt testimonia. KEPPELIUS, *Metalloscopus Annæbergensis* supra laudatus, apud KIRCHM. *l. l. Qu.* 13. præsentibus testibus oculatis, post multa alia experimenta, deprehendit tandem, *Virgulam* etiam ζ. ad Chirothecas, η. ad Calamos, θ. ad Chartas, ι. ad quæcunque Ligna inclinari; modo partes minutissimæ singulorum simul cum Virgula in manuum alterutra habeantur.

XV. Habuimus *Virgulæ* Historiam, ut puto, satis accuratam. Sed hic iterum

iterum occurrunt Sententiarum divortia. Alii enim *Virgulæ* Vim illam ſive ſimpliciter aſſerunt, ut VALLEMONT *l. l.* SCHAUB. *l. l.* vel additis ſuperſtitionibus, ut multi Metallurgi: Alii e contrario totam *Virgulæ* Ceremoniam, ut fallacem & fabuloſam, & maximam de nihilo hiſtoriam, ſimpliciter rejiciunt; a quibus me non alienum eſſe juſſerunt tot olim & hodie a me inſtituta experimenta. Licet enim quinque illas conditiones *num.* 12. recenſitas, imo & plures, tam in me, quam in aliis accuratiſſime ſemper obſervarim, tamen toties vidi, eſſe hæc Phantaſiæ, Senſuum, Manus moventis, & Credulitatis ludibria, ut ſtatuerim, Amicis tam *Germanis*, quam *Batavis*, qui hac in hæreſi ſunt, veteres avias de pulmone revellere, & nobilem hanc de Nihilo controverſiam ad ſanæ Rationis Lydium lapidem examinare: idque eo libentius, quod pauciſſimi certi quippiam de *Virgula* norint, qui putarunt eſſe rem inſolitam, recens inventam & ante inauditam. Utar hic ſubinde KIRCHMAJERI quoque ſuppetiis; nam tam hujus, quam SCHAUBII *Diſſertatio Academica*, illa *Wittebergæ* an. 1669. hæc *Marburgi* 1674. habita, non exſtant, ut ad eas poſſimus ablegare Lectores, licet pro ingenuo candore meo nolim diſſimulare, per quos aliqua ex parte profecerim. Nec AGRICOLA, qui & ipſe vim Naturalem *Virgulæ* negat, cujus etiam ariete utemur ad hanc fabulam depugnandam, vix ac raro in Bibliothecis, *Belgarum* præcipue, reperitur.

XV. Ordine progrediamur. Multi *Vim Virgulæ Naturalem* ſimpliciter & absque ſuperſtitione ulla agnoſcunt. Communis fere hæc apud Metallurgos cordatiores olim & hodie opinio; Patronos in Scriptis habet *Joh.* BODIN. *Dæmonom. p.* 45. BASIL. VALENT. *Conteſt. Suprem.* I. 22. & *ſeqq. M. Ant.* ZIMARAM *Antri Magico-Medici P.* I. *l.* 1. *p.* 26. *Vit. Lud.* a SECKENDORFF Teutſch. Fürſtenſtaat *p.* 400. *Georg. Phil.* HARSDÖRFER. *Delic. Mathem. Vol.* III. *P.* 6. *qu.* 16. *p.* 410. Aliosque, quibus accenſe nonnullos Philoſophos & Doctos Amicos noſtros in *Batavia*.

XVI. Alii *Virgulæ* vim talem ſed Magicam, ſed incantatam concedunt, audi AGRICOL. *l. l.* " *Virgula Divina*, qua Incantatores ſcrutantur venas, ut annulis etiam, ſpeculis, criſtallis, quamvis forma Furcæ figurari poſſit, nihil tamen ad rem intereſt, recta ſit, an in aliam figuram formata; non enim valet Virgulæ figura, ſed incantamenta carminum, quæ mihi commemorare non licet, neque libet ..... Itaque *Virgula Divina* primo ex Incantatorum impuris fontibus defluxiſſe videtur in *Metalla:* deinde cum Viri boni abhorrerent ab incantamentis carminum, eaque rejicerent, *Virga* a ſimplici Metallicorum vulgo eſt retenta, & in quærendis Venis veſtigia antiqui uſus remanſerunt. Ita Ille, quæ fateor, qui meus eſt ſtupor, me aſſequi non poſſe, qua ratione verborum ſonus aere leviter moto evaneſcens ita *Virgulam* incantare poſſit, ut hanc virtutem Metallorum indicem deinceps poſſideat. AGRICOLAM refutat

Petr.

Petr. GASSENDUS *Physic. Tom.* II. *p.* 3. *membr.* 1. de Plantis III. 5. *p.* 167.

XVII. Alii vero ulterius pergunt, fraudemque & primo *explicitum fœdus cum Cacodæmone* affirmant; hic scilicet, ex eorum sententia, *Virgulam* in manu, etiam inscii & minus superstitiosi, dirigit & intorquet. adeoque, cum taceat Natura, taceat Ratio, obstupescat Sensus, putant eos, ex primo isto *explicito cum Cacodæmone fœdere*, tacite innecti *implicito cum eodem maligno Spiritu* fœdere. ab hac sententia alieni non sunt *Ulysses* ALDROVAND. *de Metall. lib.* II. §. *Metallor. inveniendor. ratio. p.* 20. LIBAV. *l. l. Mart.* ZEILER. *Epist. Germ. Miscell.* X. *p.* 65. *Joh.* SPERLINGIUS *in Dissert. ed. an.* 1658. *An Virgula Mercurialis agat ex occulta qualitate* §. 22. & 23. SCHWENCKFELDT *l. l. Laur.* FORERUS *in Viridario, Disp. de Magnete, num.* 29. *Bernh* CÆSIUS *de Mineral.* I. 7. *sect.* 4. SCHOTTUS *l. l.* & ibi *Balth.* CONRADUS in literis ad SCHOTTUM datis, Aliique. Verum & hic opponi posset, cur ergo virtute istius *pacti cum Cacodæmone impliciti*, quod mihi quidem hypobolimæum est, non agat constanter, eodem modo, semper, ubique, in omnium manibus, observata tantum apta tractatione?

XVIII. Alii *Virgulam Divinatricem* putant *casu* & *inadvertenter* ad *Metalla* detorqueri. Audi KIRCHERUM *Mund. Subterr. lib.* X. *Sect.* II. *c.* 7. *p.* 18. " Luculenter, ait, adverti, manifestam esse, non *Dæmonis*, sed „ *Virgam tractantis* illusionem, dum imaginationis vi deceptus putat, „ *Virgam* ad *Metallum* suapte sponte vergere, cum ipse eam inadvertenter „ detorqueat: quod & alias usu venit in iis, qui *annulum* vel *globulum* fi- „ lo suspensum duobus digitis intra scyphum vitreum immittunt, putan- „ tes *Annulum*, hinc inde scypho illisum, currentem horam indicare. „ Pessima sane deceptio, cum totus ille pulsus non nisi pulsu arteriarum in „ extremis digitis agitatarum contingat. Si enim fortiter filum presseris, „ *annulus* agitabitur; si leniter, sine motu subsistet. quam fallaciam ego „ multis Viris, Physicarum rerum haud imperitis in quadam Academia, „ quam Princeps aliquis hic *Romæ* de hujusmodi prodigiosa *annuli* agitatio- „ ne instituerat, demonstravi. Ita meus Popularis. scilicet, ut hoc addam, cessat *annulus* moveri, cum tractans labentis horæ, vel *numero majori* pro more *Italiæ*, vel secundum *duodenarium* pro more *Germaniæ* numerandæ, tacite timet, ne *annulus* indicandum numerum excedat, atque interim inadvertenter filum in manibus remittit. Sed enim putem, non solum casum, aut inadvertentiam solam; sed etiam conjecturam, malitiam, fallacias, astutias, fraudes hominum aut vanæ gloriolæ, aut lucelli studio captorum sæpe ad rationem venire oportere. in priorum censum refero nonnullos Alchymistas; in posteriorum, fallaces Metalloscopos. Sed & fallendi temporis, ludi, ingenii, & jucundæ δοκησιθαυματουργίας caussa idem institui posset. exempli gratia, Titius ait sibi esse hanc cum

Vir-

Virgula συμπαθείαν, ut abſcondita Metalla elaborata, in manu ſua; certo indicio prodat *Virgula.* periculum volunt ejus rei fieri admiratores θαυματούργων. exit Titius itaque: Sejus interea ignarus ipſe ullius doli nummum Argenteum recondit ſub pede alicujus ſellæ. revocatur Titius: at cui jam oculorum nutu, aut digitorum levi micatione & intenſione non animadverſa ſub introitum, Mævius Amicus colluſor ex compoſito locum demonſtravit; is tum Titius facile *Virgulam* determinare ad locum deſignatum poterit, & addere pompam aliquam circumſtantiarum circa violentam torſionem *Virgulæ.* repetuntur experimenta alibi locorum, alia occultatione; Titius tamen locum *Virgula* indicat. miratur Sejus rem admirandam, & cum eo omnes ignari doli compoſiti. quæritur jam, quaſi rei certiſſimæ & veriſſimæ, cauſſa inſoliti & ſtupendi phænomeni. Imo quandoque ſola *conjectura,* & deprehenſa artificioſe ex Occultatorum ipſorum vel ſtudioſa averſione vultus a loco rei occultatæ, aut ſpectatorum in eundem locum miſſitio oculorum conjectu, veriſimilis rei abſtruſæ & reconditæ ſtatio *Virgulam* detorquet. id mihi ſæpius ipſi contigiſſe, affirmo; cui etiam συμπαθείαν cum Virgula adeſſe putabant Amici; ſed non ego credulus illis.

XX. Illi, qui hanc *Virgulæ Vim naturalem,* absque ſuperſtitionum recenſitarum ceremoniis, agnoſcunt, propugnant hanc ſuam ſententiam variis argumentis, depromtis, ex illorum Philoſophorum placitis quorum ſectam maxime probant. Nos pondera eorum ad Sanæ Rationis trutinam examinabimus.

XXI. Ajunt itaque illi, qui Scholarum ARISTOTELIS ſequaces ſunt; *α.* Cauſſam ejus rei eſſe *Calorem.* ſecundum eos movet Calor vehemens & agitat in gyrum ſuccoſiores frondes, dum exſiccando eas contorquet. experimento adferunt, *ſi colurnæ virgæ ignem ſubjicias, torqueri illam, ut videatur moveri; imo ſi carnem, modici ponderis, infigas, eam in toſtione circumvolvi ultro.* PORTA *Mag. Nat.* XIV. 10. confirmant experimento Romæ facto, quo *reguli* colurnis verubus infixi ad ignem *agitati ſunt in gyrum, tanta velocitate, ac ſi manuum applicatione, aut rotarum artificio incitatus fuiſſet.* KIRCHER. *Magnet. L.* III. *P.* 5. *p.* 500. SCHOTT. *l. l. in annot. de Virg. coryl.* Respondemus (1). rhetorice & αὐξητικῶς illa jactari. facias pericula nobiscum, videbis colurna verucula nec *tanta velocitate* circumvolvi, nec *continuo,* nec *tamdiu:* ſed nunc moveri, nunc quieſcere, exſiccata in motu ceſſare. (2.) A calore ignis ad calorem manus vel Metallicorum effluviorum non valet conſequentia. (3.) Fingamus ita eſſe: at calor effluviorum vix ſenſibilis eſt; manuum intenſior majorque. atqui in manu non ſtatim vertitur Virga, ſed, ut ipſi ajunt, ubi fibræ ligni a manu demum incaluerunt: & tamen, ut ajunt, ſimul ac pes poſitus eſt ſupra venam Metallicam, ſine mora detorquetur. (4.) In experimento libere relinquitur, hic tenetur ac comprimitur: ergo diſpar ratio. (5.) In illa

 toſtione

tostione agitur in gyrum, hic directo versus terram inclinatur: ergo iterum dispar ratio. Scilicet ita est: in capiendis experimentis quisque fere, non quod videt, sed quod vult videre, se vidisse ait.

XXII. β. Ajunt Alii: *Metallis* eorumque *Venis* esse *virtutem attrahendi Magneticam.* scilicet, atomi Metallicæ exhalantes *Virgulam* ad se rapiunt. Respondemus: esto, plantas Metallica qualitate continuis *Minerarum* effluviis, vaporibus, halitibus imbutas aliquam cum *Metallis* ipsis, supra quorum venas crescunt, similitudinem habere: an (1.) ideo similitudo illa virtuti Magneticæ, sive attractioni sufficiet? (2.) atqui *Virgula* e *Corylo*, quovis solo, decisa dicitur hac virtute prædita. (3.) explicetur illa Attractio; & simul, cur igitur non constanter, eodem modo, semper, ubique, & in omnium manibus fiat, salva hac Attractione? atqui varie, diversis modis, raro, nec passim, & in paucissimorum manibus vim suam *Virgula* exserit, & tamen ponitur major Metallicorum effluviorum in solo Metallifero circumfluxus, quam exhalat ex corpore *Virgulam* tractantis effluviorum, quæ forsan impedimento Virtutis Magneticæ allegaretur. Cur ergo, cæteris paribus, vis major, non superat minorem?

XXIII. γ. Instant ad hanc postremam responsionem: ab occulta tractantis proprietate, Metalli indicem istam virtutem alligari, haud secus atque *Allium* præstet, ut succo ejus oblitus *Magnes* infirmetur, imo nec *Ferrum* hic ad se trahere possit. Respondemus: (1.) quomodo probabitur occulta ista tractantis proprietas, aut unde antipathiæ hujus, quam Natura in specie humana non fundavit, caussa ac origo desumetur? (2.) manet hinc eadem difficultas, cur, posito ex hypothesi fundamento, cum adsit omni Metallifero in loco, omni tempore Venarum ac Metallorum Attractio; cum adsit, si *Virgula* super Venam excreverit, eadem Similitudo; cum adsit apta Tractatio; cur, inquam, ob easdem semper caussas semper non inclinetur? quippe occulta illa Antipathia, cum gratis fingatur nec probetur, non sufficit solvendo nodo. (3.) Quæ de *Allio* jactantur, sunt teste PORTA, qui *rem expertus falsam reperit, Aniles Fabellæ & Ridicula Relata*, *Mag. Nat.* VII. 48. cui subscribit etiam KIRCHER. *Art. Magnet. L.* I. *P.* 2. *p.* 71. Aliique.

XXIV. δ. Instant Alii, requiri Fiduciam in Tractante; ea si absit, adsit e contrario diffidentia, a *Virgula* non exseri Virtutem. Respondemus: (1.) Imaginationem extra suum corpus naturaliter non operari. (2.) ab Experimentis rerum hanc sententiam refutari. audi SCHOTT. *l.l.* „ Est, ait, „ in *Germania* notissimus Princeps, in cujus ditione Metalliferi Montes „ reperiuntur. ex his olim magno proventu *Metalla* eruebantur; nunc vero „ ab aliquot annis, nescio, qua de caussa, intermissa effossione, *Venarum* „ etiam tramites deperditi sunt. Quas Venas cum detectas iterum „ vellet, evocari aliunde curavit *Duos Insignes Metalloscopos.* Hi dum „ immodice in Virorum primariorum corona se jactassent de *Virgulæ Divi-*

„ *natri-*

„ *natricis* usu ad *Thesauros* & *Pecunias*, sive *Aureas*, sive *Argenteas*, ubi
„ ubi absconditæ forent, detegendas : conventum fuit, ut clam duobus Pro-
„ cerum unus omnem Aliorum pecuniam, & quicquid Auri Argentique
„ haberent, acciperet, & apud se absconderet. Factum, ut conventum
„ fuerat. Sed cum uterque diutissime cum Virgulis suis quæritantes cir-
„ cumivissent, *absconditam pecuniam nusquam tamen repererunt.* Ita
„ Ille.

XXV. ε. Multi Scholarum Peripati sequaces, cum ad *manifestas qualitates* deducere omnia non possent, deduxerunt quædam ad *occultas:* nolumus has exagitare; Amice sentiamus, modeste excusari ita a Multis nostræ Mentis imbecillitatem: non ita tamen, ut patrocinemur ignavis, qui ubique ad hoc Asylum in asserenda, pallianda, tegenda confugiunt ignorantia. Ajunt ergo non pauci nec de vulgo Philosophi Scholastici, *Virgulam Divinatricem agere ex occulta qualitate.* Respondemus illis, secundum ipsa eorum placita, eorumque lingua: (1.) Vis vergendi ad Metalla non est *qualitas occulta*, quia pluribus speciebus, ut corylo, pino, fraxino, betulæ, malo, ceraso (vide supra *num.* I.) est communis: sed *occulta qualitas*, cum dependeat ex *forma specifica*, cujus conditionem unice sequitur, non se diffundit ad plures species, sed ad unam determinatur. (2.) Si ex *qualitate naturali occulta* ageret *Virgula*, tum non impedita semper ageret. at fiant experimenta: ex sexcentis hominibus, secundum ipsos *Virgulæ* Patronos, vix duo tresve imo sæpe nulli erunt, quorum in manibus *Virgula* rite movebitur. jam vero minus probabile, ab omnibus fere sexcentis hominibus impediri *occultam Virgulæ Qualitatem*, nec inter tot diversissimos homines reperiri, aut ullum, aut tantum duos tresve, qui *contraria qualitate occulta*, quæ *Virgulæ qualitatem occultam* impedit, sint destituti. (3.) Desinente *forma Specifica*, aut ea obliterata, cessat etiam *qualitas Occulta*; quia, si hæc maneret nihilominus, foret sine *subjecto*, quod absurdum: jam vero in *Virgula veteri* & *arida* (vide supra *num.* VI.) periit *forma specifica*, nec tamen, ut credunt Metalloscopi, ideo cessat virtus ad Metalla se inclinans; igitur nec a *Qualitate Occulta* procedit. (4.) Si *Virgula Divinatrix* ageret ex *occulta qualitate*, ageret non tantum *cornibus*, sed & *capite* apprehensa; ageret facilius *æquilibrata*, quam *violenter torta:* sed prius non fieri testantur rerum experimenta; posterius non fieri, comprobabit KIRCHERUS mox *numero seq.* XXVI.

XXVI. ζ. Alii *Occultæ Qualitati* hic substituunt æque obscuram, & vix ab illa diversam, *Sympathiam* inter *Virgulam* & *Metalla.* Regerimus: (1.) cum *Sympathia*, ex Scholarum placitis, sit *amor* naturæ *specialis* inter hoc & illud objectum naturale *tantum* intercedens; non *amor communis*, qui se extendat ad plurima diversa corpora; inde sequi, *Virgulam*, quæ in corpora tam *naturalia*, ut Metalla, Mineralia medii generis, Plantas, Fontium scaturigines, testibus Metalloscoporum, uti volunt, expe-

 rimen-

rimentis; quam in *Artificialia*, ut Nummos, Chirothecas, Chartas, Calamos, (vide *num.* XIII.) agit, non tangi illa *Sympathia speciali.* (2.) Opponimus experientiam KIRCHERI *de Magnet. L.* III. *P.* 5. *p.* 500. ubi ait: " Hujusmodi *Virgulas*, Metallis, quibuscum amicitiam ha-,, bere dicuntur, applicatas, quantumvis exactissime & levissime æquili-,, bratas, nullum tamen inclinationis effectum præstare, experimento a me ,, facto non semel comperi, quem tamen æque præstare deberent, ac su-,, pra venas expositæ. Hæc Ille, unde Idem ait *Mund. Subterr.* X. c. 7. *sect.* 2. *p.* 181. " Fieri non posse puto, ut Virgæ non æquilibratæ, sed ,, violenter tortæ, latentia Metalla tantam & tam subitaneam vim impri-,, mant, ut illa ultro se ad terram inclinare cogatur. Is, qui Magnetica-,, rum Motionum peritiam habuerit, attestabitur. Ut enim Sympathicæ ,, rerum Naturalium actiones effectum habeant, dici vix potest, quanto ,, ingenio & industria opus sit, & quam exacta & præcisa æquilibratione ,, corpora disponenda sint. Ut proinde omnes ridendi sint, qui *Virgulas* ,, illas *bifurcatas* manibus apprehensas a tam subtili halituum vi concitari ,, posse, sibi imaginantur.

XXVII. η. Pro *Virgulæ* virtute explicanda adducunt Multi *Magnetis* notissimam Virtutem: Respondemus, (1) hunc agere constanter; non item Virgulam. (2.) Si Magnes ab acu aut clavo ferreo ad passus sex septemve remotus neutrum afficit, sequitur, quod multo minus *Virgula Divinatrix*, per tantam Terræ vastitatem, vires suas in reconditas Venas ac Thesauros exserat. Prius verum esse, norunt, quibus Magnetica experimenta sunt perspecta.

XXVII. ϑ. Alii *Virgulæ* Virtutem exemplo *Succini*, quod, si frices, *paleas chartulas*que attrahit, adstruunt. Respondeat pro Nobis AGRICOLA *l. l.* " Quæ vi ad se attrahendi prædita sunt, ea omnia in orbem ,, non torquent res, sed eas ad se alliciunt. verbi gratia: *Magnes* Ferrum ,, non volvit, sed id ad se trahit; & *Succinum* attritu concalefactum non ,, vertit paleas, sed simpliciter eas ad se allicit. Similiter *Vis Venarum*, ,, si eandem cum *Magnete* aut *Succino* naturam haberet, *Virgulam* toties ,, non versaret, sed semel tantummodo ad spatium semicirculi versatam re-,, cta ad se traheret, &, nisi compressio hominis, qui *Virgulam* teneret ,, in manibus, ipsi *Venarum* vi resisteret & repugnaret, *Virgulam* ferret ,, ad Terram.

XXVII. ι. In aciem producunt Aliqui *Virgulas* illas ex *Metallis* ipsis factas (quas supra *num.* I. *literis* α. β. γ. δ. recensuimus) pro *Virgulæ Ligneæ* asserenda virtute. Respondemus disparem utrimque esse rationem, ducique consequentiam (1.) a Metallo simili ad Lignum dissimile: (2.) ab igne vaporifero & caussa manifesta, ad effluvia halituosa tenuia Montium Metalliferorum vix sensibilia, & caussam dubiam. (3.) a manifesta proximitate utriusque objecti, ad remotissimam, dubiam occultamque distantiam Metallorum in terræ visceribus.

XXVII.

XXVII. κ. Sunt, qui & ipſas *Arbores* advocant ad aſſerendam *Virgulæ Metalloſcopæ* virtutem. Ajunt enim, nonnullas Arbores ſuper Venis Metallicis naſci, quarum folia ramique vapore Metallico gravata, & veluti induta quadam cuticula, deorſum vergunt, ita, ut pæne terram tangant. Reſpondemus (1.) quid tum? ergo *Virgula bifurcata Coryli* aliunde deciſa, & ſubito in ſolum Metalliferum tranſlata, eo ipſo momento metallicis vaporibus gravata, deorſum verget? diſtingue cauſſam, ſubjecta & tempora, nec errabis. (2.) Sic etiam videmus Arborum ad ripas fluminum, ramos vapore aquæ imbutos ſponte ſua cum tempore inclinari: at nemo exinde concludet, Arborum ejusdem ſpeciei alibi natorum ramos deciſos, neſcio qua virtute, indicare ultro & quidem ſubito venas Aquæ latentis.

XXVIII. Illi, qui Cartesii caſtra ſequuntur, & hanc *Virgulæ virtutem Naturalem* & *propriam* eſſe volunt beneficio *Corpuſcularis Philoſophiæ* rem expedire conantur. Eorum dictata huc redeunt: (*a.*) Singulis corporibus ſua eſſe effluvia: (*b.*) horum effluviorum dari atmoſphæram, intra cujus ſpatium activitatem ſuam exſerant. (*c.*) Particularum motum ſic fieri, ut ad ſuum centrum maxime regrediantur. (*d.*) hinc a majori effluviorum allapſu objectum aptum, & non impeditum, ad centrum atmoſphæræ una detorqueri. (*e.*) intercedere autem inter effluentes particulas, & objectorum poros, quibus ſe inſinuant, certam figuram ejusque cum poris convenientiam. (*f.*) hinc ſi verbi gratia Titius, etiam cui *Virgula* antea favit, poſtea quacunque de cauſſa tranſpirat effluvia craſſa & acria, hæc per manum tractantis, cum interſtitiis *Virgulæ* communicata obicem ponent exhalationibus aquoſis aut Metallicis, ſic ut *Virgula* virtutem ſuam exſerere non poſſit. Hæc omnia applicant perbelle ad *Virgulam*, prout videre licebit in Vallemontii *laudato libro*. Reſpondemus: (1.) Debuiſſet prius extra controverſiæ & dubitationis aleam collocari quæſtio *An ſit*? quam deveniretur ad quæſtionem *Cur ſit*? (2.) Tranſeant *a. b. c. d.* ſed circa *e.* poſſent Curioſi quærere, quænam ſit & qualis & quanta ſpecifice determinata configuratio pororum & particularum iſtarum, in *Metallis* & *Virgula*, mutua conſpiratione coeuntium? quæ ſi ſpecifice determinari, clare & diſtincte explicari non poſſunt, *Sympathia* & *Qualitas Occulta* Scholarum mutatis verbis idem dixerint. (3.) τὸ *f.* nimium, adeoque nihil, probat. Cur enim in tam raris & paucis hominibus *Virgula* movetur? vix autem credibile, omnes tranſſpirare effluvia ſalina, acria, craſſiora. ſed, ut videas latum campum eruditæ ignorantiæ, Titius verbi cauſſa menſæ aſſidens *piſces* & *aſſas carnes* appoſitas habet: appetit tamen hodie *piſces* ſummopere. altero die iterum eodem modo rite & recenter præparata eidem eadem apponuntur; jam vero abhorret a *piſcibus*, & mavult *carnes aſſas*. applica quæſo ad rem propoſitam dictata ſuperiora, & videbis ita nihil non ſolvi poſſe. dicere poteris, hodie alia effluvia ex atmoſphæra linguæ partiumque

ad gustum facientium egressa magis convenisse cum particulis & poris *carnis assæ:* heri vero magis cum *piscium* poris & particulis. Verbum non amplius his addo. (4.) Urgemus constantiam, conformitatem, certitudinem & frequentiam experimentorum; si ista dictata huic *Virgulæ* ex vero conveniunt.

XXIX. Urgebant *Cartesiani* præcipue *Jacobi* AYMARI, *Rustici Delphinatis* Historiam, quam recenset VALLEMONTIUS *l. l. c.* 7. qui *Homicidarum Vestigia* insecutus eos detexerit. Sed illum fuisse aut impostorem, aut phantasiæ vitio delusum, postea apparuit *Parisiorum Lutetiæ*, quo a magno & curioso Regii Sanguinis Principe invitatus erat, ut verum exploraretur, ubi manifestissimis experimentis constitit, nihil certi in eo Rustico fuisse, sed falsa cuncta. quæ res cum publicis passim libris & literis innotuerit omni Orbi, præter rationem insaniat, oportet, qui cum maxime inde *Naturali Virgulæ virtuti* præsidium quærere vellet. quod vero *Homicidarum Vestigia* Virgulæ ope detexerit, tanto magis fraudem arguit. quid enim *Vestigia* exspirabunt momento facta & diu obsoleta? an ergo vicinorum corporum atmosphæræ fortiores non obliteraverint atmosphæram *Vestigii debilioris*? Scilicet, quando placet cum ratione insanire, tum maxima de nihilo nascitur Historia.

XXX. Urget VALLEMONTIUS *l. l. c.* 15. plurima *Mineralia* beneficio *Virgulæ* passim, & in sola *Gallia Mineras* plures, quam CL. per quendam *Germanum Metalloscopum* repertas. Respondeo AGRICOLÆ *l. l.* verbis: „ Tractationem caussam motionis *Virgulæ Divinatricis* esse, inde perspi-„ cuum fit, quod callidi isti Tractatores rectam *Virgulam* non capiunt, sed „ *furcatam* atque eam *colurnam*, aut aliquam aliam ita flexibilem, ut, si „ sic tenetur in manibus, ut eam tenere solent, omni homini, quocun-„ que in loco steterit, in orbem vertatur. nec mirum, si virgula non ver-„ satur, cum inertes eam tenent. etenim cornua ejus acriter comprimunt, „ aut leniter stringunt. Hoc autem vulgo *Metallicorum* fidem facit, *Vir-„ gula* venas inveniri, quod ea utentes *casu* aliquas inveniunt; sed multo „ sæpius perdunt operam, &, ut venas invenire possint, nihilo minus in „ fossis agendis defatigantur, quam adversæ partis *Metallici*.

XXXI. Tandem VALLEMONTIUS *l. l. c.* 17. adfert complures Viros Doctos, qui *Virtutem Virgulæ Naturalem* in deprehendendis *Metallorum Aquarumve Venis*, imo &, quod mirare ac stupeas, *Homicidarum Fugitivorum vestigiis*, agnoscunt & comprobant. Respondemus, eos, qui negant *Vim Virgulæ Naturalem*, non minus ambitiosa Virorum Doctorum pompa stipatos incedere. Prodeant itaque (1.) *Theophr.* PARACELSUS, satis alias nugis Magicis credulus, qui *de Philos. Occult. p.* 490. disertis verbis ait: *Virgula Divinatoria fallax est.* (2) *Georg.* AGRICOLA rerum Metallicarum consultissimus *l. l.* „ *Metallicus*, quia eum Virum bonum & „ gravem esse volumus, *Virgula incantata* non utetur; quia rerum natu-

„ ræ

„ ræ peritus & prudens *furcatam* intelligit ſibi uſui non eſſe, ſed habet „ *Naturalia Venarum Signa*, quæ obſervat. itaque ea, ſi Natura vel Caſus, „ aliquo in loco, ad fodiendum apto, patefecit, ibi *Metallicus* agit foſſas; „ ſi non oſtendit, crebris foſſionibus uſque eo ſcrutatur locum, quoad Ve- „ nam crudariam reperit. (3.) *Athanaſ.* KIRCHERUS, alias ſatis credulus, affirmat, *ſe ſpe ſua ſemper fruſtratum*, *Mund. Subterr.* X. 7. *ſect.* 2. *p.* 18. adde Ejusdem verba *num.* XXVI. (4.) Hujus Diſcipulus *Caſp.* SCHOTTUS *Mag. Symp. L.* II. *Synt.* IV. *c.* 1. *p.* 425. diſerte dicit: „ Audacter pronuncio, illam converſionem *Virgulæ Metallicæ* contingere ca- „ ſu, vel fraude Virgulam tractantis, vel ope Diaboli. Ita Ille, qui cum eo, quod ad poſtremum, conſentit (4.) *Anton.* DEUSINGIUS *Exam. Pulv. Sympath. p.* 57. (5.) Dedita opera & ſtudio adverſus *Rud.* GOCLENIUM *Virgulam*, acerrima invectiva, magis tamen rhetorica, quam philoſophica, oppugnavit *Joh.* ROBERTI *S. Theol. D. e S. J.* in *GOCLENIO Heautontimorumeno*, impreſſo *Lucemburgi* 1618. *ſect.* 161. *p.* 181. *& ſeqq.* ſub inſcriptione: *Virgulæ Metallariæ Idololatrica Impoſtura.* (6.) *Joh. Joach.* BECHERUS *Phyſic. Subterr. L.* 1. *ſ.* 7. *c. unico*, *p.* 651. dicit, *ſe nunquam vidiſſe cum ſucceſſu*, *Virgulam ad Metalla inclinari.* Plures poſſem adducere, ſed hi ſufficient; Viri vel Metallicarum rerum periti, vel Experimentorum gnari, vel Medici: & quidem Tres, ad credulitatem alias ſatis proni, ex erudita illa *Societate*, quæ a JESU ſibi cognomen adoptavit. Libet hoc loco admirari Ingenii Humani varietatem: huic enim *Virgulæ* antea Vim Naturalem negarunt, Viri credulitatis nomine alias celebres; at nunc eam propugnarunt Viri ex ea Philoſophia, quæ ſuſpenſo judicio ad claram & diſtinctam perceptionem omnia refert. Sed *Joh. Bapt.* HELMONTIUS *de Magn. Vuln. cura*, *Oper. p.* 595. tam GOCLENIUM, quam ejus Antagoniſtam ROBERTIDEM, illum ut debilem patronum, hunc ut declamatorem refutans, rem per ſe obſcuram & incertam, affectata novitate & verborum portentis obſcuriorem & incertiorem reddit.

XXXII. Sunt vero Plurimi, qui huic *Virgulæ* generatim & ſimpliciter Vim iſtam, de qua toties diximus, plane abnegarunt, quibus & Nos, cum venia Diſſentientium Amicorum, album calculum adjicimus. Ne videamur gratis locuti, addamus nonnulla argumenta.

XXXIII. *Primum* eſto: Ponamus, ſive Fingamus, omnia requiſita *Virgulæ*: ſed Tractanti Virgulam occludantur accurate ſudario vel faſciola oculi, tum videbis nugacem eſſe jactantiam. In me Aliisque hoc expertus ſum, invitavique eos, qui hoc Naturæ beneficium ſe poſſidere credebant, ut periculum facerent occluſis oculis: ibi tum enim vel errabant, ſi ſuſciperent; vel ſtudioſe declinabant hanc conditionem.

XXXIV. *Alterum.* Quoties *Virgula* deorſum vergit, ubi nec *Vena*, nec *Metallum*, nec *Nummus*, nec ulla *Moneta*? ſed afferunt cauſſam. dicunt, *Cacodæmonem* quærenda alioſum deportaſſe, quæ quidem tum adfuerint,

fuerint, cum Virgula moveretur. „ Princeps magni nominis in *Germa-*
„ *nia* habebat Arcem, in qua paucos ante annos obierat Nobilis & dives
„ & avarus. Hujus pecuniæ, quam numerofiffimam habuiffe dicebatur,
„ cum nufquam reperirentur, conftans fama erat, alicubi in *Arce* latere.
„ Mifit Princeps eo *Metalloſcopos peritos*, qui *Virgula* pecunias detegerent.
„ Inchoatum fcrutinium, ventumque ad locum, ad quem *Virgula* incli-
„ nabatur. fed poft diuturnam effoffionem nihil ufpiam repertum, nec
„ *Virgula* amplius ad eundem locum detorquebatur. Refponderunt *Vir-*
„ *gularii*, tranflatum alio thefaurum a Dæmone fuiffe. quæfitum ergo
„ porro eft, ventumque ad locum alium, ubi *Virgula* percutiebat. at ef-
„ foffione iterata nihil iterum repertum, ob cauffam eandem, ut illi affe-
„ rebant. Fuit hunc in modum inftituta tertia, quartaque inquifitio,
„ fed femper fruftra & fine fucceffu. hæc narrat SCHOTTUS *l. l.*

XXXV. *Tertium.* Arbores & Frutices in Montibus Metalliferis æque furfum crefcunt, ac alibi; cum tamen a Vi, five Effluviis, *Venarum* & *Metallorum* potenter debeant deorfum trahi. quanquam vero interdum rami paullum inflectantur, Vi tamen, five Effluviis, *Metallorum* illud non tam videtur adfcribendum, quam exhalationi fuo gradu calidæ & ficcæ, quæ eos ita contortos efficere folet.

XXXVI. *Quartum.* Si Effluvia Metallorum, tam Naturalium, quam arte Elaboratorum, *Virgulam* Metallifero folo innatam inclinant, dicatur cauffa, quare & illas, quæ fuper *Metalla* non creverunt, inclinent. Aut enim Metallis Similitudo, Occulta Qualitas, Sympathia, confpiratio particularum cum poris, & fimilia, intercedunt cum illis Fruticibus tantum, qui fuper *Venas* creverunt, aut etiam cum Aliis: fi cum illis tantum nonnifi *Virgulæ* in Metallifero folo natæ & poffent & deberent ufurpari. Si vero etiam cum Aliis talis proprietas intercedit, illa erit vel a fingulari & propria *Virgulæ* textura, vel a fuccis halitibusque *Metallicis.* non a textura Virgulæ, alias Virtus hæc foret *Virgulæ* propria & conftans, non varia & communis cum pluribus plantis fruticibusque & arboribus fpecie diftinctis. Sic Magnes afficitur a Ferro, non etiam Auro, Argento, Cupro. Non etiam a fuccis halitibusque *Metallicis.* dum enim non creverunt *Virgulæ* fuper loca Metallifera, unde ipfis erit fuccus, unde halitus Metallicus?

XXXVII. *Quintum.* Quis credat, cum ad unum faltem nummum *Virgula*, major etiam, verfatur, Effluvia illa nummi ejus fufficere? at quæ effluvia ex uno nummo fæpe drachmali? quæ Atmofphæra, fæpe, ut obfervavimus in *Virgulariis*, fatis a *Virgula* eft remota? Sed efto Atmofphæra, funto Effluvia! hæc erunt vel nihil, vel aliquid; fi nihil, non afficient *Virgulam*; fi quicquam erunt, ergo pondus lapfu effluviorum elabentium decedet Nummis, quod falfum effe, tot fæculorum experimenta loquuntur. nec objicies *Magnetis Effluvia:* nam hic etiam revera cum tem-

tempore obsolescit. in *Succino Effluvia* demum per *attritionem* & *adfrictionem* excitantur, qua concalefactione iterum cessante, cessant *Effluvia.*

XXXVIII. *Sextum.* Fingamus a *Venarum Metallorum*que *Effluviis inclinari Virgulam:* certe nemini satis in mentem veniet, quo modo Venæ, Metalla, Thesauri, in ipsis Terræ visceribus latentes, reconditi, abstrusi, per tam profundam superinjectæ terræ saxive molem, simul ac supra locum *Metalloscopus* pedem fixerit, *Virgulam* afficiant, & summo impetu detorqueant: aut quomodo Metalla Elaborata, ut *Nummi*, vel terra defossi, vel muris inclusi, vel asseribus ac pavimentis impositi, vel in arborum cavis absconditi, vel lacunarium rimis inserti, vel marsupiis sacculisque contenti, sæpe vel paucissimi, imo teste PARACELSO *l. l.* rem ridente, vel unus nummulus æreus tam subito suorum Effluviorum atmosphæra afficient Virgulam? neglectis sæpissime vicinioribus pluribusque copia Metallis.

XXXIX. *Septimum.* Si Metallorum Effluvia raperent *Virgulam* Magnetico motu, idem foret affirmandum de *Chirothecis*, *Chartis*, *Calamis*, *Lignis*, ad quæ item inclinatur *Virgula*; (vide supra *num.* XIII.) sed quæ tum Effluviorum bella & Atmosphærarum pugnæ non deberent statui absurdum in modum?

XXXX. *Octavum.* Sume *Virgulam*, eamque in mensa colloca juxta suum Metallicum objectum, capite versus illud obverso; quieta & sine motu jacebit. suspende eandem *Virgulam*, uno vel duobus, ex utroque cornu, filis de lacunari pendulis; suppone ad latus alterutrum levissima distantia sat magnam cujusvis Metalli, sive elaborati, sive crudi, quantitatem, nec tamen videbis eo allici *Virgulam.* Imo colloca æquilibratam *Virgulam* exacta levitate, in ligno aliquo transverso super tabulam; suppone capiti *Virgulæ* Nummos, Aurum, Argentum, aliaque Metalla: non inclinabitur. Dices: Aliud esse, si manu humana teneatur; cujus ex blanda Fermentatione sanguinis enata Effluvia, insinuata interstitiis Virgulæ & cum hujus Effluviis commista, ac Metallorum Atmosphæræ occurrentia producant *Divinum* illud in *Virgula.* Regero: cur ergo vix in sexcentesimo *Virgula* vim suam etiam optime facta & tractata, exserit? deinde argutiæ illæ eadem, qua jactantur, negari etiam facilitate possunt. Alius forte cum *Matth.* WILLENO, qui *Germanice* de *Virgula Mercuriali* scripsit libellum editum *Jenæ* 1672. dicet, hanc *Virgulæ* in manu hominis Vim, deberi illius ipsius hominis genesi, sive astris ac sideribus, quæ ejus nativitatem benigne vel maligne respexerint, ejusve temperamentum ad *Virgulæ* temperiem intenderint, remiserint, vel plane *Virgulæ* contrarium, ei immiserint. at hæc vel referre est refutare. gratis dicuntur, & audacia judiciariæ nugacisque & incertissimæ Astrologiæ jactantur: sed nec geneses illæ ab ullo potuerunt accurate designari, aut determinari.

XXXXI. *Nonum.* Cur *Virgula* non vergit versus majorem & proximiorem *Nummorum* aut *Metalli* copiam? verbi gratia, cur ad *Nummum unum Philippeum Argenteum* absconditum, cum tamen adstet Titius in crumena XII. *Philippeos* habens, magis vergit *Virgula*? Atmosphæra, ex hypothesi, hic est proximior. Cur potius ad *uncialem Nummum Argenteum* vergit sub *limine* Januæ repositum, quam ad *seram Januæ Ferream trilibrem*? Dicet quis ad prius: per crumenam & vestimenta impediri & implicari Effluvia Nummorum: sed cur ergo non impedirentur & implicarentur per superingestam Thesauris & Metallicis Venis ingentem terræ aut saxorum molem? Ad posterius eo recurret aliquis acutior, ut dicat, fortiora esse verbi gratia *Argenti* præ *Ferro* Effluvia; nec *quantitatem* hic attendendam, sed qualitatem. Concedimus, verum hoc esse, in commercio vitæ humanæ; sed in Philosophorum foro hæc negantur. Sed experimento lis decidatur. apud SCHOTTUM *l. l.* Quidam se valde peritum jactabat in tractatione *Virgulæ Divinatricis.* cum vero, artem ejus exploraturi, Argenti partem coram ponerent in mensa, partem vero inscio occulerent; movebatur quidem *Virgula* ad conspicuum Argentum, at minime ad illud, quod alius æque prope adstans majore quantitate clam in sacculo habebat.

XXXXII. VALLEMONTIUS *c.* 15. *l. l.* & cum eo Plurimi tam Veteres, quam Recentiores, unice *Virgula* dilaudant, tanquam certissimam & indubitatam *Metallicarum Venarum* & quorumvis *Mineralium* indicem. Sed quid opus est *Virgula fallace*, ubi certiora dantur Signa, quorum beneficio, natura duce, in notitiam *Metallicarum Venarum* pervenire possumus? Talia sunt (1.) Si quo in loco *juniperi, hedera, caprificus, pinaster*, & Frutices *aculeati* crescant. (2.) *Coruscatio*, Germanice die Metall-Witterung / quæ nihil aliud est, quam halituum pinguiorum & sulfureorum deflagratio. hæc sicubi deprehenditur, subsunt *Metalla*; si crassior, crassiora & rudiora; si subtilior, subtiliora & πολύχαλκα. (3.) *Plantarum constitutio externa* internam qualitatem Terræ docet. Latentis Venæ κριτήρια erunt, si *folia* tempore verno vel *livida* fiant, vel *subcœrulea*, vel *furva*: si *Arbores* non assurgant ad justam altitudinem, sed prope terram in plures divaricentur ramos: si *rami Arborum*, præsertim superiores, *nigrore*, aut alio colore minus naturali tingantur: si *stipites* bifidi sint, & similiter, atque rami, nigri vel discolores. Scilicet id fit lapsu temporis per calidas siccasque *Venarum Metallicarum* ἀποῤῥοίας, quæ Plantas perdunt, & ne fibris quidem radicibusque parcunt, sed eas adurendo prorsus infirmas reddunt; unde (4.) *Montes glabri & steriles* Metallorum plerumque haud obscuri indices sunt. (5.) *Pruinæ* super *Venas Metallicas* rarissime conspiciuntur. (6.) Si *Nix* ac *Ros* sine radiis Solaribus alicubi evanescant citius & attenuentur, alibi vero passim maneant; ibi loci siccioris, delitescere *Venam*, cæteris paribus; licebit judicare certo, quia per halitus subinde, tanquam e foco, sursum emissos *Nives* ac *Ros* resolvuntur.

Plura

Plura Indicia dabunt Agric. *L.* II. *de R. M.* & *de Ort. & Causs. Subterr. L.* V. passim. Albinus *Metallograph. Tit.* 3. *p.* 24. Solearius *de R. M. c.* 16. Libav. *Alchym. P.* II. *c.* 23. Löhneysen. *l. l.* Kircher. *Magnet. l. l.* Sed manum de Tabula.

63. *S. Benedicti Cœnobium.*] In *Belgicis Adversariis* Tollius addit: „ Hoc Cœnobium a Monachis est desertum ob bella; postea Imperator „ illud *Capitulo Strigoniensi*, quod *Tirnaviæ* residet, donaverat; Id *Ca-* „ *pitulum*, ut appellant, singulis bienniis huc mittit *Canonicum*, tanquam „ Curatorem & Inspectorem proventuum, qui *Prælati* hujus *Abbatiæ* no- „ mine gaudet & salutatur.

64. *Budam* intravi.] Urbs hæc varia habuit fata. anno 1526. a Solimanno, *Turcarum Imp.* capta est & incensa: anno 1527. a Ferdinando Regi Johanni, ante Waiwodæ, eam instauranti est erepta: anno 1529. a Solimanno recepta: anno 1530. frustra a Roggendorfio obsessa: ut & anno 1540. a *Leonardo* Felsio, Exercitus Cæsarei Duce: anno 1541. a Solimanno erepta plane Reginæ *Hungariæ* per dolum: eodem anno iterum frustra a Roggendorfio obsessa: anno 1542. a Joachimo *Brandeburgico*, tantum *Pæstum* obsessum: iterum *Buda* anno 1598. a *Comite* Schwarzembvrgico obsessa, sed frustra: ut & anno 1599. ab *Archiduce* Matthia; & anno 1602. a Roswurmio: anno 1635. tantum deflagravit. tandem anno 1686. die 2. Septembris iterum feliciter ad Imperatorem rediit, erepta *Turcis*, inspectante eorum exercitu. Exstat de *Buda* recentior quidem Auctor, sub titulo *Budæ Vindicatæ*, sed mihi nondum visus. addere visum est, faciem celeberrimæ hujus Urbis, qualis fuit initio hujus sæculi utroque situ, quo Danubium, & quo Agros prospectat, ex Dillichii *Chron. Hung. p.* 13. *& seqq.* item *p.* 194.

65. Inscriptionem *Turcicam*, & seqq.] Jussi has Inscriptiones ad αὐτοπρόγραφον Tollii æri incidi, ut cuique libera arbitrandi foret copia. Cl. V. *Henricus* Sike me docuit, Inscriptionem 1. & 5. esse eandem, licet ductus Literarum aliquantum sint diversi. Scilicet esse vulgare illud *Muhammedanorum* Symbolum, involuta illa *Diwanica* scriptura Arabica, qua plerumque in Inscriptionibus utuntur, exaratum: quod literis scripturæ vulgaris ita pingitur:

لا إله إلا الله محمد رسول الله

i *Non est Deus, nisi Deus, Muhammed est Legatus Dei.* Inscriptio numero 2. continet nomina duorum *Chalifarum*, qui *Muhammedi* proxime successerunt, scilicet *Abubekr* & *Omar*. Mirum vero videtur, non addi nomina tertii & quarti Chalifæ, quoniam quatuor illi plerumque solent conjungi, uti vidimus supra *num.* 15.

66. *Buda Vetus.*] Effigiem ejus & situm exhibeo ex Dillich. *l. l. p.* 14.

67. In *Urbem.*] *Strigonii*, ſive *Gran* faciem & ſitum, qualis initio hujus ſæculi fuit, depinxit DILLICH. *l. l. p.* 12. ex quo nos eam figuram ſumus mutuati.

68. Ad *Teſſeram* diſtribui.] Supra *num.* 12. hæc Ænigmata ſine explicatione proponebantur: ſed, ne quid Lector peregrine erres, eorum luſus peti debet ex ambiguitate Linguæ Germanicæ. Per *Teſſeram* in I. hic intelligitur *bacillus ligneus fiſſus*, ſed rurſum ſibi ſic adaptabilis, ut parte utraque conjuncta inciſæ crenæ acceptorum datorumque indices notari poſſint; altera parte hinc, altera illinc in hos uſus ſervanda; quale lignum *Germanis Belgis*que Kerbſtock / Kerfſtok / dici ſolet. in II. phallicæ nequitiæ ambiguitas latet in *Germanico:* Schildwacht ſtehen auff einer Jungfer. in III. notandum caſulas aliquot militum inædificatas fornicibus templi, quod vallo ſubjicitur: hinc veſticontubernia ſuper loco tam ſacro fieri neceſſe eſt. ad IV. facit ſola ambiguitas vocis Germanicæ Wage / quæ ibi Fluvii nomen, & apud Germanos Libræ eſt.



JAC.

JACOBI TOLLII

Epistola Itineraria VI.

ITER GRÆZIENSE & HOSPITUM SERINIUM:

AD

Nobilissimum Splendidissimumque

DOMINUM

NICOLAUM WITSEN.



Promiseram in prioribus, satisfacturum me petitioni Tuæ & Amicorum, qui accuratam *Itineris Græziensis* enarrationem desiderabant. Maluissem supersedere hoc labore, ne, cum domum reversus fuero, fabularum materies circumcisa sit. Eo namque ingenio plerique homines sunt, ut e longinquis terris recens reduces non de situ Terrarum Urbiumve tantum; verum de eventis quoque singulis compellare aveant, &, quicquid notatu miratuque dignum acciderit, curiose exquirere: quorum desideria si absens expleveris, neque novi quicquam præsens adferas, evilescit continuo illa, quam conceperant, de tanto Itinere opinio: vixque satisfecisse illis officio videris, qui non in eruendis cujusve loci Mirabilibus fueris attentior. Dabo tamen meritis erga me Tuis hunc paucarum horarum laborem, servatoque temporis & rerum ordine, singula, quæ vestris auribus digna sunt, recensebo.

Quatridui iter erat *Vienna Græzium*, quod propter fœdissimas tempestates, aliaque, ex Equorum Vehiculorumque penuria, incommoda, longe gravissimum fuit. Aspera silvosorum montium juga negabant quandoque *Equorum* operam: &, quo altiora eorum culmina, eo major corpora nostra lassitudo occupabat. *Mensis* erat *Junius*, qui, cum maxime serenum cœlum debuisset, continuam tunc temporis hiemem, effunde-

bat. Hinc, concurrentes per præcipitia aquarum rivi, Viarum aditus inundabant; inde humidi undique patularum arborum rami transeuntium ora & oculos conſpurcabant: Quin, quod recreare animum debuerat, conſortium hominum, commiſerationis partim, partim indignationis materiam ſuppeditabat.

Quis tumidum guttur miratur in Alpibus?

quærit *Satyricus:* at nos & mirati ſumus, & vix a lacrumis nobis temperare potuimus, ubi pleroſque horum Montium Incolas ita deformatos vidimus. Sed quota pars hæc juſti dolo- 2
ris erat? miſeri homines, quorum guttura tumor ille altius obſederat, vix mentis compotes erant. Vidi, quibus ſtrumæ æquarent capitis magnitudinem, in dextrum vel ſiniſtrum humerum prolapſæ; in aliis ovi, in quibuſdam mali grandiuſculi ſpeciem referrent. Eadem fere, & æqualis erat ſtultitiæ exuberantia; quæ quam moleſta Peregrinantibus eſſe poſſit, ego exemplo fuerim, cui maximum aliquando ruendi in præcipitia periculum ex illo hominum genere obtigit, dum obviis in anguſtiſſimo tramite Aſinariis cedere volentem ex improviſo a tergo retinent. Aderat bonis hiſce Viris, præter ea, quæ dixi, procax quædam & illiberalis irridendi Peregrinos lubido: videbamurque iis parte quadam corporis debiles. Sic *Libycis Mu-* 3
lieribus, quibus in tantam magnitudinem *Mammæ* excreverant, ut poſt humeros abditis infantibus ubera admoverent, vix dejerantes fidem feciſſe Maritos, SYNESIUS refert, non cæterarum quoque Gentium Feminas eadem pectoris ſarcina dehoneſtari. Sed æquiores illæ tamen Peregrinis: quarum namque caſtigatiores forte *Mammas* eſſent contuitæ, confluentes ad inuſitatum ſpectaculum collatis ubertim muneribus alienigenum decus proſequebantur. Noſtri vero illi, inhoſpitales nimium; ad quos cum ſubito reſpiceremus, aut ciconiarum colla curvari, aut auriculas aſini agitari manu, aut æſtuantem canis linguam protendi, deprehendebamus. Cæterum cibi potusque ubique affatim erat.

Haſce anguſtias vix eluctati, pervenimus tandem, Sole jam occaſo *Græzium*. Caput ea *Styriæ*, *Muræ*, fluvio rapidiſſimo, adjacet, qui in ſuprema *Styria* ſcaturiens, perque mon-

tium

tium anfractus delapſus, complures undique rivulos recipit, quibus jam auctior mœnia *Græzii* mordet, atque inde, per diſtincta amœniſſimis campis juga profluens, *Dravo* fluvio miſcetur. Oppidum ipſum modicum eſt, & elegans, rotunde oblongum, leniterque *Arcem* verſus acclive, quæ, arduæ & excelſæ rupi impoſita, tutiſſimum Accolis, contra *Turcarum* incurſiones, receptaculum eſt. *Ædificia privata* ſatis magnifica & ampla ſunt; quæ, ut verum fatear, nitorem mediocri Civitati haud modicum conciliant. *Templa Ædes*que *Sacræ* & *Publicæ*, quemadmodum ubique, ita & hic Privatarum Domuum elegantiam longe ſuperant. Celebre eſt oppidum *anniverſario Mercatu publico*, quem *Hungari*, *Itali*, *Croati*, *Auſtrii*, cæterique Vicini frequentant. Quare, quicquid Mercium quæque Regio fert, illic diſtrahitur: inde in *Moraviam*, *Bojohæmiam*, & loca vicina deportatur. Ultra *Muram* late diffuſum habet *Suburbium*, multisque domibus frequens: ad utramque vero ripam, aut feracia Camporum æquora, aut frugiferos Colles; quorum læta viridi germine facies non minus omnium oculos ad ſeſe trahit, atque ſonori decurrentis Fluvii ſuſurri Accolarum aures demulcent.

Erat illuc mihi adeundi cauſſa *Iter* CÆSARIS, cui poſtridie, quam ego adveneram, ut *Duci Styriæ*, Sacramentum ab Oppidanis præſtitum eſt. Occurrebant Ei adventanti Proceres ad primum ab Urbe lapidem, ubi defixa aliquot *Tentoria*, *Nobilium* turbam vix capiebant. His cinctus INPERATOR, turmis aliquot Equitum proſequentibus, inter æneorum tormentorum ſtrepitus, clangoremque tubarum, Urbem verſus equo vehebatur, uſque dum, haud procul a Porta, deſcendens, ex obviorum *Conſulum* manibus *Claves* reciperet, iisque deducentibus, per tergeminos *Arcus Triumfales*, digeſtorumque *Civium* ordinatos Manipulos, FELICITER! FELICITER! acclamantium, in Aulam properaret.

Dum hic aliquamdiu commoror, cognitus eſt mihi, Decus
4 illud *Hungaricæ* Gentis, Heros *Nicolaus* SERINIUS, cujus crebræ & felices in *Turcicam* Ditionem eruptiones id commeruerunt, ut & illarum fama omnem *Chriſtianum* Orbem impleret, & ipſum SERINIUM Nomen *Turcis* terrori eſſet. Ita-
5 que, quod de HUNNIADE factitatum legimus, quodque, ve-

teres

teres apud *Batavos*, DRUSUS, TIBERII *Frater*, evicit, Infantium ploratus apud *Turcas* ſolo adventantis SERINII nomine comprimuntur. Plurimum eapropter debeo Illuſtriſſimo *Comiti* PÖTTINGIO, cujus inſignis erga me favor ad interiorem familiaremque Tanti Viri notitiam mihi aditum dedit. Diſcedente namque IMPERATORE in *Carniam* & *Carinthiam*, cum Affinem Suum inviſere in animum induxiſſet, me quoque perquam comiter & benevole invitavit, uti ſecum proficiſcerer. Arripui utraque, quod ajunt, manu tam exoptatam occaſionem: tertioque ex eo die *Czackothurnum*, quæ *Comitis* SERINII *Arx* & ſedes belli eſt, pervenimus. Omnis hæc regio cum primis fœcunda, & omnis Frumenti optimique Vini feraciſſima eſt: videnturque Ceres & Bacchus certaviſſe, uter hanc oram in tutelam ſuam reciperet. Excellit inter Vina *Lutenbergenſe*, cujus cum ſapor quovis melle dulcior ſit, qua illud in re *Hiſpanicis Vinis* cedere debeat, neſcire me, profiteor. Celebre & in *Croatia*, & in *Auſtria*, alibique, *Hungaricum Vinum* eſt, quod ab adjacente *Tokajo* cognomen accipit: verum, mea quidem ſententia, hoc fortius, & ad inebriandos; illud ſuavius, & ad recreandos homines provenire, dicendum eſt. In itinere vix quicquam, niſi *Rackelsburgum*, quod oppidulum potius, quam oppidum dicendum eſt, oculos noſtros advertit. Monſtrata eſt mihi e longinquo ab Illuſtriſſimo COMITE *Stridonium*, patria Divi *Hieronymi*, ad manum dexteram, verſus *Carinthiam*.

Ubi *Czackothurnum* appropinquare cœpimus, obvii fuere admiſſis equis complures Speculatores, qui *Comitem* SERINIUM de appropinquationis noſtræ momentis certiorem facerent. Itaque, cum mille circiter paſſus abeſſemus, occurrit *Affini* ſuo, *Comiti* PÖTTINGIO, equo vectus, omni circum familia itidem in equis proſequente: mox, dimiſſo equo, inter mutuos amplexus in currum aſcendens, pro digeſtas Militum ſtationes in *Palatium* deducit. Erat id valde ſplendidum & amplum, egregieque contra *Turcarum* vim munitum, circumdatum ferme ex omni parte palude, quæ cuniculos arceret. Unum latus tantum, quod pagum proſpectat, ſolido ſolo innititur, eo firmiori opere præcinctum. Mirabamur in tanta circumjectarum nationum barbarie cultiſſimas ædes, lectam Familiam, ditiſſi-

mam

mam supellectilem, & summum ubique nitorem. Suspensæ erant in *Porticibus* exuviæ *Turcarum*, *Arcus*, *Pharetræ*, *Mallei*, *Clypei*, aliaque id genus *Arma*; quorum tamen splendorem fulgor *Acinacum Damascenorum* superabat. erant in iis, quorum capula auro argentoque erant ornata: quorundam vaginæ insertis gemmis illustres oculorum aciem præstringebant: Videre licebat in *Atriis* suspensa *Vexilla*, quæ ex *Turcis* capta, multoque sanguine fœdata, non incruentam neque imbellem victoriam denotabant. Monstrabantur ibidem *Tabulæ*, in quibus res fortiter a COMITE gestæ depictæ erant: Unius memini, in qua respiciens caput *Turcæ* præcidit, qui, prehenso a tergo sagulo, elata dextra mortem minabatur. Fuerat hoc primum Juveni militiæ rudimentum; ex uno disce cætera.

Tertio quartove, ex quo veneramus, die deducti sumus in *Bibliothecam*, quam insignem & omni librorum copia refertam habebat: inde in *Armamentarium*, quod, ultra quam credi potest, æneis *Tormentis*, *Bombardis*, *Hastis*, *Acinacibus*, aliisque *Armorum* generibus instruxerat. Accessit huic humanitati amplissimum auctarium, *Cimeliotheca* aperta, in qua, præter alia, haud spernenda *Numismatum Antiquorum* copia. Erat in iis ALEXANDER *Magnus* ex *auro* & *ære*, erant OTHO-
7 NES *argentei*, VITELLIUS, PESCENNIUS NIGER, HORATIUS, OVIDIUS, multique alii, quorum Nummi rariores, ex *ære*. Erant *Effigies* Regum, Principum, Clarorumque Virorum, minuta & orbiculari forma, torno, ut suspicor, elaboratæ. Monstrabantur mihi, præ cæteris, effigies *Martini* LUTHERI & uxoris CATHARINÆ perquam elegantes. Inde digressi in *Hortos* COMITIS perreximus, quorum nitorem elegantiamque verbis exprimere non possum. assequeris Tu fortassis cogitatione, dum veteres ALCINOI *Hortos* Tibi ob oculos proponis.

Sequentem diem *venando* consumsimus; multoque cum gaudio trepidantes *Capreas* in casses egimus: *Leporum*, *Perdicum* & *Coturnicum* captura huic Venationi accessio erat. Eodem die, si recte memini, omnes COMITIS *Equi* sub oculos nostros traducti jucundissimum spectaculum præbuere. laudabat
8 ex iis maxime Heros SERINIUS *Equum* ætate fessum, viribusque defectum, cujus fideli quondam opera diu usus fuerat.

Præfabor veniam & fidem COMITIS implorabo, de qua usurpasse *Pythagoræum* verbum sufficit: Αὐτὸς ἔφα, antequam ea, quæ de hujus *Equi* virtutibus prædicabat, referam. Pernicitas ei tanta fuerat, ut lacessere posse Ventos videretur, neque apud *Turcas Croatas*ve ullus inveniretur, qui pari pedum velocitate esset: verum, quod unum maxime admirandum videri, necesse est, *Turcas* intra milliaris quartam partem odore præsentiscebat, eorumque adventum crebro hinnitu pulsuque pedum Domino indicabat: quo indicio fretum Sese multa egregia facinora patravisse, COMES fatebatur: nec derogabis huic narrationi fidem, si vel, quæ de *Diomedeis Avibus* referuntur, vel 9
de *Cane* LIPSIUS stilo consignavit, in memoriam revocave- 10
ris.

Interea temporis dum hic omni deliciarum genere me recreo, obtulit sese spectaculum hactenus non visum, sed illorum oculis familiare & pæne quotidianum. Inter *Captivos Turcas*, quorum apud COMITEM magnus numerus, *Senex* erat ætatis ultra sexagesimum annum provectæ, qui, cum precium, quod pro Libertate exigebatur, aut solvere nequiret, aut spondere nollet, resupinus in terram dejiciebatur, pedibus ita in altum protensis, ut plantæ pedum conjunctæ verberibus paterent. Aderant duo itidem *Captivi*, qui revinctos ad prælongum baculum pedes, ne retrahi vel protendi possent, continebant. ubi Ille ita colligatus, tres COMITIS Famuli, ex triquetro consistentes, duratos fumo crassiores baculos, vi, quanta poterant, maxima, in *Captivi* illius plantas impingebant, idque eo ordine, quo apud Nos triticum ex stramine excutitur. Alterum me *Pythagoram* putabam, & hinc *Musicam* posse discere; ita numerose, non verba, sed verbera, cadebant. non proderant misero homini flexæ in misericordiam voces, quominus CLXVIII. *ictibus* laceraretur. quin, benevole cum eo agi, ex Adstantibus, non sine quodam horrore, audiebam; cum in Aliis aliquando numerus ultra *sexcentesimum* extendatur, sic ut disruptarum quandoque plantarum vulnera digitum recipere possint, imo toti digiti decutiantur; sæpe quoque mors consequatur. ita tractatum *Captivum* iidem illi Famuli fustibus in cavum quoddam propellebant, ut in eo detineretur, usque dum, convalescentibus pedibus, diurno penso sufficeret. Cæteri *Ca-*

ptivi

ptivi in compedibus opus faciebant, ille lapides, hic arenam, alius calcem vel aquam aggerendo, quidam ex imis fundamentis cocto lapide munimenta exſtruendo; quorum ſi quis minus ſtrenuam operam navaret, aderat Maſtigophorus, qui corio bubulo terga eorum variegabat. *Plautinum Gymnaſium* dixiſſes, *ubi vivos homines mortui incurſarent boves.* Potus illis Aqua, Cibus Panis erat, isque vix ſufficienter recreandis viribus, quæ continuo labore exhauriebantur, præbebatur. Erant in remota ædium parte, ſub cuſtodia, octo *Centuriones*, quos
11 *Agá* vernacula lingua *Turcæ* vocant: dabantur hisce cibaria ſatis lauta, quæ tamen poſtea auro contra cara forent. Verum, ne quid ſequius de Illuſtriſſimi Comitis humanitate exiſtimes, aliter cum *Turcis* vivi non poteſt. Viget inter hasce Nationes *Lex Talionis*, nihilque ab alterutra parte in *Captivos* ſtatuitur, quin mox vindicetur. Itaque, cum *Turcæ Hungaros Croatas*que eo modo accipiant, inſolentiam illorum & crudelitatem pari pœna coerceri, neceſſe eſt. Coguntur omnes *Captivi* ſub noctem in Ergaſtula ſubterranea, quæ *Turcæ Algezirani* vocant *Mazmorras.* illic incluſis nervo pedibus, non niſi ſummum Corpus manusque movere poſſunt, ad iſtius credo prædæ capturam, quæ ſub ænigmatis velo abſtruſa, Homero mortis fuiſſe cauſſa fertur.


Hiſce in diebus lubido me viſendi *Waradinum* cepit, quod oppidum trans *Dravum* fluvium jacet. eſt illud quidem magni momenti ad reprimendam vim *Turcarum;* cæterum, ſi ad magnitudinem ædiumque ſplendorem ſpectes, *Græzio* longe in-
12 ferius. *Dravus* fluvius latitudine *Vahali* noſtro par eſt, qui in *Rhæticis Alpibus* oriundus, non longe infra *Quinqueccleſias* in *Danubium* influit.

Cum decem præter propter dies *Czackothurni* contriviſſemus, cœpit Seſe Illuſtriſſimus *Comes* Pöttingius itineri accingere. verum interea, dum vaſa colligimus, *Inſcriptione* Te beabo, quam inter antiqua rudera repertam in area Arcis ſuæ Heros Serinius muro inſeri curaverat. ejus exemplum hoc eſt.

P. CORNELIVS. 13
CLAVAFORIS.
T. F. ANN. XXV.
CLAVDIA. P. F.
DACVMENA
ANN. XXXXV.
FAVENTINA. ERES 14
FACI. CVRA.

Effigies utriusque lapide incisæ erant : & in supremo margine visebantur *duo Capricorni* , & totidem *Delphines* , singuli in 15
singulos angulos disjuncti , unde primo suspicabar , eos *Augu-* 16
steo ævo vixisse , quorum hic fit mentio. Adjungam itidem duas alias , quarum exemplum Amicus quidam subministravit, qui eas viderat & descripserat. Inventæ fuerant inter *Comaronium* & *Arrabonem* , in *Hungaria* , cum anno N. C. cIↃ. IↃc. ɪIv. Illustrissimus *Comes* PUCHAIMIUS, *Comaronii* Præfectus, ad resarciendos oppidi muros , aliquot Fossores eruendis, dirutæ quondam in vicinia urbis , ruderibus immitteret. Earum prior hæc est:

17
18
19
20
21



Reperta

22 Reperta in hoc Sepulcro *Lucerna* ardens, quæ ad primum aëris
23 sensum exstincta est. *Cadaver* quoque, ut apparebat integrum, mox ubi contigere, in pulverem dilapsum est. *Lapides* Sepulcrum constituentes erant quatuor quadrati, in se invicem
24 compacti, *viridi*que *bitumine*, ad defendendum aërem, commissi, adeo duro, ut malleorum ictibus resisteret. supra *Inscriptionem*, ad manum dextram, Caput *Viri*; ad sinistram, *Feminæ*; infra, *duo Infantes*; & in medio, *hominis* figura *cubantis*, & inflexo cubito in *librum* innitentis, conspiciebantur. Alteri *Lapidi*, qui capiti objectus, *Eques* cum *Armigero* insculpti erant. sed eccum alteram *Inscriptionem*:

25 D. M.
M. VAL. VALERIANI. 7. LEG.
IIII. FL. VIXIT. AN. XLII.
ET. M. VAL. VLPIO. EQ. PV
BL. FIL. VIXIT. AN. AVIII. SIMV
L. CONDITIS. VLPIA. PARA
TIANE. MARITO. ET. FILIO.
ET. VALERIA. VALERIA. FILIA
HEREDES. F. C.

26 Narrabat mihi Amicus ille, multos in hoc Sepulcro fuisse inventos *aureos torques*, *armillas*, *annulos*, aliaque *Cimelia*, quæ fures illi vere Fossores *Rascianis* Mercatoribus vendiderant. Sed, quod pæne dixisse oblitus fueram; sita est Arx *Czackothurnum* duo milliaria cis confluentes *Muræ* & *Dravi*, distatque *Græzio* XXVI. milliaribus, *Canischa* vero, quod pro-
27 ximum *Turcarum* monumentum, quatuor. Non contentus *Comes* SERINIUS *Affinem* omni honore atque benevolentia demeruisse, valedicentem Sibi insigni *equo Turcico* donavit: nec non Famulis quoque Ejus luculenta munera dilargitus est. Eidem Illustrissimi COMITIS liberalitati acceptos fero *Tres Libros Turcicos*; *Tria Sudaria*, quorum unum *floribus acu pictis va-*

riegatum, alterum *auro* & *argento* diſtinctum eſt; *duo Cochlearia* cum *Theca Coriacea*, argenteis floribus ornata; *Vas potorium Coriaceum*; ut & magni precii *Acinacem Damaſcenum*. Sic hilare pariter, atque liberaliter, accepti *Græzium* reverſi ſumus. Proxima occaſione de *moribus Hungarorum*, aliisque 28
quæ huc faciunt, plura: nunc laſſa manus geminatam operam denegat. Vale & me ama. Dabam *Græzii*, anno CIↃ. IↃC. LX. A. D. XIV. *Kalend. Auguſt.*

HENR. CHR. HENNINI

Annotationes & Obſervationes ad Epiſtolam VI.

1. E*piſtola Itineraria VI.*] Foret, temporis habita ratione, hæc Epiſtola omnium prima, quam ſcripſit Adoleſcens annorum circiter viginti, ut erat eruditus & curioſus ſpectator & obſervator rerum notabilium, ad Ornatiſſimum tum temporis adhuc Juvenem NICOLAUM WITSEN, Amicum ſingularem: eamque publici juris fecit anno CIↃ. IↃC. LXXI. inſertam *Notis* Suis ad AUSONIUM, in *Omiſſis Commiſſis*, *pagina* 785. & ſequentibus, *ad Profeſſores*, *carm.* XI. *vſ.* 6. AUSONIUM enim, Conſularem Poetam, erudite TOLLIUS noſter recenſuit. Hinc ego, bona cum Lectorum venia, &, ut ſpero, aliqua gratia, eam, paullo emendatiorem ab ultima Auctoris manu, huc jure transtuli, & Hungarico Itineri, cum huic maxime ſit vicinum, adjeci. neque ægre feres, pro inſigni Tua humanitate, Perilluſtris WITSENI, ut hoc perpetui erga Tuum Nomen ſtudii & cultus monumentum noſtri TOLII etiam hic legatur: A Te principium, Tibi deſinet!

2. Miſeri homines, quorum guttura, *& ſeqq.*] Sane hi non ſoli. audi acutiſſimi judicii Virum, at iniquiſſimum *Germanico* nomini, *Danielem* HEREMITAM, *Belgam*, qui eruditam ſcripſit *de Helvetiorum, Rhætorum, Sedunenſium, ſitu, Republica, moribus*, Epiſtolam, *ad Dominum* FERDINANDUM GONZAGAM, *Mantuæ Ducis Filium*; quæ adjecta legitur *Reip. Helvetiorum*, libello edito Leidæ anno CIↃ. IↃC. XXVII. ita ergo ille *pag.* 499. ſcribit & annotat: „ Sunt & in his *Vallium Rhæticarum* non-
„ nullæ *Strumoſæ* dictæ, eo quod earum Incolæ grandibus ſub gutture
„ *Strumis* ſint. Aquarum id vitio fieri autumant, falſa ratione, cum &
„ idem Divitibus, aquam perraro bibentibus, eveniat. Nugantur Alii,
„ implere pituita artus & inflare Aquas venis *Metallorum* infectas; ego in-
„ certas rei cauſſas in medio relinquam: niſi quis & loci vitio adſcripſerit,

cum

„ cum eadem ratione Naturæ iisdem in locis sint & Pagi *Fatuis* (illos ipsos
„ Gecken vocant, vix hominum dignos:) referti: nullo ii cibo huma-
„ no, quidam & stercore & excrementis, alii fœno pascuntur: nudi,
„ etiam per hiemem, incedunt; sono magis, quam sermone utuntur,
„ quippe qui a nullo mortalium intelligatur. Monstratur tamen & *Fons* in
„ *Agro Tigurino*, paullo supra, qua *Taurus* amnis *Rhenum* ingreditur, in
„ villa *Isaach* nomine, cujus fontis aqua hausta *Strumosos* & *Gutturosos*
„ efficiat; & in *Cicera Valle* Amnis, qui *fatuos* ac *stolidos*, quarum re-
„ rum caussæ in occulto latent; &, quod magis mirere, vidi in *Berna-*
„ *tibus* mulierem, ad decem annos, citra omnem *cibi potus*que *humani*
„ usum vixisse tamen, sed per miraculum ostentatam, torquentibus se fru-
„ stra Medicis, & caussam quærentibus, cum supra infirmitatis humanæ
„ terminos sit. Hæc Ille. dum vero atroci stilo *nugas aliorum* vult con-
fodere, rubiginem eam immerenti affricat, quem taxat, *Georgio* AGRI-
COLÆ, *Germanorum* in Re Metallica peritissimo & doctissimo. Ita enim
Ille *de Natura eorum, quæ effluunt ex Terra, lib.* II. *p. m.* 108. *edit.*
Frobenianæ, anno CIↃ. IↃ. LVIII. disputat non male profecto aut absurde:
„ Quæ Aquæ sunt infectæ venis Auri, Argenti, Plumbi, Stibii, ner-
„ vos duros efficere, contrahere, tendere, similiter artus pituita replere
„ & inflare solent: ex ipsis vero aliquæ *Gutturosos* efficiunt: ut in *Nori-*
„ *co* supra *Juvavium*, nobile oppidum, quod hodie *Salzeburgum* nomi-
„ namus; atque in *Alpibus*, duobus locis, in *Cillera Valle*, quæ distat
„ ab *Oeniponte*, ad octavum lapidem, Meridiem versus. Ejus Vallis In-
„ colas & habitatores nationem *Medullorum* VITRUVIUS *Architect.* VIII.
„ 3. videtur vocasse. Et in *Sundera Valle*, quæ abest a *Curia* oppido
„ *Rhætiæ*, circiter XII. M. P. ubi præterea *fons* est, cujus aquæ potæ ad-
„ eo lædunt cerebrum, ut stolidos faciant. Atque etiam in *Italia Æ-*
„ *quiculis* guttur intumescit, aquarum, quas bibunt, vitio. attamen *Au-*
„ *rum Argentum*ve *purum* lambentes cor reficere quidam putarunt: quæ
„ vero aquæ *Argenti Vivi* venis imbuuntur, potæ rapiuntur ad caput,
„ idque multis humoribus, quos secum ferunt, replent, qui rursus de-
„ lapsi labefactant gingivas & artus, quod satis indicant inunctiones ex *Ar-*
„ *gento Vivo* compositæ, & catapotia inde facta. non tamen nego, alias
„ res intra terram inveniri, quæ similes habeant nocendi vires. *Arabiæ* qui-
„ dem peculiares morbi, *Stomacace* & *Sceletyrbe*, partim ex aquarum o-
„ riuntur pravitate, quorum alter os vitiat, alter crura turbat: & in *Ger-*
„ *maniæ* maritimo tractu *fons* fuit aquæ dulcis; qua, ut PLINIUS *H. N.*
„ XXXV. 3. ait, pota intra biennium Dentes deciderent, compagesque in
„ genibus solverentur: nec dissimilis *Susis*, quæ Urbs est metropolis *Per-*
„ *siæ*, *Fonticulus*; ex quo qui bibebant, amittebant dentes, ut VITRU-
„ VIUS VIII. 3. scriptum reliquit. At *Æratæ* ori, glandulis, uvæ præ-
„ cellenter prosunt, similiter oculis: repurgant enim ea, quæ ipsorum

claritati

„ claritati officiunt. *Ferratæ* vero utiles sunt ventriculo, lieni, renibus; „ prosunt colicis, dolores articulorum pellunt, auxilium afferunt in exulcerationibus vesicæ. unde in *Tuscia*, ad quinquagesimum ab Urbe lapidem, *Ferratæ* appellabantur *Vesicariæ*; qui locus, ut Marcellus Medicus scribit, fuit MILONIS BROCHI, *Prætoris*. Ex mistis autem, si „ *lapis Plumbarius* infecerit aquas, ipsæ, ut *Plumbi* generibus imbutæ, „ lædunt nervos & artus: *Pyrite* vero *non æroso* infectæ discutiunt duri- „ ties; *æroso*, sunt *Æratis* similes, de quarum viribus jam dixi. at *Cad-* „ *mia acri* infectæ, interiores corporis partes erodunt: si tamen *Cadmia* multum *Argenti* in se continet, non adeo ipsis nocent. Sed de his satis. Atque ista tradit Vir hic doctissimus multæ αὐτοψίας, experientiæ & peritiæ scienter, modeste & ex vero, loquentibus ipsis rerum experimentis & documentis. apposui autem Utriusque locos integros, quia rarius occurrunt hi libri, & tamen multa scitu utilia, lectu jucunda, auditu rara continent; simul ut appareat, nigro loliginis invidiæ succo tinctas fuisse literas, quas passim in *Germanici* nominis opprobrium pinxit HEREMITA, vir aliis tamen meritis laudandus. atque utinam etiam hodie nonnulli e *Belgica* Viri aliis laudibus clari, non insultarent, aut alto supercilio obtrectarent clam palam *Germanorum* scilicet *labori*, sibi acris *judicii* gloriam Censores vitio creati vindicantes! Sunt enim ubique Terrarum Stulti, semidocti, δοκησίσοφοι, inepti, ἀκρισίας satellites; Sunt etiam magna ingenia. Athenis stulti desipiebant, ut e contrario Sapientes in Scythia cordati erant. Convitia illa Gentilia Nationum lædunt mutuam humanitatem, quam homines æqualibus nostri hominibus ex æquo debemus. Certe HEREMITA dum taxat hac in re longe doctiorem AGRICOLAM, animi sui prodit æruginem. quid enim? dum annotat, ab AGRICOLA *errari, cum dicat, Vallis* Cilliræ *Incolas* Medullorum *nationem vocari, cum nihil minus sint*: male, si qua est, culpam ista ipsa diserte notantis ad VITRUVII *l. l. Danielis* BARBARI, *Patritii Veneti & Patriarchæ Aquilejensis*, transfert in AGRICOLAM, qui modestissime, *videri* sic *vocatos* ait. deinde, cum AGRICOLA tales *Gutturosos*, quos *Itali* vocant *Gossutos*, aquarum etiam *Metallicarum* vitio fieri, ait; sane minime nugatur, nisi ipsa rerum experientia, Stultorum magistra, nugari dicenda est, & hac duce jam olim VITRUVIUS fuit nugatus, qui *l. l.* his verbis præivit AGRICOLÆ: *Sulfurosi Fontes nervorum labores reficiunt percalefaciendo exsugendoque caloribus e corporibus humores vitiosos: Aluminosi autem, cum dissoluta membra, corporum paralysi, aut aliqua vi morbi, receperunt, fovendo per patentes venas refrigerationem contraria caloris vi, reficiunt, & ex hoc continenter restituuntur in antiquam membrorum curationem. Bituminosi autem interioris corporis vitia potionibus purgando solent mederi. Est autem aquæ frigidæ genus Nitrosum, uti Pinnæ Vestinæ, Cutiliis, aliisque locis similibus, quod potionibus depurgat, per alvumque transeundo, etiam Strumarum minuit tumores.*

tumores. Ubi vero Aurum, Argentum, Ferrum, Æs, Plumbum, reliquaque res earum similes fodiuntur, Fontes inveniuntur copiosi, sed hi maxime sunt vitiosi. Habent enim vitia contraria aquæ calidæ, quam Sulfur, Alumen, Bitumen emittit, qui per potiones, cum in corpus ineunt, & per venas permanando nervos attingunt, & artus eos durant inflando. Igitur nervi inflatione turgentes, ex longitudine contrahuntur, & ita aut neuricos aut podagricos efficiunt homines: ideo quod ex durissimis & spissioribus frigidissimisque rebus intinctas habent venarum raritates. Hæc POLLIO sapientissime. At cum HEREMITA objicit, *a Divitibus raro bibi tales aquas, qui tamen Strumis vexentur*; miramur, inquam, quod eum judicii sui acrimonia deseruerit hac in parte. ergone & in re cibaria, jusculis, potionibus, pulmentis Aqua vernacula potuerunt abstinere? imo coguntur haud alia, quam nivali aut pluvia aut fontana, sed soli cujusque qualitatibus Metallicis & Mineralibus imbuta uti. hinc prima mali labes. Optime *Johannes* LANGIUS *Lembergius*, magnæ famæ & doctrinæ Medicus, Quinque Electorum Palatinorum Archiater, *Epistolarum Medic.* III. 4. ubi scientissime *de Strumis* agit, *p. m.* 983. inquit: „ Hos Strumæ abscessus & defluxus *Hydrargyrii* virulentia proritare solet, cujus genuina virtus est, pituitam ab extremis & corporis ambitu arcere, & ad colli glandulas, gingivas, faucium adenas vel paristhmia regerere, quo malo plurimum infestantur, qui *Alpes* Metallis fœcundas, aut istic Metallorum venas scrutantur, aut aquas ex Montibus Metallorum scaturientes bibunt. Quippe cum *Hydrargyrium* una cum *Sulfure* sit omnium *Metallorum* parens & origo, par est, ut derivatum resipiat naturam originis, nec id indigenis modo, sed etiam advenis accidere certum est, si has terras incoluerint, & has per metalla ex Montibus & Fontibus Aquarum Scaturigines potaverint. proinde *Equicolos* bellicosos de natione *Medullorum* equites, *Tauriscos* & *Noricos*, & qui ultra *Salzeburgum*, *Oenipontem*, *Curiam Rhætiæ* oppidum, atque *Stiriam* & *Carinthiam*, Alpium versus incolunt Metallis divitibus, colla, ut Taurorum paleariis, *bronchocelis* turgere usque ad pectus pendulis, nihil mirum. Compertum ajunt, si quis virgulta, aut scipiones rectos & enodes in harum aquarum fontibus, aut in scaturigines defixerit, his intortis, veluti in oleis arboribus, tubera adnasci. Ita LANGIUS. Hoc unum AGRICOLAM rogarem, unde didicisset, *Stomacacen* & *Sceletyrben* esse *morbos* Arabiæ *peculiares*? puto deceptum lectione vitiosa PLINII *l. l. Stomacacen Medici vocabant & Sceletyrben ea mala. Reperta auxilio est herba, quæ vocatur Britannica.* videtur enim legisse in suo Codice: *ea mala Arabiæ. auxilio est* &c. Fons autem ille fuit, teste Plinio, *trans Rhenum castris a Germanico Cæsare promotis*, adeoque in ora, ut videtur, *Batavica*, aut *Frisiaca*. sed hæc hactenus, ut spero, non ingrata.

3. *Sic Libycis Mulieribus* & seqq.] rotundius sonant verba Græcæ elegan-

gantiæ, quæ consignavit eruditus ille καὶ φιλέλλην *Cyrenes Episcopus*, *Epistola* 4. *circa finem*, *ed. Regiæ* 1553. *p. m.* 7. Τὸ δὲ ἑτεροῖόν ἐςιν, οἷον ἄξιον εἶναι καὶ διηγήσασθαι, καὶ ταῦτα ἐπὶ τῆς νῦν ἐμοὶ Παρούσης σχολῆς· μήνιμα Ἀφροδίτης, ὡς εἰκάσαι, κατέχει τὴν χώραν. Συνυχȣ͂σι γȣ͂ν ὅπερ αἱ Λήμνιαι· αὗται γὰρ ὑπερμαζῶσι, καὶ ἀσυμμέτρως ἔχȣσι τῶν σέρνων, ὥςε τὰ βρέφη μὴ διὰ μάλης, ἀλλὰ δὶ ὤμων σπᾶν τῆς θηλῆς ἀναβεβλημένης, εἰ μήτις εἴποι τὸν Ἄμμωνα καὶ τὴν Ἄμμων⁓ γῆν, ȣ̓ μᾶλλον εἶναι μηλοτρόφον, ἢ κȣροτρόφον ἀγαθήν. ἀνεῖναι δὲ τὴν φύσιν ἀνθρώποις ὁμοίως, καὶ κλήνεσι δαψιλεςέρας καὶ ἁδροτέρας τὰς τȣ͂ γάλακτ⁓ πίδακας, καὶ εἰς τȣ͂το δεῖν ἁδροτέρων ȣ̓θάτων τε καὶ θυλάκων. μανθάνȣσαι δὴ παρὰ τῶν ἀνδρων, οἷς τισὶ συμβόλαιόν γέγονε πρὸς ἄνθρωπον ὑπερόριον, ὅτι μὴ πᾶν τὸ θῆλυ τοιȣ͂τόν ἐςιν, ἀπιςȣ͂σι· καὶ ἐπειδὰν λάβωνται γυναικὸς ξένης, φιλοφρονȣ͂νται καὶ πάντα δρῶσιν, ἕς τ᾽ ἂν τὰς ἀγκάλας διερευνήσωνται· ἡ δὲ ἰδȣ͂σα λέγει πρὸς ἄλλην, καὶ καλȣ͂σιν ἀλλήλας, ὥσπερ οἱ Κίκονες. αἱ δὲ συμφοιτῶσιν ἐπὶ τὴν θέαν, καὶ ἐπὶ τȣ́τῳ δωροφορȣ͂σιν.

4. Heros NICOLAUS SERINIUS.] De hoc incomparabili Turcarum terrore quicquid dixeris, minus erit. Clarissimus TOLLIUS noster anno CIↃ. IↃC. LXXI. cum hanc epistolam publicaret, ista inter caussas ejus edendæ præfatur: „ Defungar simul officio, munificentiam erga me Illustrissi„ mi ac Fortissimi Herois, NICOLAI SERINII, grate commemorans. „ Obiit hoc *Croatiæ Hungariæ*que lucidum Sidus ante annos pauculos: (ni „ fallor, circa annum 1667.) Cujus Virtutes & Animi decora, Pruden„ tiam, Fortitudinem, Clementiam, Liberalitatem, Eruditionem, si „ tenuiter tantum delibare voluero, complures paginas implevero. Lin„ guarum quidem complurium ita callens fuit, ut, qui Illum ignorantes „ loquentem audirent, sive Ille sensus suos *Hungarica*, *Croatica*, *Scla*„ *vonica* lingua exprimeret, quæ dialecto potissimum variant, sive *Ger*„ *manica*, *Latina*, *Italica*, *Turcica* proloqueretur, quænam ipsi verna„ cula foret, ambigerent. De rebus præclare gestis nihil dicam. Tam „ enim earum, quas ab ineunte adolescentia ad vitæ usque terminum pa„ travit, quam nuperi cum *Turcis* in *Hungaria* belli suo cum maxime du„ ctu profligati memoriam nulla temporum delebit injuria. Vos autem „ SERINII Manes avete: &, si sentire datur post fata Quietis, hanc il„ lustrissimi vestri nominis pertenuem commemorationem, ab animo gra„ to vestræque Gloriæ deditissimo profectam volentes accipite, ac ætter„ num Valete!

5. De HUNNIADE.] Sane *Paullus* JOVIUS, *Episcopus Nucerinus*, *Elogior. lib.* III. ubi MATTHIAM CORVINUM, laudatissimum & literarum amantissimum *Pannoniæ Regem*, hujus JOHANNIS HUNNIADIS Filium, dilaudat, ait Patrem hunc fuisse appellatum: *Fulmineum Turcarum* Terrorem; idemque uno ore, ut &, quod TOLLIUS narrat, tradunt Rerum *Hungaricarum* Scriptores.

6. DRU-

6. DRUSUS, TIBERII *Frater.*] Ecquis Veterum hoc disertis verbis tradat, non memini. puto itaque, respici formulam comminandi & imprecandi, in tractu præcipue *Vestofaliæ*, usitatam: daß dich der Drus hohle? vel De Droes zalse hebben: quasi dicerent: DRUSUS *te auferat!*

7. HORATIUS, OVIDIUS.] Tales autem Nummos non esse genuinos ipse TOLLIUS cum Eruditis postea agnovit; quare hic ætatis juvenilis veniam habebit.

8. *Equum* & seqq.] Hic, ad instar *Bucephali*, solum Dominum sessorem admisit, alium vero neminem. *Jonas* a Domino nomen ei erat. narrant hæc omnes, qui hujus Herois gesta Posteris tradiderunt.

9. *De Diomedeis Avibus.*] quas narrant, dignoscere *Græcos* & *Barbaros:* hos enim involant, illis e contrario abblandiuntur. videantur ARISTOTELES περὶ θαυμ. ἀκουσμ. *in principio fere medii operis*; & ex hoc, sine dubio, PLINIUS *H. N.* X. 44. & hunc secutus SOLINUS *Polyhist. c.* 8. & AUGUSTINUS *de C. D.* XVIII. 16. & 18.

10. *De Cane* LIPSIUS.] respicit, ut puto, *Centuriam I. Epist.* 44. *ad Belgas*, ubi ex idoneis testibus narrat, in oppido sive castello *Sancti Petri*, quod sub *Rhodiorum* Equitum ditione Asylum erat fugitivis Servis Christianis, in ora *Cariæ*, quos *Præsidiarii*, si ita loqui liceat, *Canes*, cum advenirent, a *Muhammedanis* poterant distinguere. hos enim allatrabant & adoriebantur, illos illæsos blandiendo ad oppidum quasi deducebant. plura *l. l.* LIPSIUS mirifica de *Canibus* narrat.

11. *Centuriones, quos* Agá *vernacula lingua Turcæ vocant.*] Lubet hic annotare, ad lucem accendendam huic loco, nonnulla ex libro bonæ frugis pleno sed jam minus obvio, *Johannis* LEONCLAVII, Viri Nobilis & doctissimi rerum *Turcicarum*, quem inscripsit *Pandecten Historiæ Turcicæ*, cujus ex *editione Wecheliana* 1588. *c.* 173. *p. m.* 376. „ *Turcas* esse imi-
„ tatores *Græcorum*, præsertim in rebus ad Imperii formam ritusque publi-
„ cos spectantibus, jam sæpenumero diximus. quanquam Alii putant, ab
„ ipsis pleraque profecta *Saracenis:* qui post defectionem a *Romanis*, eo-
„ rum nihilominus tam civilem, quam militarem Imperii gubernationem
„ fuerint æmulati. Sic igitur & *Agalarii* dicti sunt ab *Aga*, quod *bácu-*
„ *lum* significat: adeoque propius, ut ostendam similitudinem Officio-
„ rum Palatii atque *Imperii Græci*, cum Officiis *Portæ Osmanicæ*, dico,
„ *Turcis* esse *Agalarios* sua lingua, qui *Græcis* erant vel *Drungarii*, vel
„ *Druncarii* potius. Eos LEO *Sapiens* Augustus, in libro suo *de Appa-*
„ *ratibus Bellicis*, olim dictos fuisse tradit *Chiliarchos*, quod militibus
„ *mille* præessent: & *Druncum*, *Chiliarchiam*. Latini *Chiliarchos* voca-
„ bant *Tribunos*, qui nunc *Colonelli* sunt. *Druncum*, sic enim pronun-
„ ciabat *Theodosius* ZYGOMALAS (quo *Nauplienſi* e *Peloponneso*, Patriarchali Protonotario, familiariter usus est *Constantinopoli* LEONCLAVIUS)

„ & *Druncarium*, non *Drungum* vel *Drungarium*, quod vulgo fieri so-
„ let, sic appellatum arbitror a *trunco*, sive baculo, sive sceptro, quem-
„ admodum hodieque *Regimentum* vocamus tam ipsius Tribuni baculum,
„ *Vitem* dixere, puto, *Romani*, quem, ceu magistratus insigne, ge-
„ stat; quam illum signorum militumque numerum, qui ad constituen-
„ dum *Regimentum* requiritur: ideoque *Druncus* est *Regimentum* Mili-
„ tum, cujus caput est *Druncarius*, olim *Tribunus*, nunc *Colonellus* aut
„ *Regimenti Præfectus*....... Ad *Druncariorum* ergo similitudinem *Turcis*
„ sunt *Agalari*, velut Tribuni, puta *Genizar Aga*, *Capizilar Aga*,
„ *Spahoglan Aga*, *Silichtar Aga*. deinde *c.* 228. *p.* 449. ait: „ Se-
„ quuntur post *Divani* sive *Consilii Sultanini* Assessores *Agæ*, Turcis *Aga-*
„ *lari* dicti, numero multitudinis, vel Officiales sive Tribuni, qui non
„ habent sessionem in *Divano*, vel Synhedrio, vel consilii publici loco;
„ nihiloque minus obligati sunt, uti quotidie compareant in *Saraio* (sive
„ *Seralio*) sibique deputatis aliis in locis sedeant. ita LEONCLAVIUS.
ergo apparet, TOLLIO nostro, forsitan ad pompam, narratum fuisse, omnes illos honestioris loci Captivos fuisse *Agas*, quod vero credibile minus videtur: fuerint etiam *Kihaiæ*, *Tzausii* & minoris ordinis Viri. deinde cum *Centuriones* pro *Agis* reddit, rem quidem veram dicit, sed verum vocis sensum perturbat.

12. *Dravus*... in *Rhæticis Alpibus* oriundus.] Puto, memoriæ culpa, *Rhæticas Alpes* poni pro *Noricis*. ibi enim *Dravum* oriri, jam olim dixit PLINIUS *H. N.* III. 25. sed facilis propter viciniam errori locus est.

13. P. CORNELIUS CLAVAFORIS.] Hoc cognomen in Gente *Cornelia* mihi alias nondum occurrit. putem, tractum e militaribus facetiis vocabulum, CLAVA FORIS, quale illud *Cedo alteram*, apud TACITUM *Annal.* I. 23.

14. FAVENTINA ERES.] pro HERES. sed sæpe in *Inscriptionibus* aspiratio neglecta fuit. adde TOLLIUM *ad* AUSONII *Professores*, *carm.* VI. *vs.* 44. in *Omissis* ad *num.* 6. *p.* 783.

15. *Duo Capricorni.*] Posset videri, uti & TOLLIO placuit, in honorem Genesis *Augusteæ* hos adsculptos: sed & ipsi defuncti, vel eorum alteruter, tempus Solstitii hiberni natale aut emortuale sortiri potuerunt. at mihi potius placet, esse eos *Capricornos* hoc loco *Abundantiæ* & *Felicitatis* symbola, ut præclare ex Nummis hoc docet Illustris SPANHEMIUS *de Præst. & Us. Num. Diss.* III. *p. m.* 128. & 208. 209. 210. innuitur ergo, defunctos in re lauta vixisse.

16. *Delphines.*] Hi mutui Amoris sunt symbolum: consecrantur enim *Cupidini.* hinc *Delphino* toties in *Nummis* & *Gemmis* inequitat. vide iterum Illustrem SPANHEMIUM *l. l. p.* 199. 200. & apud SPONIUM *in Miscell. p.* 297. in Gemma *Delphin*, adscriptumque legitur: PIGNUS AMORIS HABE.

Habe. Item *Veneri* sunt etiam sacri. hinc inter *Statuas Mediceas* & *Venerem*, ornandis capillis intentam, videas, hinc cum *Cupidine* armato pharetra & sagitta, inde cum *Delphino*. vide *l. l. p.* 200. memini, & me inter *Statuarum antiquarum* ἀπόγραφα unam vidisse, in qua *Venus* sedens, cui a tergo subjectus erat *Delphin*, in gremio *Columba*.

17. ΠΑΛΚΥΡΙ ΕΥΨΥΧΕΙ ΜΕΤΑ ΠΑΤΡΟΣ.] Sic Tollius ad ipsum lapidem emendatius descripsit. ante nescio quæ literarum discerpta monstra hic legebantur, ut videre licet in Tolliana Ausonii recensione, *p.* 789. nomen autem ΠΑΛΚΥΡΙ quid sit, vix assequor. puto detritas vetustate, aut obliquius insculptas, ut sæpe factum animadvertimus, aciem Tollii nostri fefellisse; sculptumque fuisse: ΠΑΓΚΥΡΙ vel ΠΑΓΧΑΡΙ; ut fuerit nomen amatorium puellæ, quæ in deliciis forte fuerit *M. Aurelio Alexandro Primipilari*, ut ejus defunctæ cineres, paternæ intulerit arcæ, felicitatem & tranquillitatem Manibus ejus cum Patre conditis apprecatus. *Græcam* autem *Linguam* Amoribus olim inserviisse, vel Satyrici Principis nota querela constat. gemella est Inscriptio apud Gruterum 784: 3. Φλαονια Σερουανδα, η και Αγριππεινα Παναρετε ευψυχι μετα τȣ Οσειριδ☉.

18. Æternæ. Qvieti. et. Perpetvæ. Secvritati.] Passim hæc in Monumentis Sepulcralibus, & fere separatim alterutrum reperias. Noti *Quieti Manes*, *longa quiescendi tempora*, *Somnus Æternalis*, *somno consopiri æterno*, *nox perpetua una dormienda*, κοιμᾷν ἱερὸν ὕπνον, ἐν χθονὶ κοιλᾷ εὕδειν εὖ μάλα μάκρον ἀτέρμονα νήγρετον ὕπνον, εὕδοντες, ἐυνασήριον, & quæ similia in hunc sensum in Monumentis & libris idoneorum Auctorum utriusque Linguæ eruditæ leguntur.

19. M. Avr. Q. Valenti. V. Leg. Ta.] Subnotaverat Tollius: „ forte: M. Avrel. Valentino. V. Leg. Tr. id est *Tribuno*, nisi τὸ „ ta cognominis Legionis initium sit. hæc Ille. neutrum mihi facit satis: additæ enim figuræ *Tribunitiam* dignitatem non arguunt: & quale cognomen vel cujus Legionis foret TA? *Legio* V. *Macedonica* tetendit in *Mœsia*; quare videri posset T fuisse detritum ex M; verum legamus simplicissime sine cælo emendationis Criticæ, quæ in Lapidibus parcius exercenda: V. Leg*ionis* Ta*bulario*. sic *Præpositus Tabulariorum Rationis Castrensis*, & *Adjutor Tabulariorum apud* Reinesium *Inscrr.* IX. 28. & 29. & Tab*ularius* Mil*itum* apud Gruterum 421: 1.

20. Stip.] Nota, quæ hic sequitur, denotat numerum xxxii. ut Tollius quoque legit. passim tales in *Inscriptionibus* occurrunt.

21. Fratri & seqq.] Lege hæc compendia: Et. I..T..C.. Et. Avrelia. S.. Et. Valentina.

22. Reperta in Sepulcro *Lucerna* ardens & seqq.] Fabellas Tollio narrarunt tralatitias, quas miror, tot Viris Doctis potuisse persuaderi, cum nec liquor ullus detur, qui sine sui consumtione ardeat perpetuus; nec vel

 linum

linum sive ellychnium ἀμίαντον vel ἄσβεστον ullum tale fieri possit, quod talis liquoris incombustibilis pabulo sine ullo detrimento æternum ardeat; taceo, ignem vel maxime æternum, si fingamus talem exstitisse, negato aerei spiramenti libero influxu, in istis cavernis Sepulcralibus tam arcte clausis, necessario suffocari debuisse. dicet aliquis veteris fabellæ assertor, ad erroris credulitatem: hanc istius ignis emortualis æterni indolem fuisse, ut negato exclusoque aere protinus arserit, admisso autem exstinguatur. qua ergo ratione fuit in *Arcis Sepulcralibus* incensus? si sua sponte; cur non iterum in conclusis cavernis & locis idem fit? cur in istis *Lucernis* nullus *liquor*, nullus *fomes*, nullum *ellychnium* reperta sunt, utpote cum resistere debeant sæculorum omnium fugæ? si dicis, in libero aere primum fuisse accensas, & sic perdurasse; tum miror stuporem *Vestalium*, quæ tali igne Pontificias virgas semper a tergis suis relegare potuissent. Si regeris *Phosphoros* hodiernos, tam liquidos, quam siccos, & lapides lucentes, qui *Bononiæ* visuntur; scias, hos ad aeris admissionem non amittere lucem, deinde eos non semper eodem splendore coruscare; tandem hos toto cœlo distare a *Lucernis Perennilucis*, ut fingunt, Veterum. Hoc unum lego, „ liquorem lagena vitrea inclusum, in quo lux quædam circulabatur, *Va-* „ *lentiæ* in *Delphinatu* anno 1653. inter Sepulcrorum Antiquorum monu- „ menta, repertum, quem Inventor fracto, præ nimis curioso noscendi „ ardore, vitro effuderit: hæc, inquam, scripsit Illustris quidam *Gallus*, in *Eph. C. N. Dec. I. An.* 8. *Obs.* 20. *in Scholio.* Ea si vera sunt, si Inventor oculorum acie, solus cum esset, recte usus est, en Tibi *Phosphorum liquidum* nostræ ætatis nec Veteribus ignotum! ne tamen imputes TOLLIO nostro ἀκρισίας, qua minime omnium laborabat, vitium, secutus est in hac persuasione præeuntes PANCIROLLUM *in Deperdit.* I. 35. ibique SALMUTHUM eadem adnotantem: *Hermolaum* BARBARUM *Corollar.* in DIOSCORID. *lib.* V. *Franciscum* MATURANTIUM *Epist. lib.* I. scribentem *ad Alfenum: Bernardinum* SCARDEONEM *in Antiq. Patav. libro I. sub fin.* laudatum quoque GUILANDINO *de Papyro, membro* VI. *Fortunium* LICETUM in vasti laboris, sed miræ credulitatis opere, *de Lucern. Ant.* I. 2. 9. & 10. item III. 28. *Joh. Bapt.* PORTAM *de M. N.* XII. 13. &, quod miror in acumine illo judicii, CAMBDENUM *de Britann. p.* 473. quin imo *Hieron.* RUSCELLUS in opere Italico: *Imprese Illustri*, si Diis placet, modum talis lucernæ æternæ docet faciendæ. Refutat etiam hanc credulitatem aliqua ex parte *Georg. Casp.* KIRCHMAIERUS, Vir perdoctus, *in Noctiluca Constante c.* 2. §. 9. Liceat autem Posteritati veteres avias de pulmone revellere: sat enim nugarum Posteris relinquitur.

23. *Cadaver quoque*, & seqq.] Videtur & hæc solennis vespillonum fabella TOLLIO nostro cantata. quis nescit *rogos*, *busta*, *cineres Romanorum*, & *ignes ferales*? Quid autem in culpa fuit, ut tantum unum *cadaver*

daver apparuerit integrum, *contactu* demum *dilapsum*; cum, teste ipsa Inscriptione, *tria* saltem *cadavera* fuisse debuissent? Imo vero crematorum cineres in hac Arca junctim conditi sunt, non condita corpora.

24. *Bitumine.*] adeoque hoc etiam *calcis usum præbuit*, *ita ferruminatis Babylonis muris*, teste PLINIO *H. N.* XXXV. 15. scilicet SEMIRAMIS arenati loco *bitumen* interstravit, teste JUSTINO I. 2. Aliisque.

25. D. M. &cc.] Hæc etiam Inscriptio hic emendatior legitur, quam ex aliena descriptione in AUSONII laudata recensione legitur. In ea ista: 7. LEG. IIII. FL. lego: *Centurionis Legionis IIII. Flaviæ.* sic signum hoc occurrit apud GRUTERUM 269: II. *Legio* hæc *IV. Flavia* nota est ex aliis etiam Inscriptionibus. deinde nota numeri annorum Filii est XVIII. nam τὸ & alibi pro X. sculptum memini. tandem in fine τὰ VALERIA. VALERIA. FILIA: Lege & intellige: VALERIANI FILIA.

26. In hoc Sepulcro fuisse inventos, &cc.] Sane ego cum TOLLIO illi Amico narranti fidem suam relinquo. Plerunque animadverti talia jactari, sicubi monumentum aliquod vetus refossum detegitur. Cui bono tot *cimelia* in feralem Arcam conjecissent? tam prolixus in provinciali Sepulcro & prodigus Matronarum Romanarum affectus vix minime credibilis videtur.

27. *Canischa.*] Natura sive ingenio loci hæc & Arte munitissima in paludoso circum solo palisque fere fistucatis inædificata Urbs & Arx sita est in *Illyrico* proprie Veterum, ad fines *Hungariæ*, *Croatiæ*, & *Marchiæ Vindorum* tutandos aut invadendos situ percommodo. Nomen habet, non, ut multi volunt, a rivo mediam urbem perfluente *Canischa*, siquidem is revera *Sala* dicitur, urbique *Salawar* nomen etiam facit; verum *Canischa* nomen a *Germanis Turcis*ve ab oppidi nomine accepisse videtur. Fluvius is verius est quasi quidam paludosus rivus: nullis enim fere ripis continetur, sed passim extra ripas vagus paludes & arundineta & fruticeta infidi & cedentis soli facit, donec lento agmine tandem *Dravo* miscetur. nomen, ut Martinus ZEILLERUS, si bene memini, rectius videtur tradere, debet URSULÆ CANISIÆ, *Viduæ* THOMÆ NADASDII, *Palatini Hungariæ*, quæ circa annum 1565. ibi loci Arcem extruxit; quam, capta a *Turcis* anno 1566. *Sigetho*, quæ hinc XXI. milliaribus distat, MAXIMILIANUS II. *Imperator*, permutationis jure, dato viduæ *Borsmonostrano*, Sibi acquisivit, eamque Arcem firmissimis operibus cinxerat, adeo ut sæpius a *Turcis* impetita inexpugnabilis manserit. tandem anno 1600. latrocinantes *Heiducci*, jussu Præfecti *Vindorum*, *Sigismundi* HERBERSTEINII, juxta oppidum *Harsanam*, infra *Sigethum* & *Quinquecclesias* Rusticis magnam boum multitudinem *Baboziam*, hinc *Canischam* & *Capreinizium* abegerant; *Turcæ* frustra Rusticorum imbellium boves repetentes irritati, IBRAHIMUM *Bassam*, magnum illum Exercitus Turcici Ducem incitarunt, ad

obsiden-

obsidendam *Canischam*, cum ipse *Strigonium* alias peteret. Sic expugnata & 22. *Octobris anno* 1600. in opprobrium Christiani nominis, ob culpam privatæ ex latrocinio utilitatis, amissa, magnopere Christianam rem illis in oris afflixit, donec tandem nostra ætate felicitati armorum LEOPOLDI *Augusti* denuo successit, Cujus Domus Augustæ imperio utinam semper postea pareat, neque unquam rursus avaritia, temeritate, negligentia. ac flagitio *Christianorum*, ne quid pejus dicam, sub jugum redeat *Turcarum!* Tu interea testem nostrorum dictorum fuisse scias ISTUANFIUM *Rer. Hungar. lib.* XXXII. *p.* 762.

28. *Proxima occasione de Moribus Hungarorum*, & seqq.] Fidem hic datam postea liberavit TOLLIUS, sed magno post intervallo: nam anno demum 1687. ut vidisti in præcedente V. *Epistola*, enarravit ea, quæ hic promittit. Obiter non possum, quin hic adjiciam pauculas *Inscriptiones*, quas TOLLIUS huic *Epistolæ*, quam præ manibus habemus, anno demum 1671. cum AUSONIUM recenseret, loco laudato, per modum corollarii seu mantissæ, subjecit his ipsis verbis, quæ ad finem usque scias illius, non mea esse: nisi ubi meum nomen addo. ita autem post finitam *Epistolam* refert.

Αὐτὸς ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος. Dum hanc, quam dudum ad Amicum scripseram Epistolam relego, continere me non potui, quin ineditas aliquot *Inscriptiones* auctarii vice subjungerem. Descriptæ mihi eæ sunt præterita æstate in oppido *Vangionum*, *Wormatica*, ex antiquis saxis, quæ inter alia rudera, dum exstruendo munimento fossam repurgant, operæ eruerant. atque id eo lubentius facio, quod complures aliæ in eodem oppido, puerorum nequitia ac petulantia ita fuerant corruptæ, ut nullo pacto describere potuerim. Sed bene OPITIUS, qui in *Variis Lectionibus* Inscriptionum istarum nobis exempla reliquit. Idem accidisse quoque ad *Coloniam Agrippinam* duabus aliis adverti, quas ex *Austria* redux ante hos decem annos descripseram. Ne igitur qualiacunque hæc Antiquitatis monumenta depereant, malui non suo loco ac tempore ab oblivione illa vindicare, quam dubiæ & ancipiti fortunæ committere. In Fossa itaque ipsa conspicitur *Eques armatus*, *sequentibus duobus peditibus*, & hac inscriptione:

PAETVS. MV....
EQVES. ALAE. AGRIPPIN.
..... NATIONE. TREVIR.
.. ANNOR. XXXV. STIP.
.. XXIIII. .... SIT. P. F.
.. FRATRES. POSVERVNT.

M. SEMPRONI
VS. L. F. DOMO.
TERMESTINVS.
ANNO. XX. ....
DEC. EQVES. ALAE.
SEBOSIANAE
H. S. E.

TERME-

TERMESTINVS.] *Termeſtinorum* meminit SALLUSTIUS *Hiſtor. lib.* II. apud NONIUM in *Satias.* Populus *Citerioris Hiſpaniæ* TACITO *Annal.* IV. 45. Oppidum *Termes,* FLORO III. 22.

ANNO. XX.....] ſupplenda forte : STIP*endiorum.*

DEC.] notat : aut *decem* , aut *decurio* , aut *Decuria :* uti ex aliis liquet inſcriptionibus. *Ala Seboſiana* mihi nuſquam alibi , quod equidem meminerim , occurrit. Si *Segoſianæ* liceret legere , tum a *Seguſio* in *Cottiis Alpibus* cognomen poſſemus arceſſere. HENNIN.

Ad *Portam Martis* (talis nulla eſt *Wormatiæ* , ſed puto voluit *Martini portam* TOLLIUS ſcribere :) *Eques dextra lanceam , ſiniſtra ſignum militare ferens , armis & gladio ornatus , calcans duos Captivos ſub Clypeis,*

C. CARMINIO. P. F.
CL. . . . .
HISPANORVM. ALAE ...
STIP. XXV. SIGNIFERO.
SACER. IVLIVS. H. E. F.

Conſimilis alia ſine ſigno :

LICINIVS. CLOSS. L.
F. HELVETIVS. ANN.
LXVII. EQVES. ALAE.
HISP. STIP. XXVI. H.
TIB. IVL. CAPITO. H.

HISPANORVM. ALAE.] Ea etiam alibi non raro occurrit. vide exempli cauſſa GRUTERUM 366: 1. 403 : 5. HENNIN.

Ibidem : *Eques armatus :*

ARGIOTALVS.
SMERTVLITANI.
F. NAMNIS. EQVES.
ALAE. INDIANAE
STIP. X. ANNO.

XXX. H. S. E
EREDES. POSV
ERVNT.

NAMNIS.] puto innui, fuiſſe eum ex *Nannetibus*, *Galliæ Celticæ* ſive *Lugdunenſis* populo: ipſum nomen peregrinitatem *Celticam* ſapit. HENNIN.

ALAE INDIANAE.] meminit & alius vetus lapis in Agro *Colonienſi* inventus apud GRUTER. 541: 7. (Tu huic adde 519: 7. & *C. Hedium, C. F. Cluſt. Præfectum Equitum Alæ Indianæ*: 417: 6. HENNIN.)

Ibidem:

ALBANO. VITALI.
EQ. ALAE. INDIANAE.
TVR. BARBI. CIVI.
TREVERO. ANN.
XXX. S†P. X.
H. EX. T. F. C.

TVR. BARBI.] Legendum ſine dubio erit *Turre Barbi*, in quo loco forte pars quædam *Alæ Indianæ* præſidium tenuit. ſic *Turris Timalleni*, in *Libya*, in ANTONINI *Itinerario p. m.* 16. & frequenter in eodem: *Ad Turres*, *Ad Turrim.* imo *p.* 30. legitur *Turris*, quæ diſtat *Naiſſo Superioris Mœſiæ* ad *M. P.* LIII. ut & in hoc Terrarum tractu tales Turres Præſidiarias fuiſſe conſtet. Crux illa in voce STIP. eſt compendium ex T & ſuperpoſito I. At, ne quid diſſimulem, non *Wormatiæ*, ſed *Worringæ* hæc Inſcriptio reperta eſt. audi *Ægid.* GELENIUM *de Magnit. Coloniæ*, *lib.* II. *ſyntagm.* 34. *p. m.* 198. 199. „In *Worringen*, olim *Burunco*, municipio „prope *Coloniam* repertus eſt cippus *Albanio Vitali Equiti* poſitus, tres „habens areas, in quarum ſuprema exhibetur ſeminudus adoleſcens, innixus ſiniſtro brachio, quaſi in ſtragula & pulvinari, accumbens menſæ „tripodi, in qua duo vaſa cum cibis & ſcyphis, ad pedes puer adſtat manibus decuſſatim compoſitis. media area habet hæc verba: ALBANIO. „VITALI. (& cætera eadem.) in infima area equus generoſus ſtragula & „phaleris ornatus, ex cujus ephippio ſcutum oblongum dependet, famulo faſces ferente, loroque equum a tergo regente. HENNIN.

Ibidem:

Ibidem :

VEIAGENVS.
SISGI. F. MIL
ES. EX. COH
ORTE. RAETO.
AN. XLVI. STIP.
XXIV. NATVS. MI
ONTE . . . .
H. .. E.

COHORTE RAETO.] *Cohors IV. Rætorum* occurrit in *Inſcrr.* & *Notitia Imperii :* in illis etiam ἁπλῶς *Rætorum Cohors.* HENNIN.

Ibidem:

. . . . S.
. . . . NI. F.
MILES. EX.
COHORTE
PRAETOR. ET
VINDOL. F.
ANN. XL.....
STIP. XXIV.
H. S. E.
FRATER. P.

PRAETOR. ET VINDOL.] Videri poſſet legendum eſſe: *Prætoria & Vindelicorum.* quamvis *Cohors Vindelicorum* mihi nondum alibi lecta ſit. poſſes etiam ſuſpicari PRAETOR. eſſe deſcriptum ἀντὶ τοῦ RAETOR ut ſit *Rætorum & Vindelicorum*, populorum ſcilicet vicinorum. HENNIN.

In *Aula Civium*, vulgo im Burgerhoff, *Coloniæ Agrippinæ*, monumentum integrum, in cujus anteriore lapide:

SPECTATIAE. SPECTATAE. CONIVGI.
CARISSIME. LVTTONIVS. LVPVLVS.

CONIVNX. INFELICISSIMVS. CVM.
FILIABVS. POSVIT. F. C.

Ibidem *Coloniæ Agrippinæ*, *Tubicen cum Tuba*:

C. VETIENI. C.......
PVPINIA. VFRIQVE.
TVBICEN. EX........
LEGIONE. XX.........
...........ENTQV..
.....E ....

Vfriqve.] Sitne hoc *Pupiniæ* cognomen aliquod ſemibarbarum, an literarum acciderint corruptelæ, id equidem neſcio; poſterius tamen verius puto. *Pupienam Firmam* legi alibi, item *Auctam*. Apud Gelenium *l. lib.* I. *ſyntagm.* 9. *p.* 87. vero ſic reperio: „ Facies humana pectore tenus, „ in ſinum collecta veſte, & ſub ea;

C. VETTIENI. C.
PVPINIA. VRBIQVS.
TVBICEN. EX. S..
LE... ONIS. F. EX. S.
TE....... MENTO.
......E........

tum ſub ſimili icone:

COCCEIVS. L. F.
PAPIRIA. TICINI.
MILES. LEG. XX.
PEQVARIVS. ANNO.
XXXV. STIPENDIO
RVM. XVI. HIC. P. EST.

dicit, hos lapides ex ima humo egeſtos eſſe, ad *Rhenum*, anno 1632. & inſertos propugnaculo, quod *Rhenum* proſpectat. Hennin.

F I N I S.

INDEX

INDEX ACCURATISSIMUS

Rerum & *Verborum* Notabilium, quæ explicantur & narrantur; *Magnatum* ac *Virorum* humanitate aut varia doctrina *Celebrium*, & *Locorum*, quorum fit mentio

in

JAC. TOLLII

Epistolis Itinerariis,

& ad has

HENR. CHR. HENNINII

Annotationibus & Observationibus.

A.

contor-

B.

D.

E.

F.

G.

Kay-

N.

O.

Sepa-

T.

Tibis-

Gerardi

FINIS.



ERRATA.

Laudabilis accurati typographicarum aberrationum Emendatoris induſtria, qua hic liber, tam variis rebus & linguis refertus, pæne ſine ullis vitiis exſcriptus eſt typis, publicas meretur gratias: paucula hæc tantum emendanda, quorum aliqua forſan ſcribenti mihi imputanda ſunt, annoto:

pag. 25. *lin.* 13. רושו lege : ראשו
pag. 32. *lin.* 12. num. *adde :* 19.
pag. 41. *lin.* 15. ſubridentes *lege :* ſubridente
pag. 120. *lin.* 9. olim *adde :* apud
pag. 121. *lin.* 36. quorum *adde :* uno
pag. 234. *lin.* 21. *Virgula* lege : *Virgulam*
pag. 253. *lin.* 17. Φλαονια lege : Φλαουια
pag. 255. *lin.* 11. *pro* 269 : II. *pone :* 269. 11.
ibid. *lin.* 13. *poſt τὸ adde :* Λ
ibid. *lin.* 19. vix, *adde :* imo
ibid. *lin.* 23. proprie *adde :* dicto
pag. 256. *lin.* 23. *Wormatica*, lege : *Wormatia*,
p. 250. *l.* 4. Παρόυσης lege: *παρόυσης*
p. 254. *l.* 16. admiſſionem lege: admiſſionem
p. 256. *l.* 19. refert. lege: refert:

